CAUSA VALESIANA

EPISTOLIS TERNIS

Prælibata:

In anteceſſum fuſioris Apologiæ.

Quibus acceſſerunt

APPENDICES DUÆ:

UNA,

INSTRUMENTORUM:

ALTERA,

De *GREGORIO* VII.

ET IN FINE

ADDITAMENTUM.

1693.1
G. 14. 18
193/17
BIBL. CANT. ACAD.

Authore *F. Petro Valeſio* Ord. S. *Franciſci* ſtrict. obſer. S. *Theologiæ* Profeſſore.

Nihil in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod ſentiat veritatem non liberè pronuntiare. *Ambroſ.* Epiſt. ad *Theoſ.* Imperatorem.

LONDINI, Apud *Joannam Brome*, ad Inſigne Bombardæ in vico *Ludgateſtreet* dicto. CIↃCICLXXXIV.

81.4.19

326.04

Præfatio ad Lectorem.

CHriſtiane Lector, *quæras fortaſſe, cui bono? in quem finem?* homo Sacerdos de Semine Aaron, *homo inquam Religione Catholicus, Inſtituto Regularis, Ordinatione ſacer, quæ cauſæ ejuſmodi momenta ſunt, in lucem edit? Saltem, cur* Londini *in* Anglia? *Eccur modo? Seu, quorſum nunc temporis ibi, ubi Majeſtas & poteſtas Regia, ubi Magiſtratus ac Ordines Regni, ubi Leges, plebes, populus, Clerus, ubi inclinatio Gentis univerſæ, ubi momenta omnia rerum ſive publicarum ſive privatarum, ubi denique fatum aliquod & iratum Numen, videntur conſpirare vel in ipſum quidem Romano-Catholicum nomen ceu exterminio ultimo ex Britannicis oris eliminandum? In iſtâ verò Catholicis iſtius Imperij univerſis adeò triſti, adeò funeſtâ & calamitoſâ velut cauſarum omnium, ſuperiorum pariter & inferiorum, conjunctione, ut* Valeſium *deceat ejuſcemodi Scripta ſua publicare? Romanam Aulam, Nuncios, Internuntios, Cardinales, quin & Antiſtites ipſos Maxi-*

mos & Beatiſſimos Primæ illius Apoſtolorum Sedis, producere nunc Londini *in ſcenam? & qua parte, potiſſimum iſtic, vel maximè quidem exoſi ſunt, exponere in ſole? Hæccine aut ſedandæ tempeſtati, aut ſolandis qui jactantur, ſalvandiſue qui pereunt, aut ulli prorſus bono, quoquo modo conducunt?*

Et hujuſmodi quidem ea ſunt quæ Præfationi huic ad te dederunt anſam. Enimverò ne loci, temporis, aliarumq; circumſtantiarum præjudicio laborans, accederes ad legendum: exiſtimavit Author, haud abs re fore, ſi offendicula, ſive ſcrupulos iſtos è via tua tua removeret. Id autem fecerit, conſilij ſui rationes aperiendo.

1. *Hujus anni milleſimi ſexcenteſimi octogeſimi tertij, ineunte vere, invaſerunt animum ejus cum frequenter tum vehementer quidem non mortalitatis modò & ſenectutis, verumetiam conditionis atq; ſortis (quippe triginta ſex annorum, adeoq; & majoris & potioris vitæ partis, in controverſijs infelicibus poſitorum) conſiderationes variæ. Quarum iſtæ inter alias ſanè multò moleſtiſſimæ: Quòd tametſi jam tunc decimus quartus annus ageretur, ex quo Romanæ curiæ voluntati oblatus eſſet victima, ſcilicet excommunicationis gladio percuſſus: nihil tamen tam diuturni temporis ſpatio, nihil ſaltem quæ oportebat latina lingua, præter Epiſtolam Primam ad* Haroldum, *ceu vindicias innocentiæ*

ſuæ,

ſuæ, in lucem publicam edidiſſet. Quodq; nihilominus interim ſæpenumero, ſaltem poſtremis annis, & provectior ætas, & cura boni nominis, à Sapiente filio Syrach *recommendata, & ſociorum expectatio jugis, & ipſius etiam communis cauſæ juſtitia, & parati quoq; ad prælum Libri Apologetici, & poſt, ac ante omnia quidem, Mors inopina multis, judiciumq; ſequuturum, obverſarentur ante oculos unà. Et hæſerunt quidem fixeruntq; radices altius cogitata ejuſcemodi multiplicia, quàm aut evelli aut repelli poſſent, donec tandem religio fuit non amplius refragari. Itaq; non diutius inter officium ac dilationem pendens animi; ſed determinatus jam ad unum atq; fixus, proximè conſideravi mecum: An Hibernica* Valeſij, *Opus bene magnum (ſcilicet utriuſq; Hibernorum ævo noſtro infelicis controverſiæ fatalem ſeriem ab initio complectens?) An potius opuſculum aliquod, Execrationis nempe illius in caput meum denuntiatæ, cum genuinam ſimul & prætenſam confictamq; cauſam, tum iniquitatem & in omni jure nullitatem, ſatis in anteceſſum repreſentans, aggrederer primùm typis dare? Ac iſtud quidem, ut longè rationabilius, viſum erat proſequi: quòd, nimirum, ipſa majoris illius Apologetici moles, eam impreſſionis moram neceſſario ſecum trahet, qua non pauca, ſed plurima quidem acci-*

dere possint, quæ, ne unquam absolvatur impediant.

2. *Prioribus illis accessit consideratio quædam nova; sed ejuscemodi tamen quæ vel remissum quidem incitaret, atq; impelleret porrò. Sub hoc ipsum tempus forte, in officio (quod vocant)* Commissariatus Generalis *Fratrum Seraphici Ordinis per Nationem* Germano-Belgicam, *annexasq; Provincias alias, videlicet* Angliæ, Scotiæ, Daniæ & Hiberniæ, *post excommunicatores illos meos* Jacobum de Riddere & Gulielmum Herinx *defunctos, Successor (bonis auibus, ut spero) declaratus erat qui modò est Reverendissimus Pater F.* Ignatius Broeyer: *homo quidem Natione* Belga, & *nonnullos annos olim versatus* Romæ; *sed tamen ut justitiæ amorem, sic à* Valetio *non aversum animum præ se ferens. Utcunq; res ista animi ejus foret, quod muneris ipsius & conditionis meæ ratio postulabat, litteras ad ipsum gratulationis & officij plenas* VII. *Calendas Martias dedi. Porrò autem & ab ipso alias Calendis Aprilibus datas ceu responsum habui. Quibus quoniam inter alia scribit, non modo meas fuisse* pergratas, *sed* fixum *sibi* animum, nulli denegare quod debet [ut sim pastor ovium *(inquit)* nobis concreditarum, & inveniar Pater filiorum Seraphici P. N. Francisci:] *inde concepta mihi spes nonnulla revisionis causæ meæ per*

virum

virum hunccè ipſum Reverendiſſimum; utpote ad quem de jure in præſentia ſpectat. Unde & ulteriùs mihi ſtimulus ad ea confeſtim prælo committenda, quæ utcunq; ipſum in hac locorum diſtantia inſtruere poſſent, tam de momentis cauſæ, quàm de Judicij novi neceſſitate.

3. *Acceſſit etiam, vel potius præceſſit, utpote quæ longè altiùs inſedit animum, & ad quam compoſita propriæ famæ jactura, leve ſane eſt detrimentum, illius boni contemplatio, ad quod aſſequendum totam ferè vitæ rationem inſtitui, tot annos, tot vigilias, tot labores indefeſſus contuli; utinam non incaſſum! Norunt omnes qui me norunt, id me ſpectare, & quantum fas eſt totis viribus proſequi, ut pacato tandem infelici de Religione bello, coaleſcant in eadem militantis Eccleſiæ caſtra, diviſa Chriſtianorum arma, & depoſitis diſſidijs odijſq; mutuis fiat tandem unum ovile & unus Paſtor. Animadverti Eccleſiæ in qua baptizatus, confirmatus, educatus, ab infantia perſevero, plura exprobrari, quæ cordatis offenſionem pariant, atq; unioni, ad quam anhelo, ingens impedimentum afferunt. Iſtiuſmodi imprimis tollere, tum ad viri boni officium ſpectare putavi, tum ad inſtitutum meum planè neceſſarium. Contendere ſiquidem, ut in ea quis conſentiat, quæ à veri & boni tramite diſcedunt, tantum eſt à moribus meis alienum, quantum ab æquitate.*

Itaq; faciem hominum non veritus his non peperci; ſed per bonam & malam famam in-ſurrexi fortiter: &, ubi quid reprehenſibile erat, ut Petro *olim* Paulus, *reſtiti in faciem. Ex alia parte viſus mihi ſum inculpatæ tutelæ moderamen deſiderare. Terminis haud ſatis juſtis continetur defenſio, quæ quod peccarunt ſinguli, refundit in omnes. Hæc ſi ratione ſit, ingentis quidem meditabar boni ſpes omnis perit radicitus exciſa. Fruſtra enim expectatur aut expetitur bonorum conſortium, ſi ex una parte nemo inveniatur bonus: neq; ullo modo amplectenda eſt, ſed penitus & quam longiſſimè fugienda ſocietas quam pravitatis contagio univerſim pervaſit. Et hoc quoq; obſtaculum omnino ſuperandum vidi, priuſquam liceret optati exitus ſpem aliquam concipere.*

3. *Itaq; adeò non verebar circumſtantias loci, temporis, odij illius in Catholicum nomen, ſolito licet gravioris hic & nunc, debuiſſe me à propoſito deterrere: ut contra exiſtimarem hæc ipſa vel præcipuum quidem inter motiva mea locum vindicare. Animadverti, jam ſex vel ſeptem poſtremis annis maximè, Templa, Tribunalia, Comitia, Senatum, Forum, immò compita atq; trivia, ubiq; per Angliam declamationibus, exaggerationibus, invectivis in doctrinam eam Romanæ Aulæ perdilectam, quæ coronas, perſonas, vitas Regum arbitrio Papæ ſubjicit, perpetuò reſonantia. Animadverti nihil crebrius, nihil vehe-*

vehementius commoto populo nuper inculcatum, quòm (absq; ulla partium discriminatione) Romano-Catholicos omnes universim doctrinæ ejuscemodi per omnia, velut à Deo ipso revelatæ assentiri: adeoq; & axiomata ejus omnia & singula, quantumcumq; absurda, impia, crudelia, inhumana, ab ijsdem Romano-Catholicis universis tanquam Christianæ Fidei articulos credita. Animadverti imprimis, ut quo ita sese rem habere cunctis persuaderetur, Reverendissimi juxtà ac doctissimi viri Thomæ Lincolnienſis Episcopi *Librum eum insignem, cui titulus est* Papismus, *seu Principia & Positiones per Ecclesiam Romanam approbata, &c. tum variis editionibus, tum multis exemplarium millibus anno 167[illegible] vulgari lingua prodisse, & exinde jam quattuor annos integros liberrimè, hoc est, absq; offendiculo, absq; responso quopiam obvio aut objecto, tria Regna pervasisse: nec non ubiq; omnis generis hominum lectione avidissimè exceptum: neq; ullibi sanè, non eo fructu reportato lætum, quem Reverendissimus Author sibi proposuerat, infando nempe Romano-Catholicæ Fidei odio Lectorum animis ingenerato passim. Animadverti ista seriò, inquam, ac dolenter sanè habui, neminem tanto temporis spatio apparuisse, qui vel una scheda, linea, verbo in publicum emisso, Libri tam injurij aut fallacias aperiret, aut perstringeret argumenta, aut vel indirectè quidem, ceu aliud agens, moneret*

moneret saltem, nihil argumenta istæ minus concludere quàm quod intendit Author, viz. *Doctrinas, principia, positiones, axiomata illa malè sana, Ecclesiæ* Romano-Catholicæ *vel credita vel dictata esse.*

4. *Ubi verò hæc omnia mecum tacitus revoluissem: haud potui non videre, ut vel ipsius quidem Catholicæ Religionis vindicandæ causa nisi imprimis opportunum, saltem nullo modo inopportunum esset,* Valesianæ *causæ momenta publicare, idq; Londini in Anglia, idq; nunc temporis maximè, inquam. Nam tametsi momenta ista nihil in Authorem illum Reverendissimum, opusve illud ejus elaboratissimum, ex professo habeant: ea ipsa tamen, & omnia quidem & singula, totidem in materia facti contra utrumq; demonstrationis claræ sunt. Profectò, nisi si fortassis qui olim, anno 1647. & sequentibus, in Hibernia, adversus Illustrissimum ac Reverendissimum D. Joannem Baptistam* Rinuccini *Archiepiscopum & Principem* Firmanum Nuncium Apostolicum in ea Natione tunc extraordinarium, *censuras ejus perstiterunt immobiles ad excidium usq; Genitis, & centeni & milleni quidem Sacerdotes, unà cum duodecim Episcopis, cumq; populo etiam trium Provinciarum universo, præter magnam partem Quartæ, aliam à* Romano-Catholica *Religionem aut professi aut sequuti sint. Nisi porrò & Episcopi & Sacerdotes, & Optimates atq; Nobiles*

les illi quoq; ejuſdem Nationis, qui poſteà, anno 1661. Remonſtrantiæ Fidelitatis ſubſcripſerunt, Romano-Catholicæ Fidei renuntiaverint. Niſi & Valeſius ipſe, qui ob illius Remonſtrantiæ cauſam in præſentia, decimum quartum excommunicationis ſuæ annum agit, niſi & Haroldus quoq; nonum licet vel captivitatis quidem Bruxellæ modò ob eamdem degens, niſi ambo inquam Religioni priſtinæ valedixerint. Taceo, ut (quod vocant) Capitulum Anglicanum, & mihi ipſi, & per memetipſum, præfato eodem anno 1661. Aulæ Regiæ obtulerint, paratos ſeſe fore ad præſtandum vel in terminis illud ipſum Fidelitatis Juramentum Jacobinum, quod Paulus V. olim condemnaverat. Taceo quingentos alios Sacerdotes Anglos tunc fuiſſe in eamdem rem paratos; quotquot nempe ab eodem Capitulo dependebant. Et tamen neq; iſti Religionem aliam à Romano-Catholica profeſſuri erant. Quæ omnia quidem, ex momentis cauſæ Valeſianæ petita, ejuſcemodi argumenta ſunt, quæ clariſſimis vel noſtratium ipſorum factis oſtendunt, adeò Romano-Catholicos omnes illa Romanæ Aulæ decreta, quæ depoſitionem Regum cæteraq; ex iiſdem profluentia ſpectant, non probare, ut etiam Angli pariter & Hiberni, etiam ævo noſtro, etiamq; numero haud contemnendo reperti ſint, qui ea rejecerint palam ut impia. Cæterùm ſi hujus loci eſſet, injurioſiſſimum

Librum

Librum refutare: equidem non deessent argumenta alia, similiter vel in facto consistentia, & multò quidem plurima, & multò etiam notissima, ex omnibus penè Europæ Regnis. Occurrerent protinus, cùm de Monarchia Sicula, *&* Statu Veneto, *& Scholis, Curijs, Ecclesijs* Gallicanis, *tum de* Belgarum Placito *, praxi, etiam non modò* Hispanica *&* Germanica, *sed (extra Patrimonium S.* Petri *& reliquam Ditionem Pontificiam)* Italica, *quoad positiones quaslibet (inquam)* de Papali sive deponendorum Regum potestate, sive in alijs rebus quibuscumq; Jurisdictionum Supremarum Temporalium invasione, *quæ passim in Authoribus legi possunt. Quæ adeò mirum est vel Authori doctissimo ignorata esse, vel (quod longè verisimilius) cognita potius & obversantia menti, calamo tamen ejus non præscripsisse modum, non imperavisse claritatem, nec effeciss inquam, ut congrua seu disertis verbis expressione clara, distinctionem ac discriminationem eam significaret, quæ in rebus ipsis, in personis, in Ecclesijs* Romano-Catholicæ *communionis est.*

* Vide Librum cui titulus est *Jus Belgarum contra receptionem Bullarum Pontificiarum*, editione altera auctiori & correctiori, impressum Leodij M. DC. LXV.

Profectò examinantibus Librum illum ejus, istud manifestè constat, In tanta variotate medi-

mediorum, assumptionum, citationum, quibus (etsi spectato principali, tantummodò in pompam, speciem, atq; fucum) refertus est, nihil omnino, ne unum quidem argumentum reperiri, quod intentum principale probat. Quod hunc finem attinet, ubiq; aut supponit falsa, aut assumit impertinentia, aut certe non concludentia, velut præmissas ponit. Ubiq; sub nomine Ecclesiæ Romanæ, *notionem Ecclesiæ ejus particularis, quæ vel urbe* Roma *cum appendicibus quibusdam parvis, vel Territorio saltem temporali Pontificis intra Italiæ partem circumscribitur, cum ea confundit, atq; ad eam extendit quæ aggregatum omnium orbis Ecclesiarum Pontifici Romano utcumque in spiritualibus communicantium complectitur. Ubiq; solius Episcopi Romani imperium pro sensu ac fide Diœcesanorum, id est, fidelium ubiq; omnium subditorum accipit; idq; sive quæstio sit de particulari, sive de universali* Romana *(quam* universalem *ego distinctionis gratia* Romano-Catholicam *hic appello.) Ubiq; tum Conciliorum generalium Decreta ea quæ dicuntur* Morum, Reformationis, *ac* Disciplinæ, *tum Pontificij quoq; Juris placita etiam quævis exorbitantia, tum verò alias quaslibet Paparum decisiones, tum primo loco sive solius Papæ, sive Ecclesiæ ejus particularis Infallibilitatem (eandem scilicet quam* Gregorius VII. *inter Dictata Pontificia primus quod sciam eructavit,*

fine

vit, asservit, publicavit,) à Romano-Catholicis omnibus velut Dei ipsius oracula recipi, & supponit & expressè quidem atq; sæpius inculcat. Ubiq; etiam Concilia quædam, uti apud ipsos Oecumenica essent allegat, quæ tamen videre posset nedum à celeberrimo Joanne Launoio * Constantiensi Doctore Theologo diebus nostris, verumetiam olim ab eminentissimo Cardinale Polo vel in Synodo quidem ejus Londoniensi †, pro non Oecumenicis habita. Quinetiam & problemata cujuscumq; Scholæ, immò & Theologorum eorum, quantumvis pauciss imorum, quandoq; unius vel alterius forte, qui seu Censores seu Approbatores Librorum audiunt, censuras, approbationes, judicia, si Deo placet, Ecclesiæ Romanæ, immo eidem etiam quocunq; sensu acceptæ, adeòq; & universitati Ecclesiarum, hominumq; omnium totius Orbis Romano Pontifici communicantium, ascribit. Sileo ut octo vel novem diversis locis Librum Septimum Decretalium * pro Jure canonico citat. Qui tamen Li-

* Pars III. epist. ad Ludovicum Maræsium, pag. 565. Item epist. ad Claudium Amelinum, pag. 219.

† Concil. Labbei & Cossartij.

* Collegit hunc Librum, distinxitque ac digessit cum in varios Libros tum etiam in Titulos, ad imitationem scilicet Corporis Decretalium Gregoriani & Bonifaciani, *Petrus Maffeus* J. C. Lugdunensis.

bar

ber Septimus ut necdum canonizatus est, ac idcirco necdum Corpori Juris Pontificij ascriptus: ita consequenter nullam, saltem nullam sub ratione Juris canonici, *authoritatem ullibi in mundo habet, ne quidem intra Papæ ipsius territoria illa quæ præter ac prope* Romam *in ipsa Italia sunt. Cætera quoq; seu minoris seu majoris momenti errata, similiter præterea.*

Alterius enim generis duo illa sunt, quæ adhuc supersunt in isto opere vel præcipuè quidem observanda. Unum est, ut evincendæ contra Romano-Catholicam *ipsam, universè & propriè sumptam, gravissimæ accusationis non solùm difficultate sed impossibilitate visa, Reverendissimus Author, ne caperetur in sermone, succumbens tandem injustissimi propositi fato, cautionem eam vel Frontispicio quidem sive Titulari paginæ operis per parenthesim inserverit, porroq; novies aut decies postea diversis paginis atq; parenthesibus iteraverit, quæ apud intelligentes eversio plena totius ejusdem Libri est, quoad intentum principale, inquam. Certè ostendit vel Authorem ipsum penitus accusationi suæ diffisum, quâ Romano-Catholicam seu Romanam Ecclesiam, universè sumptam, petit. Enimverò, quidnam potius aut præterea significet, adeò cautè, sedulò, frequenter, diligenter tot parenthesibus, tot paginis à prima ad ultimam usq; Libri, addidisse reservationem hanc, quando, ubi, si realiter credita & practi-*

cata?

cata? *non video. Nec enim vir tam multæ lectionis ignorare poterat, non solùm* principia *sive dogmata illa vesanæ quæ non immeritò quidem persequitur, nusquam, à nullis profectò nisi à paucis admodum, comparatè sumptis, extra ditiones temporales Papæ, vel defendi, vel tolerari; verumetiam in alijs Nationibus ejusdem Ecclesiasticæ communionis, adeòq; & ejusdem omninò Christianæ seu Romano-Catholicæ Fidei, occasione data condemnari, & proscribi palam. Tantum abest, ut aut credantur, aut practicentur à* Romano-Catholica, *propriè*, i. e. *universè sumpta.*

Quæ si, quemadmodum veri amatorem deceret, Libro suo isto apertè, clarè, distinctè, Reverendissimus Author Lectores monuisset: atq; ita Dei ipsius monitioni pariter ac promissioni huic in Prophe-

Hier. 55. 19. *ta,* „ Si prætiosum à vili separaveris, quasi os meum eris, *attendisset: nescio quem haberet expostulatorem. Neq; enim aut è Siculis, aut è Venetis, aut è Gallis, aut è Belgis, Hispanis, Germanis, aut ex Hibernis ipsis Anglisue illis, de quibus ante, haberet quemquam. Ijdem omnes, quantumcumq; dissitarum Gentium* Romano-Catholici, *non minus quàm ipse dogmata illa, quantumvis* Romanæ Aulæ *& ejusdem assectarum sint, pro nefarijs, damnatis, impijs aversantur. Amplecten-*

plectentium verò easdem falsitates, ecquis revera nisi inverecundè, & nullo jure, & sibi quoq; eodem tempore contradicens expostularet? Quod Valesium *attinet, istud apertè profitetur, haud se videre, cur Catholico homini, Catholicorum in hac parte causam defendenti, non liceat nunc, illiusmodi falsitatis seu magistros, seu discipulos & sequaces, defensione sua excludere: quemadmodum* Justino *Martyri olim* (Apologia secunda pro Christianis) *tantundem licuit, quoad impios illos* qui appellabantur quidem communi nomine Christiani, *erant autem* Marcionis, Valentini, Basilidis, *atq;* Saturnini *sectatores. Nam isti nostrorum temporum corruptores, etsi non eadem cum antiquis illis hæreticis, alia tamen cum Verbo Dei scripto & Sanctorum Patrum traditioni repugnantia, tum blasphema omnino & impia & stulta docent; ac ita sanè pertinaciter, ut sectam quandem longè odiosissimam, longèq; periculosissimam in Ecclesia ipsa* Romano-Catholica *faciant. Quare si Reverendissimus Author, non tempori malo inserviens, in istosce noxios duntaxat criminationem suam intendisset: si non ex æquo innoxios quoq; in eadem damnatione involvisset: si notiones Romanæ* particularis *& Romanæ* universalis, *seu* Romano-Catholicæ, *non confudisset: si quæ in una quidem,* id est, Romana particulari, *aut credita aut practicata sunt, illa inquam*

Papiſmi ejus principia, *cæteris omnibus Eccleſijs quæ cum eadem particulari (non in principijs iſtis, ſed) in divina fide, ſacramentis, ritibus, alijſq; licitis & honeſtis communicant, non imputaſſet: ſi pro parte ferè minima totum ingens, aut pro numero, centenario forte minore myriades, nec myriades modò, ſed milliones omnis tam ævi quam generis hominum non ſuppoſuiſſet, traduxiſſet, expoſuiſſet equidem vel humani ipſius generis odio, idq; etiam abſq; ulla prorſus cauſa quæ juſta eſſet: denig;, ſi contra potius, uno verbo,* pretioſum à vili ſeparaviſſet; *quemadmodum ſanè æquum erat, præſertim verò in Eccleſia tam longè latèq; diffuſa: adeò* Valeſium *non haberet expoſtulantem, ut, quoad* principia iſta Papiſmi ejus, *vel Eccleſiam ipſam* Romano-Catholicam *(certè pro famoſiori ſignificato acceptam) in omnibus planè aſſentientem haberet.*

Alterum porrò, ceu obſervatione tua præcipua quod dignisſimam reor, eſt inſignis ejuſdem Operis multò quidem inſigniſſima coronis. Poſtquam enim Reverendiſſimus Author centum triginta quinq; paginis, nullum non moviſſet lapidem, quo Lectori perſuaderet, principia *ſeu* poſitiones *illas* Papiſmi ſui, *non privatorum nec; paucorum hominum particularium, ſed ipſius* Romano-Catholicæ *doctrinas eſſe: demum, pagina* 136. *quæ ultima Libri eſt, colophonem hunc extremis lineis addit.* Ut

concludam

concludam (*inquit*) ſi Sacerdos iſte, ſive Papiſta nobilis, cujus tu mentionem facis, qui tam confidenter negat Eccleſiam Romanam ejuſcemodi poſitiones approbare, qualium eam inſimulavi, poſſit oſtendere, vel quod ſubleſta fide Authores citaverim, quæq; citata ſunt in ijſdem locis non reperiri: vel quod eorum ſenſa non intellexerim, aut malè reddiderim: vel (ſi neutrum poſſit) quòd Eccleſia Romana ſive Acto ſive Declaratione quapiam publica, eaſdem poſitiones aut tamquam ſuas non agnoverit, aut tamquam erroneas, &(quales revera ſunt) impias condemnaverit: ego per præſentes ei promitto me futurum (quod tamen ſpero numquam fore) unum ex peſſimo genere Chriſtianorum Mundi, Romano-Catholicum ſcilicet. *Ubi, ut imprimis comparationem ejus eximiam non morer; neq; ab eo quæram, Inter peſſimas Religiones mundi Chriſtianum nomen aſſumentes quoto impietatis, quoto malitiæ gradu cenſet vel* Arianiſmum, *vel* Neſtorianiſmum, *vel* Macedonianiſmum, Sabellianiſmum, Photinianiſmumve: *aut* Socini *Itali, aut vel* Trepidantium *noſtrorum blaſphemias? Anve omnibus iſtis cum Salvatoris Chriſti divinitatem, tum tri-unius Dei myſterium irridentibus, revera credit* Romano-Catholicam *religionem poſthabendam? Ut præterea neq; morer,*

BIBL. CANT. ACAD.

ipſum, hic ſimiliter, ad extremam uſq; lineam & dictionem, Lectoribus ſuis ambiguitate iſtarum vocum complexarum, Romanam Eccleſiam, & Romano-Catholicam Religionem, *pro virili ſua imponere. Ut hæc non morer, inquam: illud duntaxat in præſens annotavero, Quàm equidem vel in offerendis iſtiſce ipſis conditionibus, etſi adeò in ſpeciem æquis, oſtendit ſe, quam ab initio Operis induit Lectoris ritè & penitus inſtruendi incuriam, ad ultimum uſq; perſequi & tenere. Quámq; adeò cautè conditionem ſive disjunctionem ejuſcemodi ullam quæ ad rem eſſet, exempli gratia iſtam*, Vel ſi queat quis oſtendere intentum Operis non ritè è citatis Locis evictum; ſeu inde non concluſum evidenter, aut ſaltem probabiliter, Eccleſiam Romanam, etiam pro famoſiori ſignificato acceptam, poſitiones illas tamquam ſuas agnoſcere: *quàm cautè, inquam, quàm ex induſtria, quàm prudenter certè, ſolam iſtam aut ſimilem disjunctivam, quæ ad rem eſſet, omiſerit inter alias ſuas offerre. Nimirum, perſpicaciſſimi ingenii Scriptor optimè animadverterat, è ſola disjunctione ſive conditione hac oblata ſequuturum, ut neceſſe ipſi foret, vel promiſſioni ſuæ nequaquam ſtare; vel profectò, Religionem eam amplecti, quam, inter omnes Chriſtianas mundi, peſſimam eſſe, ipſe etiamnum declaraverat. Sed hæc pro merito pluribus animadvertere,*

vertere, alterius loci, otij, atq; temporis, ut alterius etiam linguæ, fortaſſis erit. Interim habes Lector, quod inſtitutum meum in præſentia ſpectat. Habes ad quæſtiones tuas Valeſij *reſponſa: quæve ipſi mativa fuerint ad Opuſculi hujus editionem, vel nunc temporis inquam, & in Anglia ipſa quidem ut fieret, procurandam. Inter quæ revera neſcio, an non primum (ſcio quod non poſtremum) locum habuerit illud ipſum* Reverendiſſimi Lincolnienſis, *quod partim jam deſcripſi, elaboratum opus.*

Admonendus proximè es, quæ Libellum hunc ſive Opuſculum compegunt, Epiſtolas ipſius Valeſij *tres, una cum breviculo uno ad primam reſponſo (& priores quidem duas ad* Reverendiſſimum Gulielmum Herinx Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Commiſſarium Generalem Belgicum & Iprenſem Electum; *poſtremam verò ad* Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D. D. Sebaſtianum Antonium, Comitem Tanarium, Abbatem Sanctæ Mariæ, Protonotarium Apoſtolicum, de numero participantium, ac Internuncium Apoſtolicum in partibus Belgij, *datam) etſi in Opere ejus fuſiori Apologetico, ſi quando iſtuc per Dei gratiam prodibit, non parvam modo ſed extremam quoq; partem occupaturæ ſint: hic tamen eaſdem ſolas idcirco dari cùm quod ad manum ita paratæ eſſent, ut ne reviſione quidem*

dem haberent opus; tum quod vel ſolæ profectò abſq; partium Reliquarum, aut cujuſcumque earum ope, affatim ſufficere poſſint Viro illi Reverendiſſimo (de quo ſuperius) Ignatio Broyer, *ſive informando ſummarie, ſive etiam plenius inſtruendo, qua neceſſe eſt, in ijs quæ* Valeſij *excommunicationis cauſam attinent.*

Tertio loco velim animadvertas, ut, quo nihil ad intellectum eorum ſeu de quibus præcipuè tractatur, ſeu ad quæ nonnumquam refertur, ſeu etiam quæ aliunde (velut ex Declarationibus nuperis Gallicanis) momentum aliquod Valeſianæ cauſæ *addunt, deſiderari queat: poſt Epiſtolam Tertiam, adjecta eſt Inſtrumentorum plurium Appendix. Quorum illud ſanè oportebat primum eſſe, uti eſt, quod totius controverſiæ, totius litis, commotiq; adeo vehementer, adeò inexorabiliter in* Valeſium *Romanæ Aulæ Miniſtrorum furoris, ab anno Domini* 1661. *& vera & unica quidem cauſa fuit:* Remonſtratio *nempe illa, quam eodem anno & ex parte, & ſub nomine totius* Romano-Catholici Hiberniæ Cleri utriuſq; Secularis atq; Regularis, *Majeſtati Regiæ* Valeſius, *tunc eorum Procurator, qua par erat ſincera fide præſentaverat. Secundum eſt quod* Valleſolitani *Patres, in Comitijs ſuis Generalibus ex univerſo Orbe congregatis, anno* 1670. *decreverunt, ediderunt q; typis, ac porrò etiam diſperſerunt per*

Euro-

Europam, Decretum illud iniquiſſimum, cui titulum voluerunt eſſe, Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum Seraphici Patris Franciſci, celebrati Valliſoleti in Feſto Pentecoſtes, die 24. Maij, 1670. in cauſa Fratris Petri Valeſij & ſuorum Sequacium. *Tertium faciunt Sex propoſitiones* Pariſienſes *anni* 1663. *cum* Ludovici *Regis Chriſtianiſſimi* XIV. *declaratione præfixa. Quartum verò ſimiliter facit nuperrima Quatuor vel Quinq; articulis comprehenſa* Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica poteſtate Declaratio, *anni* 1682. *cum annexo itidem præfati Regis Edicto. Quintum eſt, quod* Jacobi *Regis Lege an. lata præſtari debet in* Anglia *& Hibernia, non* Supremitatis *quidem, ſed* Allegiantiæ, *id eſt fidelitatis in temporalibus, juramentum: ipſumq; uti jamdudum* 1609. *ex* Anglicana *lingua, in Libro cui titulus eſt, Triplici nodo triplex cuneus, ſive* Apologia pro Juramento Fidelitatis, *in latinam fideliſſime tranſlatum erat. Sextum, quodq; eodem ſpectat, nuperrima Quæſtio eſt* Pariſijs *circa prædictum ipſum* Allegiantiæ *ſive Fidelitatis juramentum, ex parte Catholicorum Angliæ Doctoribus* Sorbonicis *propoſita, & ejuſdem Quæſtionis Reſolutio per eoſdem Doctores facta, ac propriorum quidem nominum ſubſcriptionibus confirmata, diebus nona & decima ſexta Auguſti, an. Dom.* 1680. *Denicq; ultimum In-*

ſtrumentum facit Reſolutio celeberrima doctrinalis ea quam hoc ipſo anno M.DC.LXXXIII. *die Maij* 18. Sorbonici *dederunt ſuper propoſitione quadam ex Decreto nupero & famoſo Primatis* Hungarici *extracta.*

Quorum quidem Inſtrumentorum, tertium & quartum ſpecialiter eo fine prioribus hic annexui, ut videant æquiſſimi Judices mei, ſeu Romani, ſeu alij quicumq; ſubordinati, quàm rectè, ſanctè, Chriſtianè, quàm abſq; vel reſpectu perſonarum, vel ſtudio partium, vel timore hominum, ſed ſolius Catholicæ Religionis vindicandæ zelo ducti, Hibernos Remonſtrantes *tam ſeverè, totq; annos tam continenter, eoq; ſolummodo* Remonſtrantiæ *titulo, perſequuti ſunt;* Valeſium verò, *inter ipſos, maximè & acerrimè quidem, vel diris etiam omnibus caput ejus devovendo, nomenq; adeò ejus velut execrati & excommunicati Eccleſiarum affigendo valvis: cum tamen eo ipſo tempore, quum deinceps ad hanc uſq; diem atq; horam Cenſores ijdem integerrimi & cum Authoribus prædictarum ſex propoſitionum, & cum Declaratoribus ſubſequentium quinq; articulorum, atq; adeò & cum Eccleſijs, Academijs, Curijs, Parliamentis, populo, Clero, Rege ipſo Galliarum* Ludovico XIV. *non tantùm in humanis, verumetiam in divinis quibuſlibet communionem habeant. Ecquis autem non diſcernit, quanto* Remonſtrationem illam Hibernicam *propoſitiones*

positiones ac Declarationes istæ Gallicanæ *superant? Quanto, nimirum quoad ea quæ Romanorum auribus, quæ Pontificiæ Aulæ imprimis equidem ingratissima pariter atq; odiosissima, immò nonnulla eorum & terribilia & horribilia semper erunt? Quanto, Pontificis Maximi & infallibilitatem in definiendo explodi, & independentiam in gubernando, & neq; potestatem ipsius ullam esse* vel ad deponendum *quidem* Episcopum *contra Ecclesiæ* Gallicanæ *canones, palam & aperte asseri? Quanto, valere atq; immota semper consistere Oecumenicæ Synodi* Constantiensis *decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quarta & quinta continentur? Quanto, nec probari à* Gallicana Ecclesia *qui eorum Decretorum, quasi dubiæ sint authoritatis ac minus approbata robur infringant, aut ad solum Schismatis tempus Concilij dicta detorqueant? Quanto, Apostolicæ potestatis usum moderandum per canones spiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conservatos? Quanto demum, Valere etiam regulas, mores, & Instituta à Regno & Ecclesia Gallicana recepta, Patrumq; terminos manere inconcussos, &c? Tanto certè necesse est hæc omnia & singula* Gallicani Regni *Scholarum, Tribunalium, Ecclesiarum* Decreta, *Romanæ Aulæ graviora esse quàm ulla omnino* Hibernicæ *illius* Remonstrantiæ *contenta: quanto Ecclesiasticarum rerum, sive Spiritualium*

alium, quæ talia pure ſunt, adminiſtratio Pontifici Romano vel maximam partem adempta, vel maximopere diminuta, quàm Temporalium Jurium quorumcumq; in coronas Regias præterſorum ſive abnegatio ſive abjuratio quævis, Papatum ipſum multo ſanè & intimius pungit, & periculoſius concutit. Et tamen ob iſta ſola, per Judices illos æquiſſimos ac ſanctiſſimos, Valeſius *homo* Hibernus *à fidelium Communione pellitur: quamquam ita nemo* Gallus, *neq; ob iſta, neq; ob illa quidem, neque verò ob utraq; ſimul. Quid, quòd totos jam viginti annos integræ, ſalvæ, intactæ adhuc à* Romanis *manent, propoſitiones illæ ſex, quas vocant* Pariſienſes? *Quod ne cenſura quapiam hactenus, ne vel minima (inquam) notatæ ſunt, ne (quod audiam) vel in ipſo quidem Supremo Inquiſitionis Tribunali* Romæ? *Quid, quòd neq; Sanctiſſimus D.* Innocentius XI. *ipſe, qui tam incomparabili zelo, tam irrefragabili conſtantia Eccleſiæ Univerſalis jura impræſentiarum tuetur, etſi, ut Pontificem Maximum decuit, cum Eccleſiæ Gallicanæ Patribus nuper in* Regalium *Cauſa non minus Apoſtolicè quàm graviſſimè expoſtularit: attamen contra præfatam eorum* de poteſtate Eccleſiaſtica declarationem *ne verbum unum? Quidq; adhuc, quòd in Doctores illos ipſos* Pariſiorum *Scholæ Theologos, quinquaginta novem, qui etiam nuperrimè, hoc eſt anno* 1680. *Juramentum*

mentum Anglicanum, sive Jacobinum, *& Allegiantiæ quod vocant, illud ipsum videlicet olim à* Paulo V. *reprobatum, approbarunt, Sanctissimus idem Dominus ac Pontifex Noster* Innocentius *neq; succenseat, neq; moveatur quidem. Tantùm abest ab eorum spiritu qui non tantum ad instar illorum in Evangelio,* ignis de cælo ut descendat, consumatq; *approbatores istos, sollicitant in urbe; verumetiam & in Anglia, & eodem tempore (tempore, si quod umquam fuit, importunissimo) Catechismos, & ejuscemodi inquam Catechismos edunt, distribuunt, publicant, quibus reapse nihil spectatur, imò nihil docetur, nihil continetur, quàm (si Deo placet) ejusdem Juramenti condemnationem vel partem quidem facere ipsius etiam Religionis divinæ.*

Quarto, id quoq; animadvertas precor, ut, in epistola mea prima ad Reverendissimum Herinxium, *quæ dicuntur pagina* 13. *de* Occamo, *illo scilicet cum famosissimo* Nominalium *Principe, tum religiosissimo Instituti nostri professore, haud eò à me intenta esse, ut in controversia quæ aut* Nitelæ Franciscanæ *aut* Annalibus Waddingi *est cum* Bzovio *circa viri illius celeberrimi statum in articulo mortis, seu an vel tunc, vel ante aliquando post* Ludovici *Imperatoris* Bavari *decessum, ab Excommunicatione Pontificia solutus fuerit, nec ne? vellem affirmatè quidquam*

quam ſtatuere. Iſtic loci, & in ea parte, Annales Bzovij *ſequutus ſum; quod Authores alij quos conſulerem, ad manum non eſſent. Cæterùm, quod propoſitum ipſum iſtius loci attinet, haud profectò neceſſe erat controverſo quopiam exemplo uti. Nam, ut præteream alia, quæ praxis nota eſt tot millium Catholicorum pietate ſumma, ſpe firma, charitate divina, in multis* Europæ *partibus & viventium & morientium abſq; ſcrupulo excommunicationum* Bullæ Cœnæ *(quibus tamen, ſecundum doctrinam Romanæ Curiæ devotorum, ſubjacent) rem iſtam extra omnem controverſiam ponit; certè apud timentes Deum & ſapientes quoſlibet. Neq; enim Inſtantiæ hujus perquam notiſſimæ aut robur quiſquam fregerit, aut ulla parte elevarit vim, vel dicendo quidem, aliam eſſe rationem cenſuræ ejus qua nominatim quis per ſententiam criminis declaratoriam, ſive (ut loquuntur)* denuntiationem *ad Eccleſiæ valvas affixam, à Judice percellitur: aliam ejus quæ necdum* ab homine *ſive Judice declarata eſt; tametſi lege, aut præcepto, ſive generali ſive ſpeciali, fulminatam eſſe conſtet. Differentia iſta, quod excommunicatos ipſos ſpectat, ſolummodò externum Eccleſiæ forum reſpicit, non verò internum animæ, nec poli aut Dei tribunal ullo modo. Hic perinde eſt Cenſuram ex ſententia* hominis *denuntiatam, nec ne fuiſſe, modò revera contractam, aut*

modò

modò inquam vel lege vel præcepto, claveq; non errante, inflictam liqueat. Quare, ſi in particulari illa Gulielmi Occami *inſtantia erratum à me eſt, ſequendo* Bzovium: *hac alia multo generaliſſima, utpote quæ millenas particulares abſq; dubio complectitur, pro errore eo, quoad propoſitum loci, abundè compenſatum vides. Quamquam interea, etſi (iterum inquam) in illa ipſa à* Bzovio *erratum eſt, neſcio cur non iſtud quoq; adjicere liceat: nimirum, Ex ſubmiſſione hominis moribundi, hominiſq; adeò non amplius ejuſdem ſani, vegeti, virvidi, firmi, conſtantis, valentiſve, ſed omnino alterius, & ægri & infirmi, & imbecillis, ac deſtituti omnibus, maximam ſaltem partem, cum corporis tum animi viribus; eademq; porrò, ubi etiam circumſtantiæ omnes ipſius cauſæ prorſus mutatæ erant, (quippe,* Ludovico *illo* Bavaro *jampridem vita functo) vel extortæ vel utcumq; obtenta, non rectè colligi viri illius longè doctiſſimi, & pijſſimi de re integra judicium. Utut res iſta ſit, illud incidenter monuero, Neq; ex* Waddingo, *neq; ex* Dermitio *illo* Thaddæi, *qui præfatæ* Nitelæ *Author eſt, nec Tritheмio quidem, nec* Bzovio *ipſo, quemadmodùm neq; ex ipſa vel Submiſſionis vel Abſolutionis præſcriptæ forma, quam* Waddingus *refert, apparere cauſam excommunicationis* Occami *fuiſſe doctrinam ejus ſive de independentia Regum* in temporalibus *à Pontifice,*

fice, ſive de præeminentia authoritate Concilij in ſpiritualibus *ſupra Pontificem, ſive etiam vel de jure quidem appellandi à Papa ad Concilium Oecumenicum.* Joanni XXII. *qui excommunicarat eum, aliæ cauſæ Cenſurarum longè ſpecioſiores erant. Nempe, quòd contra triginta duos errores ejuſdem* Joannis, *Librum edidiſſet. Quòd, in Romanæ Eccleſiæ Schiſmate* Petro de Corbario *(in Idolum ſcilicet Pontificium, à* Ludovico *Imperatore, erecto) adhæſiſſet. Quod duabus etiam* Extravagantibus *illis* de paupertate Chriſti & Apoſtolorum *editis, quas modò in Corpore Juris videre licet* *, *repugnaviſſet.*

* Extravag. Ad conditorem Canonum. Et Extravag. Cum inter nonnullos.

Habentur inter Extravagantes Joannis XXII. *de verb. ſignific. cathol.* cap. iii. & iv.

*Quinto ſimiliter exoratum te cupio, ut quæ dicuntur epiſtola tertia (*pag. 244. *non modò in* Alexandrum VII. *ſed in* Gregorium *quoque* VII. *ſi te offendunt, advertas tamen paululum ad rationes meas.* Alexander VII. *ævi noſtri Pontifex, Bullam dedit* Romæ 27. Aug. *an.* 1655. *ad* Rapotenſem, Leghlinienſem, Clonfertenſem, & Corcagienſem, *Epiſcopos Hibernos* Rinucciniana-rum *partium. Qua profecto Bulla, ut iiſdem quatuor, atq; in ſolidum ſingulis velut ſpecialibus Delegatis, authoritatem ſuam Apoſtolicam*

ſtolicam impertivit ad abſolvendum in forma Eccleſiæ conſueta *cæteros contrariarum partium Hibernos omnes tam Laicos quàm Eccleſiaſticos à Cenſuris* Rinuccini: *ita nihil aut* Supremo *olim* Hiberniæ Concilio, *aut* Comitijs generalibus, *aut Populo* Fœderatorum *univerſo, quocunq; & quantocunq; numero erant trium iſtiuſce Regni Provinciarum,* Lageniæ, Momoniæ, Conaciæ *(præter quartæ ipſius,* i. e. Ultoniæ *magnam partem) incolæ, qui in Appellatione à præfatis cenſuris ad* Innocentium X. *facta comprehendebantur, nihil inquam ipſis omnibus quod injurioſius eſſet neq; Sedes Apoſtolica, neq; Pontifex ejus Maximus poterat vel dediſſe vel impertiviſſe unquam.*

Primò, quoniam ex falſiſſima ſuggeſtione, atq; ad inſtantiam unius partis tantum, nemine pro altera, i. e. *Appellantium parte, aut præſente aut vocato, in eadem Bulla ſupponit* Alexander, *idq; velut unicum fundamentum emanationis ſive conceſſionis ejus factæ, nec ſupponit modò ſed innuit ac ſignificat, & expreſſis quidem clariſq; verbis iſtis,* Cum, ſicut accepimus, felicis recordationis Innocentius, *&c. planè ſignificat, adeoq;, & quadantenus declarat,* Innocentium X. *ſententiam in præfatæ Appellationis cauſa tuliſſe contra Appellantes: Vel, quod tantundem eſt, Appellationem ipſam* rejeciſſe tanquam frivolam. *Quod tamen contra profectò erat.*

Neq;

Neq; enim Sanctiſſimus ille Pontifex Innocentius *cauſam iſtam pro alterutra parte determinavit: nimirum Gubernio ac ſtatu* Hiberniæ *per* Pacem *anni* 1648. *quin etiam & per* Cromwelli *arma prorſus mutato, ut paulo poſtquam* Romam *appulerat* R. A. P. Joan. Roe *Carmelitarum Diſcalceatorum in Hibernia Provincialis & Supremi fœderatorum Concilij ad eundem Sanctiſſimum D.* Innocentium *in eadem Appellationis cauſa Procurator: ita ſanè priuſquam Nuncius ipſe* Rinuccini *in reditu eò vel prope quidem acceſſerat. Immò certè adeò procul fuit idem Sanctiſſimus à determinatione ejuſcemodi contra Appellantes, ut multo tempore præfatum* Nuncium Rinuccini, *quamquam variarum Principum literis favorabilibus recommendatum, noluerit ad præſentiam ſuam admittere: & cum admiſiſſet tandem, non alijs Verbis eum receperit quàm his pauciſſimis & graviſſimis,* temerariè te geſſiſti. *Atq; ita ad Epiſcopatum ſuum amandatus eſt extemplo* Rinuccinus: *ubi paulo poſt diem ſuum extremum obijt. Ita vero ſe res iſtas habuiſſe, mihi ipſi in urbe* Liminicenſi *reverſus* Roma *prædictus Procurator, anno circiter* 1651. *in fide viri boni retulit. Adde, quod ſi aliter eveniſſent, aut ſi ejuſcemodi ſententiam* Innocentius *ullo tempore protuliſſet, Adverſarij Appellantium utiq; exemplum ejus aliquod vel ſimul cum ſua Bulla* Alexandri *ſubreptitia,*

ticia, vel ſaltem aliquando poſtea jam dudum edidiſſent.

Secundò, quoniam injuriæ iſti graviſſimæ, hanc etiam porrò in eadem Bulla adjicit Alexander, *ut* in forma Eccleſiæ conſueta, *&c. adeoq; non conditionatè, non ad cautelam inquam, ſed abſolutè, ſed velut certo certius anathemate vincti, porrò autem & jacentes proni, & nudatis ſcapulis, flagellatiq; virgis, præſtito itidem ante omnia juramento de parendo mandatis ulterioribus Eccleſiæ Appellantes illi miſeri, nec unà quidem omnes, ſed ſeorſim ſinguli abſolverentur. Atq; ita quidem æquiſſimè ſe geſſit* Alexander VII. *an.* 1656. *erga afflictiſſimam* Hibernorum *gentem. Idq; non alia quapiam cauſa, quàm quòd anno* 1648. *ſcilicet dum adhuc fœderati erant, pacta ſolemni fide & conventis æquis liberiſq; cum Barone* Inchiquinio, *tam alterius Communionis viro, armorum Interſtitia, non ad mandatum Nuncij Apoſtolici præfati, non intra decendium quidem proximum, non contra (licet) ipſarum Gentium jura temeraviſſent, rupiſſent, ac violaviſſent quidem penitùs ex omni parte. Seu (quod eodem redit) quòd iſtam viam iniiſſent cum ad ſalvandum ſe ab hoſtibus, quibus unà junctis non erant pares; tum ad valedicendum rebellioni, redeundumq; adeò ad obedientiam priſtinam atq; fidelitatem quam debebant Regi, quamq; ex divinis humaniſq; le-*

gibus oportebat eos Majestati suæ præstare.

Præterea idem Alexander *an.* 1662. *in Hibernos* Remonstrantes *pari injustitia decrevit. Quippe qui eodem anno, si fides Internuntio Bruxellensi* Hieronimo de Vecchijs *præstanda est, non tantùm reprobavit ipsorum fidelitatis professionem,* Carolo II. *Regi suo clementissimo, ea formula quæ* Remonstrantia Hibernorum *vulgò dicitur factam; sed expressis verbis, mandatisq; ad eundem Internuncium suum in partibus* Belgij *residentem, declaravit eandem Formulam* ad instar pullulantis Hydræ, continere propositiones convenientes cum alijs à Sede Apostolica olim reprobatis, signanter à felicis memoriæ Paulo V. per Constitutionem in forma Brevis; & nuper an. 1648. in Congregatione specialiter commissa ab Innocentio X. *adeoq; & persecutioni isti, quæ ab illo tempore in ejusdem Formulæ subscriptores Theologos ad præsentem usq; diem grassata est, initium dedit. Quamquam neq; hic profectò alia subesset quæ moveret eum causa, quàm quòd ijdem* Remonstrantes *obedientiam atq; fidem Regi suo Optimo* in rebus tantum temporalibus, *non obstante quavis Pontificis Maximi vel prætensa potestate*

Vide *Caroni* Remonstrantiam Hibernorum Part. 1. pag. 6. & *Valesij* Histor. Remonstr. Par. 1. pag. 16. ubi epistolam hanc ad longum habes.

*poteſtate, vel cenſura, promiſiſſent ſeſe obſervaturos. Cæterùm, ac tametſi hujus loci non ſit, incidenter tamen animadvertes, quòd quemadmodum vel ſecundum ipſa Jura Pontificia *, anterior illa* Alexandri *Bulla nulli Appellantium præjudicio eſſe debeat, ne in alterutro foro quidem: ita ob multiplices irrefragabileſq; rationes alias (quas ad longum videre licet cùm in doctiſſimo Opere Latino R. admodum* P. Caroni *contra cenſuram* Lovanienſium *edito, tum in meo ipſius Anglicano † contra quatuor præcipua ejuſdem Cenſuræ fundamenta) neq; poſterior iſta ejuſdem Pontificis ſententia ulli* Remonſtrantium *apud ſapientes viros poteſt eſſe.*

* Cap. ſuper literis. de Reſcriptis.

† Hiſtoria Remonſtrantiæ intituletur.

De Gregorio VII. *quæ eodem loco Epiſtolæ 3. (Pag. 344.) ſpecialiter obverſabantur menti meæ alia duo vel tria, ſed multo quidem maxima & famoſiſſima, hæc erant.*

Primum, quod primus Author fuerit idem Gregorius, *idq; poſt mille annos æræ Chriſtianæ priores, invecti in orbem exempli peſſimi, adeoq; & doctrinæ in eo fundatæ; ſcilicet virtute clavium cœleſtis Regni, cum excommunicandi civiliter (excommunicatione inquam non Evangelica, ſed Canonica, ſed*

anathematizante atq; exterminante) tum deponendi sententialiter, dejiciendiq; prorsus ab Imperio terreno & potestate quavis temporali Principes, Reges, & Imperatores ipsos maximos Christiani Orbis. Quòdq; in isto novo, planèq; obstupescendo, incæpto, ita inexorabiliter perseveraverit, ut non tantùm quatuor diversis & temporibus & Episcoporum quorundam (licet paucissimorum) Synodis in eum finem coactis, quatuor diversas excommunicationis majoris sententias, duasq; etiam solemnis depositionis in Henricum III. *Imperatorem, Dominum suum ipsius in terra Supremum, & per omnia Christianum quidem & Catholicum, fulminaverit: sed per duodecim annos (nec enim plures erant Pontificatus ejus anni) bello, armis, exercitibus, effusione sanguinis, & ingenti hominum laniena ubiq; per* Germaniam, *per* Italiam, *in Urbe ipsa, Romani Imperij populos in perniciem mutuam ita incenderit, concitaverit, ut jam de Imperio penè actum videretur: armatis non modò subditis alijs in* Henricum illum, *sed etiam filijs proprijs: Et altero quidem Imperij ejus Thronum invadente, & sanguinolenta acie contra eundem Patrem suum decertante, ac profligante tandem ipsum unà cum universis Copijs; immò & comprehensum postea carceribus mancipante ad extremam afflictissimæ vitæ horam.*

Secun

Secundum, quod in ipso quidem primo Pontificatus ejus anno, mox ubi electus erat, & prinsquàm sanè aut consecrationem Episcopalem aut Imperatoriam confirmationem habuisset, ad omnes Principes, in terram Hispaniæ *proficisci volentes, recuperatum eam scilicet ab Infidelibus Mauris, Judæis atq; Saracenis, Epistolam quandam generalem dederat, ex qua clarissimè liquet, Pontificem hunc Sanctissimum apud se statuisse potius authoritate Apostolica profectionem eam impedire, quàm ullo modo promovere, nisi primùm apud se* pactione æqua *Principes illi statuerent suprema jura S.* Petri *temporalia, quæ ille in Regnum istud velut ab antiquo debita vendicabat, præservare, atq; adeò Sedi Apostolicæ uti Supremæ ejus Dominæ in annos singulos tributum pendere. Unde consectarium est, ni fallor, multo magis ei fuisse cordi pomœria æternæ urbis temporalia, ut Pontificatui subjecta, in longinquas etiam Nationes proferre, quàm spiritualibus, quàmve Infidelium conversioni aut saluti animarum intendere. Quod tamen ut Pontificem Maximum, & Sanctissimum decuerit, haud video sanè. Attamen ne videar imponere quidquam* Gregorio, *præsertim in re momenti tanti: vide hic in margine *, si placet, ex* Baronio ipso, *ad annum Christi* 1073. *Epistolam illam ipsam integram.*

* Baron. ad Annum Christi 1073. *Gregorius* in Romanum Pontificem electus, omnibus Principibus in terram *Hispaniæ* proficiſci volentibus, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Non latere vos credimus, *Regnum Hiſpaniæ* ab antiquo proprij juris Sancti *Petri* fuiſſe, & adhuc (licet diu à Paganis ſit occupatum) lege tamen juſtitiæ non evacuata, nulli mortalium ſed ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere. Quod enim authore Deo ſemel in proprietates Eccleſiarum juſtè pervenerit, manente eo abuſu quidem ſed ab earum jure occaſione tranſeuntis temporis ſine legitima conceſſione divelli non poterit. Itaque Comes *Evulus de Roccio*, cujus famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, terram illam ad honorem S. *Petri* ingredi, & à Paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab Apoſtolica Sede obtinuit, ut partem illam, unde Paganos ſuo ſtudio, & adjuncto ſibi aliorum auxilio, expellere poſſet, ſub conditione inter nos facta pactionis, ex parte S. *Petri* poſſideret. Qua in re & labore quicunque veſtrum ſibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu commonitus, erga honorem S. *Petri* talem animum gerat, ut ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia ſecurus accipiat.

Si autem aliquis ex vobis, ſeorsùm ab illo, proprijs copijs eandem terram aliqua in parte intrare paraverint; decet ut militiæ cauſam ex animi devotione quàm juſtiſſimam ſibi proponant, jam nunc omni voto concipientes, & ex corde ſtatuentes, ne capta terra, eaſdem, quas illi qui nunc Deum ignorantes eam occupant, injurias S. *Petro* faciant. Hoc enim neminem veſtrum ignorare volumus: quoniam niſi æqua pactione perſolvendi juris S. *Petri* in Regnum illud animadvertere ſtatueritis; *potius vobis Apoſtolica authoritate, ne illuc tendatis, interdicendo, contra feremur, quàm Sancta & univerſalis Mater Eccleſia idem à filijs ſuis, quod ab hoſtibus, patiendo, non jam proprietatis ſuæ, ſed filiorum*

filiorum detrimento ſaucitur. Quamobrem hunc dilectum filium *Hugonem* & Cardinalem S. Romanæ Eccleſiæ præsbiterum in partes illas miſimus, in cujus ore noſtra ad vos conſilia & decreta plenius, apertiuſque diſſerenda ac vice noſtra diſponenda poſuimus. Datum Romæ, 2. Kal. Maij, indict. undecimæ.

Tertium, complexio erat dogmatum illorum ejus quindecim, quæ uno nominè Dictatus Papæ, *alio* Regulæ breviores Gregorij, *in Authoribus vocantur paſſim.* Baronius *illa habet ad longum; nempe ad Annum Chriſti* 1076. num. 31.

Et hæc tria quidem, ea ſola ſunt quæ de Gregorio VII. *ut priora duo tantùm ea ſimiliter erant quæ de* Alexandro VII. *obverſabantur menti meæ dum ea ſcribebam in Epiſtola mea tertia ad Illuſtriſſimum* Sebaſtianum Antonium, *quæ cauſam huic animadverſioni dederunt.*

Nolo enim id de me cenſeat ullus, quod revera non erat, quaſi reſpexiſſem ibi vel ad Cardinalis Bennonis, *vel ad alterius cujuſpiam Authoris Scripta, ceu in alijs rebus quibuſlibet* Gregorium *perſtringentia. Procul eram ab ejuſmodi cogitatione. Nec ſanè ad propoſitum meum fuit, alia quæpiam ejus errata ſive doctrinæ, ſive vitæ, aut vera aut falſa, iſtic loci recogitaviſſe.*

Præterea ſcivi eum à Succeſſoribus Divorum Albo adſcriptum, adeòq; & pro ſancto

Romæ *coli. Neque id non cogitavi, ut ea tempora erant, potuisse* Gregorium *præ nimio divinæ domus zelo, ex ignorantia planè invincibili errores suos (licet maximos) per totam vitam erravisse. Pœnitentiam quoq; ejus in extremis, legi. Deniq; in casu ejuscemodi vel ignorantiæ, vel pœnitentiæ (quanto magis utriusq; contingentia?) ecquis ego eram ut infinitæ Dei misericordiæ modum ponerem? maximè cum (præter alia multa)* Cypriani *illius* Carthaginiensis *martyris glorioſissimi exemplum, immò cum Pauli ipsius Apostoli de semetipso testimonium præ oculis haberem.* Qui prius blasphemus fui, & persecutor, & contumelioſus: sed misericordiam Dei consequutus sum, quia ignorans feci in incredulitate, *inquit divinum illud electionis*

1 Tim. 1. 13.

vas, ad Timotheum *scribens.*

Igitur non Gregorium VII. *ut prædestinationis divinæ gratia aut medijs quibuscunq; præordinatis, vel in vita præservatum, vel in morte saltim à malo liberatum; sed* Gregorij VII. *errores ut contra legem, & Prophetas, & Evangelium Christi, & præcepta Apostolorum ejus, ut contra totius postea per mille annos Ecclesiæ ipsius Catholicæ traditionem, quin & contra ipsum quoque naturæ lumen, ab ipso primum, & verbo & facto cum Orbi Christiano prædicatos, tum deinceps vel effusione quidem sanguinis Christianorum*

ſtianorum tam immani tam horrenda propagatos: immò nec eoſdem omnes, ſed ex ipſis illos tantùm, qui Coronas Regum ac temporalia mundi ſubjiciunt Eccleſiæ clavibus pro arbitrio Papæ diſponenda, reſpiciebam illic ubi Gregorij VII. *imitationem* Innocentio XI. *auſus ſum diſſuadere. Ac id profectò & ipſe loci ſcopus, & ipſa quidem verba mea ibi manifeſtè oſtendunt.*

Quæ tametſi Lectorem ita monuiſſe, intento meo hic abundè ſatisfaciat: veruntamen quia operæ prætium arbitror de Gregorio illo, *eorundem errorum Authore primo, pluribus adhuc diſſerere, quippe cum ingens ſit de ipſo inter Authores hinc & illinc controverſia, nec de alio quoquam Pontifice tanta: & quoniam adeò eandem controverſiam pro merito, vel breviter quidem, tractare, præfationis opuſculo accommodatæ modum excederet: idcirco quæſtionem famoſiſſimam, ab ipſa ejus origine per fatales gradus progreſſuſq; omnes deductam, examinatam, ponderatam, vide in* Appendice altera *quæ Opuſculum iſthoc finit, quæq; totam de* Gregorio *eodem* VII. *eſt, nec aliud penè quidpiam habet. Id ſolummodò ijs quæ hactenus dicta ſunt hìc adjicio, ut ob eoſdem* Gregorij *hujus* VII. *errores illos ſolos qui Coronas Regum ac temporalia mundi tangunt, à nobis, jam labente licet poſt ejus obitum ſæculo ſeptimo, abjuratos, atq; ex cauſa quidem urgentiſſima & fine optimo reprobatos,*

batos, quotquot ex Hiberniæ *Clero & Subſcriptoribus* Remonſtrantiæ, *in eadem impiorum dogmatum, ſeu abjuratione, ſeu reprobatione perſeveramus, ab Romana Aula, Miniſtriſq; ejus, modò ultra viceſimum annum, & continuò quidem abſq; intermiſſione,* maledicimus, & benedicimus:
1 Cor. 4. 13. perſequutionem patimur, & ſuſtinemus: blaſphemamur & obſecramus: tanquam purgamenta hujus mundi facti ſumus, omnium peripſema uſq; adhuc; *utiq; ſi veritatem nudam, ſi notoriam,* Paulino *ſtylo repreſentare licet.*

Sexto, etiam hinc, advertas, quàm immeritò vir quidam Theologus, quamquam cæterà & doctiſſimus & acutiſſimus, & magni quoq; nominis, quin & mihi ipſi quidem amicus, lecta eadem Epiſtola mea tertia, quæ ad Internuncium præfatum eſt, ubi primùm gratias egit ob communicatam illam ſibi, mox tamen ſubjecerat, videri ſcriptam ab aliquo puro puto Hildebrandino. *Verùm ſi non legiſſet eam perfunctoriè: aut ſi contra ſecundum utriuſq; Juris, &* Nicolai III. * *regulam, cap.* Exijt. de verborum ſignificatione, *in* Sexto, *principium cum medio, & finém cum ambobus, & quæq; duo inter ſe mutuò*

* Verba *Nicolai* ſunt: Et utriuſque Juris argumenta nos doceant, ea quæ in medio ad finem atque principium, & ea quæ in fine ad utrumque vel eorum alterum ſæpe referri.

tuò contuliſſet: immò ſi vel ſenſum, vel textum ipſum, i. e. *literam ipſam nudam in variis locis attentè conſideraviſſet: ita me procul in ea fuiſſe ab* Hildebrandino *ſtilo, ut ſcripſiſſe eam potius* Henriciano, *citra dubium judicaviſſet. Certè in illa tum cauſæ meæ principali, doctrinæ ſcilicet* Remonſtrationis *de independentia poteſtatis Regiæ à Pontificia, tum acceſſoriæ de nullitate excommunicationis, ſive ob eandem doctrinam ſive ob confictam contumaciam, in me latæ, firmiter & apertè quidem adhæreo. Quodq; amplius eſt ſignifico, meq; in poteſtate vel ipſius equidem Pontificis Maximi & Beatiſſimi eſſe, quoſlibet è Provincijs ubi ortæ ſunt controverſiæ, vel* Romam, *vel ad alia quæpiam loca ultramarina (ſeu alias extra-provincialia, longinqua, aut peregrina) judicandos evocare. Nimirum id vetantibus etiam vel Concilij ipſius* Nicæni Magni, *&* Primi *Canonibus illis* * *qui totius mundi reverentia conſecrati ſunt: quoſq; adeò imprimis à Romano Pontifice qui Cuſtodis, Vindiciſq; Canonum titulo gloriatur, æquum eſt obſervari. Deniq;, ſi Beatiſſimo Patri non placebit alterutrum,* i. e. *Vel omnia quæ contrà me ab initio pronunciata ſunt reſcindere, vel*

* Vide Concilij Africani, illius ducentorum & ſeptemdecim Epiſcoporum, & ſeptemdecim Epiſcoporum, inter quos S. *Auguſtinus* erat, epiſtol. Synodicam ad Cæleſtinum 1. Romanæ Sedis Epiſcopum.

vel judicium novum in partibus *(ut loquuntur) instituere: quod mihi pro eo casu fixum est propositum, haud obscurè innuo. Videlicet, causam meam utramq; judicio Dei solius relinquere, adeoq; & sub ista excommunicatione hominum ex hac vita decedere, potius quàm iniquæ submissionis meæ exemplo aut doctrinam impiam, aut despoticam in Ecclesia gubernationem approbare. Ista verò quàm* Hildebrandina *sint, per me licet vel amicus ille, vel alius quicunq;, etiam inimicus homo, judicet.*

Quod autem honorarios titulos quibus Innocentium XI. *compello, spectat, adeò nihil in ipsis* Hildebrandinum *est: ut nihil plane quo non adornaret eum* Henricianus: *nihil quo non compellaret eum* Henricus *ille ipse Imperator* III: *nihil quod non ipsi* Græci *pariter &* Latini *(certè vel moderati vel morigerati omnes) quotquot à communione ejus impræsentiarum separati sunt, ultrò ei tribuerent, si titulos tantum vindicaret: nihil saltim quod non Ecclesia tota Romano-Catholica, quacunq; latè patet, agnoscit.* Valesium *igitur & ejusdem Ecclesiæ filium, & in causa oppressionis gravissimæ justitiam & judicium* Innocentij *appellantem, postulantem, requirentem enixè, an deceret non jisdem titulis ipsum compellare? Ne minoribus quidem expediret præsertim ibi, ubi compellatio mea, officij quod oppresso debet, tantùm*

erat

erat monitoria. Hoc enim verbis quàm maximè accommodatissimis, adeoq; verbis respectu omni consueto, omniq; sanè tanto & Patri & Principi haud incompetente, plenis, Valesium *feciſſe, quis jure culpet? aut quo intentum evinceret, monuiſſe* Innocentium XI. *quòd* Petri & Pauli *Apoſtolorum Succeſſor juſtus, quòd Salvatoris Chriſti Vicarius verus, quòd Ovilis Dominici Paſtor bonus, non autem mercenarius, quòd judicij Dei abſq; perſonarum reſpectu Pronunciator æquus audiat: quis non immeritò reprehendit? Vel in eundem finem* Innocentio *ante oculos poſuiſſe ut in Cathedra* Petri, *Supremoq; illo militantis Eccleſiæ throno conſtitutus eſt Sacrorum Canonum, juſtitiæ læſæ, & oppreſſæ per injuriam innocentiæ, Vindex: utq; ad Imperium ejus iniqua ſubordinatorum quorumcunq; Judicum decreta, neceſſe eſt evaneſcere, atq; in fumum & nihilum prorſus, originem ſuam, remeare; vel inquam hæc* Valeſium Innocentio *commemoraſſe, offenſam ulli pariat? Nemini profectò pariet, niſi ſi quis fortaſſe adeò aut natura hebes, aut* Valeſio *iniquus erit, ut ipſum eo loci Eccleſiam & Regnum, Sacerdotium & Imperium, thronoſq; ſubditoſq; amborum, diverſiſſimæ licet rationis, velit confudiſſe unà: & leges Canonibus; & Coronas Regum Infulis Pontificum; & poteſtatem gladij, authoritati clavium per omnia ſubjeciſſe. Idq; non modò contra omnia ſua ipſius*

prin-

principia, alibi toties declarata, verùmetiam contra iſtius-met Epiſtolæ ſuæ tertiæ, & ſcopum, & tenorem. Porrò ſi iſta non ſint, quid aliud ſit in ipſa quod æquus rerum æſtimator, non verborum auceps carpat, haud video. Scripturæ Sacræ alluſionibus Metaphoricis, quo velint allegorico ſenſu congruo, ſaltem ubi res quæ tractantur, ſacræ ſunt, utuntur alij paſſim, abſq; cenſura quapiam vel nota abuſionis. Cur tantundem non liceat mihi? Omnes norunt, quòd ubi aut Regibus aut Pontificibus (qui etiam Dij in Scriptura appellantur) ubi inquam vel ipſis, vel hominibus quibuſcunq; alijs applicantur quæ in ſenſu literali de ſolo Deo intelligenda veniunt, ibi ſimilitudinem quandam & imitationem ejuſcemodi, cujus creatura pro modulo ſuo capax eſt, ab Authore ſignificari. Nec ullus hominum eſt qui non videat, ex æquo rem arduam fore, Deum vel in perfectione vel in unitate, atq; in potentia imitari. Et tamen Salvator ipſe Dominus, tum ad perfectionem Dei Apoſtolos ſuos hortatus eſt, monendo ſic: Eſtote ergo vos perfecti ſicut Pater veſter cæleſtis perfectus eſt: *tum pro unitate Dei inter eoſdem cæteroſq; etiam fideles omnes, ipſis à Patre impetranda, oravit non abſimili verborum tenore:* Pater Sancte (*inquit*) ſerva eos in nomine

Mat. 5. 48.

Joan. XVII. verſ. 11. & verſ. 20.

nomine tuo, quos dediſti mihi: Ut ſint unum ſicut ego & tu ſumus unum. *Et rurſus:* Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui crediturí ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. *Quæ loca Sacræ Paginæ cùm explicationem ſuam accommodam, ſine ullo inconvenienti, habeant: quorſum hic alius, verbi gratia, ex* Jobo * *à me citatus locus, & Pontifici Maximo applicatus,* Si habes brachium ſicut Deus, & ſi voce ſimili tonas? *explicationem ſimilem,* i. e. *accommodam, non patiatur, immò non requirat jure? Et,* Spiraculi Vitæ, *&* viventis animæ, *&* cùm poteſtatis filios Abrahæ ex lapidibus iſtis ſuſcitandi, *tum* lapidem quem reprobaverunt ædificantes, in caput anguli rurſus conſtituendi, *alluſionum tropicarum & figurativarum, cur non ſit eadem ratio? utiq; iſtarum quoq; ſimilem omnino expoſitionem tam ſubjecta materia poſtularet, quàm alias multipliciter nota ſcribentis mens.* Job 40. 4.

Quod verò complexum illud Optimi Maximi *epithetum attinet, quo* Innocentium *poſtea* (pag. 349.) *compello; quamquam alterius etiam viri & docti pariter & pij, ac amici quoque, cenſuram id incurrerit: palàm tamen eſt, Principes apud* Papinianum *eo titulo inſignitos; nempe, poſt* Caium Cæſarem,

ſarem, *qui primus ipſum aſſumpſerat. Immò, ſecundum* Calvinum *in* Lexico Juris, *non de Deo tantùm, ſed & de fundo, agro, domo, & alijs,* optimum maximum dicitur. *Adde, ex* Ulpiano, *quòd* optimum *intelligitur,* cujus bonitas principalem gradum bonitatis habet. *Quæ ipſiſſima cauſa mihi fuit præmittendi* ipſum Maximo, *compellandiq; utroq; ſimul* Innocentium *noſtrum* XI. *utpotè cujus etiam apud* Proteſtantes *ipſos fertur, cùm in bonitate, pietate, religione, tum in virtutibus cæteris quæ S.* Petri *Succeſſorem deceant, excellentia tanta eſſe, ut Prædeceſſores omnes quotquot à centum quinquaginta annis poſt* Adrianum VI. *fuere, longiſſimo intervallo ſuperet. Quare nec in hujus ipſius præcipui tituli applicatione imitatio quæpiam* Hildebrandina *eſt.*

Demum, quoad aliam quamlibet ſeu officij, ſeu non officij verborum formam, & multo magis quoad ſubſtantiam & ſignificationem congruam epiſtolæ illius ipſius meæ tertiæ, id fidenter dicam, adeò eam ex omni parte puram eſſe ab ejuſmodi hæreſeos Hildebrandinæ *fermento: ut ubi in ea vel maximè quidem videor authoritatem Pontificis Maximi exaltare, magnificare, ſuſpicere, ibi nihilominus poteſtatem atq; juriſdictionem ejus omnem intra divinorum Canonum cancellos, hoc eſt Conciliorum decreta, claudam. Fatebor enim ingenuè quod res eſt. Jam ultra viginti*

quatuor

quatuor annos transijsse, quòd post multum otij, ac studij in quæstionibus istis examinandis impensi, fixa mihi sententia est, non divino jure, proprie & strictè sumpto, sed humano tantùm (i. e. *partim Canone Ecclesiastico, partim subrepente consuetudine, partim admissione, conniventia, concordatis Regum, & seu ultronea, seu coacta submissione populorum, certè non considerantium sed ignorantium planè cui jugo & quàm contra Ecclesiæ ipsius jura se submitterent*) *licere Pontifici Maximo sive in Orbem Christianum sive in Ecclesiam universalem, vel in Ecclesiasticis quidem rebus aio, jurisdictionem eam exercere, aut quam Prædecessores post* Nicolai *Primi tempora usurparunt, aut quam impræsentiarum sibi Romana Curia vendicat* *.

* Et tamen seriò ac attente legi tum Synodi *Constantiensis* in propositiones omnes *Wicleffi* pariter & *Hussi* censuras varias Sess. VII. & XV. tum *Parisiensis* Academiæ An 1617. & Coloniensis itidem An. subsequenti 1618. alias, in quattuor priores *Marci Antonij* de Repub. Ecclesiast. Libros: tum etiam *Fidelis Annosi Verementani* Synopsim, & *Zachariæ Boverij* Paranesim, & Hierarchiam *Leonardi Marij*, & *Laurentij Beyerlinck* Examen, immo & Volumen illud ingens *Nicolai Coffeteau* ex Ord. Prædicatorum Episcopi *Massiliensis* Electi, cui titulum dedit *Monarchia*; scilicet in eosdem Archiepiscopi *Spalatensis* Libros: tum præterea, quæcumque de hoc argumento (i. e. authoritate ac jurisdictione Pontificis Romani) coacervarunt sive *Bellarminus* in Controversijs, sive *Baronius* in Annalibus, vel *Ferrarius* quidem in Resp. ad Epist. Casaub. nomine Seren. Reg. Mag. Britan. scriptam, vel etiam *Petrus de Marca* in sua Imperij & Sacerdotij Concordia: tum insuper eos præfatæ Facultatis Theologicæ Parisiensis 25. Articulos, adeoque inter ipsos & (vegesimum tertium in specie) An. 1542. die 10. Maij

Malj concluſos, pauloque poſt non ſolum à Conventu Prælatorum Franciæ *Melodini*, ad *Sequanos* indict., approbatos, verumetiam Edicto Regio *Franciſci* I. & Senatus conſulto Pariſienſi auctoratos, ac inde quidem pro Lege Regni à cunctis Galliarum populis receptos obſervatoſque ad hæcuſque tempora. (Ut *Richerius* habet in Hiſtoria Concil. Gen. Lib. 4. Parte Altera, Pag. 162.) Hæc inquam omnia & utiquè legi, & quo potui applicatione indifferentiaque animi conſiderari ſtudi. Nec tamen quidquam inter omnia (ne quidem illa ex præfatis Authoribus vel maximè Illuſtrium Opera, quæ controverſiam ipſam, de illa re totam, ex profeſſo in ſtrenuæ partem ventilant) de prehendi quod me, quodve revera, coram Deo, Theologum virum quemlibet, Ecclem Theologum neque præjudicio laborantem, neque in Hiſtoria Eccleſiaſtica hoſpitem, à ſententia illa hic à me ſine declarata ſive acrita, aut dimovere aut vertere debeat, vel in minimo quidem. Profectò, niſi ſi forſitàs aut aſſumptiones falſæ, & Hiſtoriæ inverſæ; aut Scripturæ Sacræ loca omninò contra vel Tridentini ipſius Concilij Regulam Seſſ. 4. (*De edit. & uſu ſacror. Lib.*) dogmaticè expoſita; aut probabilitates leviſſimæ, & vaniſſimæ congruentiæ; aut evaſiones meræ, & concluſiones illegitimæ, aut uno verbo paralogiſmi & ſophiſmata pura ſint: vel (quid tandem eſt) niſi ratiocinationes fallaciſſimæ, argumenta inquam neque Scriptura Sancta, neque Traditione ab initio perpetua, neque unanimi Sanctorum Patrum conſenſu, neque Concilij alicujus Oecumenici definitione, immò nec rationis ipſius naturalis lumine aut dictamine quopiam nixa, ejuſmodi momenta ſint quæ cordatos viros timentesque Deum & unà ſapientes, in errorem eum imperiti utique & ſeducti vulgi rapiant, qui præ omnibus aliis cum Eccleſiæ tum Religioni longè periculoſiſſimus eſt.

Nec proinde non multo me perfuſum gaudio, ubi ab hinc ſeptem annos, aut circiter, ſapientiſſimi juxta ac pientiſſimi viri Joannis Launoij *Doctoris Pariſienſis Theologi veterani Opus epiſtolare eruditiſſimum in octo partes diſtributum, ad manus meas pervenit. Illic nimirum quæ maximè avebam videre, tria quædam præcipua doctrinæ Capita, eodem referentia, vidi, legi, & relegi, adverſus patronos* adulatricis Curiæ, *ex ipſa* Romanæ Eccleſiæ *traditione, ſeu Pontifi-*

cum

cum ejus testimonijs multò luculentissimis, defensa, asserta, probata, atque demonstrata planè. 1. (*a*) Indedeficientis judicij seu non errandi privilegio Romanam Sedem destitui. 2. (*b*) Romanum Pontificem Generali Concilio & sacris Canonibus subjectum esse. 3. (*c*) Jure, non authoritate, Canone, non imperio aut proprio motu, regendam esse Ecclesiam. *Veruntamen haud inficias eo, Epistolam meam ipsius præfatam, de qua in præsenti sermo est, ab ijsdem tribus capitibus, & omnibus quidem & singulis eorum, in specie abstraxisse. Sed unà quoq; affirmo, non tantùm ad ea descensum in specie, alienum prorsus à scopo ejus fuisse: sed quemadmodum axioma Logicorum est,* abstrahentium non esse mendacium, *sic in abstractione ista nihil apparere quod* Hildebrandinum *sit.*

(*a*) *Launoius* Part. 1. ep. ad Raymundum Formentinum. et P. iii. ep. ad *Joannem Gerbasium.* & ep. priori pariter & posteriori ad *Christophorum Fauvaum.* ubi pag. 24. prioris & sequentibus, qui desiderat etiam Theologos, videre potest sexcentos.

(*b*) Idem P. 1. ep. ad *Hieronimum Sambotvium.*

(*c*) Idem P. iii. ep. ad *Thomam Rullandum.*

Et in præfatis quidem Epistolis, respectivè adducit, pro prima assertione 14. pro secunda 35. pro tertia verò 60. Romanos ipsos Episcopos, inquam.

Postremò, quem effectum habuerit eadem Epistola tertia, ne desiderares, sequentia iti-

dem te monere volui. Ac imprimis quidem, ut, quem ipse ab initio ex illa spe averam fructum, reportaverim; nempe, satisfeciſſe amico. Quippe scias R. P. Thomam Haroldum, *qui Remonſtrantiæ causa velut captivus ab Anno* 1634. *ad præsentem usq;* 1683. Bruxellis *detinetur, varias ad me Anno* 1676. *dediſſe literas, quibus id rogabat, non deeſſem amplius cauſæ meæ ſilentio tam pertinaci: ſed ad præfatum virum Illuſtriſſimùm de injuria mihi per iniquos Judices & ſententiam multò iniquiſſimam facta ſcriberem: monens tamen cauſam* Remonſtrantiæ, *ſilentio alto præterirem, nec de alia quapiam injuria in præſens quàm ſolum excommunicationis in me ipſum ſine cauſa latæ, quererer. Multa interim de humanitate, juſtitia, æquitate Miniſtri hujus Apoſtolici ſuggerens; quin & illud quoq; inculcans, magnam, nec abſq; fundamento, ſpem eſſe, hac via ſemel inita, ſententiam eandem & conſequentia omnia reſciſſum iri. Quanquam vero iſt huc non poteram ipſe mihi perſuadere: non quòd ullatenus aut de Miniſtri hujus Apoſtolici bona mente, aut de Sanctiſſimi Domini* Innocentij XI. *ad ea tantùm quæ juſtiſſima & æquiſſima ſunt propenſione, dubitarem; ſed de ijs ſolummodò, qui à Sanctitate ſua Hibernicis rebus diſponendis in Congregatione* de Propaganda fide *præfecti, omninò pendent à corruptiſſima & falſiſſima quorundam Præſulum Hibernorum relatione;*

ne: amici Patris, atq; afflictionum mearum socii, desiderio ne repugnarem penitus, scripsi tandem quam habes hic Epistolam, & subscripsi, & obseravi, atq; ita quidem omnino clausam misi ad ipsum, Illustrissimo D. in manus tradendam. Cur autem ita clausam, & non potius apertam cum sigillo volante, ad amicum Patrem? id me movebat, ne si prælegisset quæ in ipsa de Remonstratione *scribo, non auderet eam Dominationi suæ Illustrissimæ tradere, sed remitteret denuo corrigendam. Utcunq;, post receptam, postridie, aut circiter, placuit eidem Illustrissimo, eam secum apportanti, Patrem* Haroldum *in Monasterio Fratrum* Bruxellensi *tunc fortè ex podagra decumbentem invisere, & cum ipso de contentis ejus, præsertim verò de* Inhibitione Regia *mihi adeò dudum facta,* ne ad partes ultramarinas proficiscerer, *sermonem multum habere. Nam in ista re imprimis videbatur hærere, dubitabundi pariter atq; admirabundi ad instar. Verùm persuasus tandem de indubia veritate relationis, haud ægrè mox concessit, quod necesse erat sequi, iniquius in me processum pronunciatumq; ex* contumaciæ *causa. Moxq; etiam, & humanissimè quidem promisit, non modò epistolam illam ipsam meam quantocius ad Sanctissimum Dominum à se mittendam, sed & operam quoq; suam pro me und. Utrumq; & veraciter & fideliter ipsum præ-*

stitisse,

ſtitiſſe, argumento ſunt ſequentia, quæ, literis 15. Julij, *An.* 1678. *ad me datis, idem R. vir* Haroldus *ſignificaverat.* Hoc ipſo mane Internuncius mihi retulit, cum tuas, tum ſuas ipſius quoq; literas in earundem proſequutionem, Romæ lectas beneq; diſcuſſas, magnopere ſatisfeciſſe Aulæ. Quod quidem ſupra expectationem meam accidit. Quippe verebar valde, quam in tuis memoriam *Gregorij* VII. facis, præjudicio reliquis omnibus quæ in iiſdem continentur, fore. Secus autem, ut videtur, res evenit. Nam Congregationi Eminentiſſimorum de propaganda fide qui à ſecreeſt, ad Internuncium ſcribit, nonnullos proponeret viros indifferentes, è quorum numero Sanctiſſimus Dominus unum aliquem cauſæ tuæ domi judicandæ ſtatuat. Cæterùm quia Reverendiſſimus *Fernenſis* à repatriando ſe excuſat, ego tres alios tuo nomine propoſui: nempe, ex *Hibernia* Reverendiſſimum ... *Forreſtallum* Epiſcopum Kildarienſem, ex Anglis verò noſtri Inſtituti *Auguſtinum à Sancta Clara*, Secularis *autem* Cleri *Joannem Sergeantium.* Igitur quantocius reſcribe, an quempiam alium ſuperaddi velis. Etenim Illuſtriſſimum Internuncium paratiſſimum video ad bene merendum de te in omnibus.

Verùm poſt tantæ ſpei initia, etſi aſſenſionem meam in eoſdem tres, nullo quopiam ſuper-

peraddito, mox reſcripſeram; nihil tamen amplius de re iſta, ſeu delegatione (in partibus, *ut loquuntur*) *facienda, intellexi, ſed contrarium planè. Nimirum aliis litteris de* 7. Novembris, *An.* 1678. *idem Reverendus Pater* Haroldus *me admonuit, qualiter* præfatus ipſe Illuſtriſſimus poſt omnia tandem nuperrimè reſpondiſſet, Sacram Congregationem de propaganda fide mentem ſuam, quoad Delegatos in partibus, omnino mutaviſſe. Nec ſe amplius quod ſperaret in cauſa mea quicquam videre; niſi prius ipſe in Belgio comparerem. *Et:* Multa eſſe quæ contra me allegantur; quamquam nihil in ſpecie aperiret. Se tamen interim confiteri, petitionem meam (*nempe, vel Reſciſſionis omnium quæ ab initio contra me decreta fuerant, vel Judicij novi per Delegatos* in partibus *inſtituendi*) haud injuſtam eſſe. *Præterea iſtiſce ipſis literis me admonuit*, qualiter ab hujus Illuſtriſſimi Patre Confeſſario nuper, ut multoties quidem antè, accepiſſet, Valeſium brevi in Belgio affuturum. *Atq; hæc ſanè, & non alia quæpiam, ea ſunt quæ Epiſtolæ illius meæ ad Internuncium, effecta erant. Et hic* Valeſianæ cauſæ *impræſentiarum ſtatus eſt. Nec enim ab eo tempore quidquam vel hinc vel inde aut ſcriptum aut reſcriptum, aut motum, oblatumvè alias quomodocunq;*

cunq; ; ne quidem ad hunc usq; diem, Novembr. *vigesimum nonum*, An. MDCLXXXIII. *quo hæc scribo.*

ERRATA OPERARUM,

Benigne Lector, ut corrigas, lege

IN Præfatione, Page 2. Line 6. *perennt*, p. 5. l. 9. *alibus*, p. 7. l. 22. *avidissimè*, p. 9. l. 11. *momenta*, p. 10. l. penult. *impia*, p. 11. l. 5. *Sicula*, p. 12. l. 2. *spectato fine*, l. 6. *huncce*, p. 13. l. 7. *Launoio*, p. 14. l. 16. *sermone*, p. 19. l. 1. *incurium*, p. 23. l. 8. *annexui*, p. 29. l. ult. *quavis*, p 31. l. 25. *Imperij*, p. 35. l. 36. *vobis*.

In Epistolis, p. 2. l. 10. *primum*, p. 5. l. 7. *gentium*, p. 8. l. 24. *cujuscumque: nisi*, p. 9. l. 7. *quibusque*, p. 11. l. 9. *declinandam*, p. 12. l. 19. *quo*, l. 25. *constitutum*, p. 17. l. 20. *alloquio*, p. 21. l. 24. *Paternitati*, l. ult. *ipsius*, p. 37. l. 24. *perstringere*, p. 109. l. 11. *propulsandam*, l. 25. *Valesij*, p. 111. l. 23. *contendebantur*, p. 115. l. 10. *sunt*, l. 29. *zelosissimi*, p. 143. l. 19. *errorem*, l. ult. *elapsa*, p. 161. l. 23. *nobilenimus*, p. 165. l. 2. *tantundem*, & ibid. *pronuntiantes*, p. 170. l. 24. *eisi*, p. 174. *vocationem*. p. 183. l. ult. *ab*. p. 191. l. 11. *subiturum*, p. 198. l. 3. dele *ut*, p. 201. l. 29. lege *defunctis*, p. 205. l. 16. *enervandam*, p. 206. l. 19. *Christiana*, p. 203. l. 17. *cognite*, p. 259. l. 13. *reverendi*, p. 231. l. 15 *Quæ*, p. 248. l. 5. *secundum*, p. 255. l. 4. *tuæ*, l. 14. *refractarius*, p. 256. l. 26. *consectarium*, p. 262. l. 24. *postridie* p. 270. l. ult. *Majestatem*, p. 239. l. 16. *Judæ*, p. 332. l. 29. *Majestate*, p. 245. l. 8. *unanimi*.

In Appendicibus autem & Addiramento, si quæ sint, quoniam ejusmodi, id est singulariarum vel litterarum vel syllabarum, omnia penitus, leviuscula sunt, tuæ ipsius correctioni relinquuntur.

EPISTOLA I.

Ad Reverendissimum Patrem F. Gulielmum Herinx ordinis Fratrum Minorum S. Francisci strict. Obs. sacræ Theologiæ Lectorem Jubilatum, super Provincias Germano-Belgicas, &c. Commissarium Generalem, & Iprensem Electum.

Reverendissime Pater,

ETsi non tantum facie ignotus, sed fortassis vel ipso nomine invisus; quia tamen & communis Instituti Leges, & rationis rectæ dictata monent me officii quod Reverendissimo Patri Commissario Generali Belgico, ad Britannos ita nuper appulso, à quibuscunque filiis ejus hic vel degentibus, vel ex quavis causa demorantibus, constat esse debitum: eapropter ad Te, & qua par est observantia quidem, quoq; affectu, obsequio, cultu licet, scribendum duxi. Et primùm sanè vota mea animitùs ut felix faustusq; sit, nosq; Tibi ipsi tantum, sed Universis

Britanniæ pariter & Hiberniæ Fratribus, adventus hic veſter ad Londinenſes, Conventumq, Provincialem Angliæ celebrandum. Proximè vero ut, cum bona tua venia & gratia, liceat mihi quamprimum id ore etiam & coram apprecari, admiſſo nempe ad oſcula manuum Reverendiſſimarum, Paternamq, tuam benedictionem adepto. Deinde ut Cauſis meis omnibus, etiam pro Tribunali audiendis, quatenus ad Ordinem (aio) Poteſtatemq, & Forum tuum alterutrum, atq, ad hancce Provinciam Anglicanam ſpectare queant, diem ſtatuas. Poſtremò ut ſecundum Ordinis noſtri Conſtituta, & Eccleſiæ Romanæ Canones, auditis priùmm quæ in utramque partem allegari poſſunt, præſentibuſq, adeo vel omnibus, vel pleriſque, vel ſaltem eminentioribus Capituli nunc ſedentis Almæ hujus Provinciæ Patribus, ad abſolutionem vel condemnationem perſonæ meæ, prout viſum fuerit in Domino, procedere digneris.

En Reverendiſſime Pater, Epiſtolæ meæ ſcopum. Nec enim in alia re quapiam intendo Reverentiæ Tuæ moleſtus eſſe; ſi tamen moleſtia dici debeat petitio tam juſta, æqua, neceſſaria. In hac Provincia, in hac ipſa urbe Regia Londinenſi ortum habuerunt cauſæ meæ omnes illæ in quas, perſonamq, meam ob illas, non modo

Reveren-

Reverendiſſimi bonæ memoriæ Predeceſſoris tui Patris de Riddere, verum etiam Generalis ſive Capituli ſive Definitorii Valliſoletani ultimi authoritas jamdudum ita vehementer intonuerat, Fratrem Petrum Valeſium diris omnibus devovendo. Hìc Remonſtratio fidelitatis, Valeſio ſatagente, & ſubſcripta & Regiæ Majeſtati præſentata: Hic annis 1669, & 1670. ad citationes binas Reverendiſſimi Patris de Riddere haud aliter quàm duplici inſtrumento reſponſum: et altero quidem Recuſationis, Appellationis autem altero. Hìc, anno 1671, authoritate Regia examinatus, atq; in Concilio ipſo Regio Secretiori interrogatus quid cenſerem de citatione ac Decreto illo veſtro Madriti edito contra Valeſium, Copingerum, & ſequaces? Mentem meam clariſſimè aperui. Hìc etiam à me, & eadem occaſione quidem, eodem anno & loco, præſente, etiam ipſa Majeſtate Regia, publicè & prolixè relatum de ambabus Hiberniæ Controverſiis ævo noſtro maxime infælicibus; nimirum anterioribus quæ cum Apoſtolico illo apud Hibernos extraordinario Nuncio Joanne Baptiſta Rinuccini, primùm Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo Septimo, circa cenſuras ejus emerſerant; & poſterioribus quæ cum tota penitus Romana Curia, ſecundo poſt Reſti-

tutionem Regis Anno, *viz.* Milleſimo Sexcenteſimo Sexageſimo ſecundo, circa Remonſtrationem Fidelitatis à Catholicis Hibernis Majeſtati ſuæ factam, acciderat. Hìc viri illi Zelotæ Apparitores veſtri, & Romanæ gratiæ aucupatores egregii, Macceochius & Naſhius, alter Franciſcanus, Dominicanus alter, ambo comprehenſi, & Naſhio quidem ſententia mortis in perpetui exilii & proſcriptionis ſententiam commutata. Hìc à Carono & Valeſio tum ſcripti tum impreſſi editiq; Libri illi quos Decretum iſtud Valliſoletanum veſtrum declarat arguere Authores (ſaltem eum qui ſuperſtes eſt Valeſium) incurriſſe pœnas & Excommunicationis majoris & privationis Actuum Legitimorum, vi cujuſdam (ſi Deo placet) Conſtituti Generalis Victoriæ, anno 1649, renovati & aucti. Quod tamen Conſtitutum neq; Hibernos, neq; Britannos, neq; ipſos Belgas ligat (certè Hibernos extra Hiſpaniam degentes nequaquam) utpote in Provinciis Belgicis Annexiſq; neq; expreſſo Statuto ipſis accommodato, neq; more aut conſuetudine receptum. Et hicce loci, ab ultimo ex Hibernia ſeceſſu, jam octennium continenter moratus, quamquam vel tuendæ vitæ gratia plerumq; deliteſcens, tanti temporis intervalli multo maximam partem, id eſt, ſeptennium totum

ac

ac ſemeſtrim pene (ſeu à 20. Septembris anni 1669.) Prælatorum Inſtituti noſtri Generalium, citationibus ultramarinis, quippe ad ultramarina loca evocantibus, reſtiti, contradixi, repugnavi. Adeoq; & hìc loci tantum, non autem alibi gentium, ne domi quidem in Hibernia, eſto Provincia mea propria, commiſſum eſt quod mihi aut vitio (ſaltem præcipuè) vertitur, aut crimini (ſaltem ſpecialiùs) datur, aut equidem inſimulatur (vel ullo modo) contumaciæ illius ſeu veræ ſeu fictæ quam Excommunicatores, æquiſſimi illi Judices mei, velut Excommunicationis ſuæ in Valeſium fulminatæ, confirmatæ, denuntiatæ, imò etiam atque nonnullarum in Belgio Eccleſiarum valvis affixæ, cauſam unicam prætenderunt.

Quæ cum ita ſint: cumq; præterea manifeſtum ſit, Eccleſiæ Catholicæ indubitatos quidem ac divinos Canones præcipere ùt cauſarum judicia ibi fiant ubi ſunt ortæ, ſeu ubi vel crimina quæ objiciuntur, vel facta quæ accuſantur conſtat ortum habuiſſe, probariq, vel improbari poſſe fide dignorum oculatorumq, teſtimoniis luculentiſſimis: idcirco Reverendiſſime Pater non tantum non deſpero, ſed confido fore ut Epiſtolæ hujus ſupplicationem veluti & juſtam & æquam & neceſſariam arbitrere. Et profectò vel eo major confidentia mihi

in hac parte eſt, quòd ab initio controverſiæ idem omnino quod abs te nunc poſtulo, idem prorſus inquam Reverendiſſimo Predeceſſori tuo ſæpius obtulerim: *viz.* Siſtere me judicio, & in præſentia quidem vel ipſiuſmet, vel Delegati cujuſcunq; ejus, modò tutus & licitus eſſet judicii locus, hoc eſt, modo in Anglia, vel etiam alibi, eſſet quo mihi, per hujus Regni leges præceptaq; Regis, fas eſſet concedere. Id enim hic ſcire Paternitatem Tuam Reverendiſſimam convenit, quod expreſſo Regiæ Majeſtatis præcepto, dudum (hoc eſt quadrennium vel quinquennium integrum) ante citationes ſive priorem anni 1669, ſive poſteriorem anni 1670, ad me ex Belgio datam, inhibitum fuerat cum Valeſio, tum Caronio obedientiam ullam citationibus præceptiſve ad ultramarinas partes, extra Regis Dominia, evocantibus præſtare. Illud præterea DEO ipſo teſte, hic affirmavero, & Paternitatem Tuam monuero, quoniam hoc ſimiliter te ſcire convenit, nempe Inhibitionem iſtam Regiam priorem, quod Valeſium attinuerat, invito quidem & maximopere reluctanti factam; utpote quâ poterat, ſive ſua ipſius propria, ſive aliena potentium amicorum opera, & eo quidem ipſo tempore quo facta eſt, & per quinq; integras hebdomadas ante, licentiam

centiam trajectionis in Belgium à Majestate Regia sollicitanti.

Nec mehercle confidentiam minuit, quod ignorare nequeo Te Reverendissimum Patrem Herinx fuisse unum ex Patribus Definitorii illius Generalis Vallisoletani, quocum mihi ingens quidem & præcipua controversia est. Etsi namq; satis evidenter liqueat, illorum Patrum Decreto isto Madriti excuso (quod in Valesium & sequaces circumfertur) pronunciatum fuisse contra leges, canones, æquitatem, justitiam & omnia seu divina, seu humana jura; quoniam contra non confessos, non convictos, non auditos, non præsentes, non defensos, contra nec citatos quidem nec monitos, nec ullo modo ad judicium vocatos, sed absentes, distantesq; procul in longinquis, ultra terras & regna, & vastissimum mare, immo contra inscios plane judicii ullius quod in ipsos pararetur: etsi etiam haudminus clarissime constet, in eo Decreto vestro, nihil de Valesio, Copingero, Carono, aut sequacibus, nihil inquam neq; de vivis neq; de mortuis Remonstrantibus Hibernis relatum præter mendacissima, nihil confirmatum præter inanissima, nihil denique præter injustissima injunctum: attamen confido fore ut petitioni meæ annuas & revideas judicata, & tandem aliquando

judicium juſtum Valeſio ſtatuas. Id autem proculdubio fiet ſi pro gravitate rerum & cauſarum ejus, proq. Tribunali ſedens cum aſſiſtentibus tibi ſupradictis Angliæ Capitularibus, audientiam publicam & legitimam defenſionem ei conceſſeris; hìc nimirum ubi ſive veritas ſive falſitas contumaciæ illius ob quam ſolummodo præſumptam, veluti cauſam unicam Excommunicatio (id eſt, graviſſima & ultima quidem Eccleſiæ pœna) in ipſum lata pariter & denuntiata, atq. à Definitorio Generali Valliſoletano, cujus tu (Reverendiſſime Pater) membrum eras, confirmata eſt. In ejuſcemodi Judicio niſi argumentis irrefragabilibus, niſi teſtimoniis ſupra omnem exceptionem legitimis, probavero me nullius contumaciæ reum fuiſſe hactenus, nullius omnino (inquam) ſive in Ordinem Seraphicum, ſive in Eccleſiam Catholicam, aut Canones, aut Conſtitutiones aut præcepta aut monita alterutrius, *i. e.* Superioris Eccleſiaſtici cujuſcunq. niſi evicero & Recuſationem meam Judicis illius Predeceſſoris tui, & Appellationem meam à Tribunali ſive foro ejus, non tantum comparitionis meæ in Belgio cauſam minus principalem ſive acceſſoriam devolviſſe, ſed pronunciatum quod ſequutum erat invalidaſſe, ac porrò etiam ſuſpendiſſe vel quoad ipſam principalem

palem & reliquas etiam causas meas omnes jurisdictionem pronuntiantis: nisi ostendero causam ipsam principalem ad quam respexere, sed quam prudenter siluere citatores, haud aliam fuisse præter illam nunc adeo celebrem Fidelitatis Regi nostro in rebus quibuq; temporalibus observandæ Formulam (quæ vulgo Remonstrantia Hibernorum dicitur) à me quidem, inter alios hic Londini, anno 1662. ut subscriptam, ita deinceps, per nonnullos annos, etiam in Hibernia & promotam defensamq; pro virili, nempe ut sanam in Fide, & sanctam in moribus, & Hibernis necessariam (pro rerum conditione & circumstantiis quæ tum erant:) quicquid contra vel Jesuitarum Ordo, vel Theologorum Lovanienſium Facultas, vel Purpurati illi Proceres Romæ, vel Nuncii demum ac Internuncii Papales, aut pro supercilio, aut pro imperio censuerint, absq; ullo prorsus rationum pondere, vel in Fide Christiana Fundamento: atque adeo nisi causam hancce ipsam principalem justificavero per omnia, modo inquam in merita ejus velit Reverendissima Paternitas vestra inquirere: quodq; impræsentiarum & caput & summa est, nisi omnes & singulos Decreti illius Vestri Generalis Vallisoletani articulos evertero luculentissimè; quatenus (aio) causarum

sive

ſive perſonæ meæ ipſius propriarum, ſive mihi cum Carono, Copingero, aut ullo quopiam è cæteris Remonſtrantibus, ſeu vivis ſeu mortuis, communium momenta tangunt: denique, niſi (quod ſubſtantiam rerum ſpectat) hæc omnia perfecero, vel Teipſo quidem pro Tribunali audiente cuncta, modo inquam penes Capituli Anglicani Patres vel ſententia, vel arbitrium ſit, quemadmodum revera decet eſſe: non querar amplius de injuſtitia Judicum ultramarinorum, neq; litem proſequar ulterius; ſed libens & volens infælici fato meo ſubmittam. Sin autem, ex ſententia Arbitrorum, pro parte mea, ſat perfecero, & (quod præcipuum eſt) vel contumaciam ipſam illam quæ à Judicibus contra me hactenus præſumpta eſt diluero, probaveroq; nullam revera fuiſſe contumaciam: nunquid non æquum erit, ut, per Te etiam, liceat eiſdem Aſſeſſoribus vel Arbitris (ſi tu ipſe ore proprio nolis) pronuntiare, cenſuras omnes in me latas, ſive per Commiſſarium Belgicum Prædeceſſorem tuum, ſive per Definitorium Generale Valliſoletanum, fuiſſe ab initio & origine, & ex defectu quidem cauſæ, omnino invalidas, irritas, nullas? Æquum profecto & juſtum, & ſalutare nequit iſtud non eſſe. *Incauta namq; diffinitio ſalubri-*

ter

ter dissolvenda est, nec ea reputanda est prævaricatio, sed temeritatis emendatio: ut in Gratiano legis, 22. q. 4. cap. Diffinitio.

Quod autem signanter addo cupioque penes Patres Anglos Capitulares, vel sententiam, vel arbitrium fore, Paternitas tua neq; imprudenter cautum, neq; injustè provisum existimabit. Fortasse quam Paulus declinandum monet, *Tentatio te apprehenderet plusquam humana*, si necesse foret aut urgerere nimium ut tium ipsius Decretum istud Vallisoletanum, esto cum aliis Tibi commune, Tute ore proprio rescinderes. Video nihilominus Patrum etiam eorum quos in Arbitros peto nonnihil interesse, nisi Deum solum & Cœlum præ oculis habeant, potentium omnia tam in Ordine Franciscano, quam in Aula Romana, Valesii condemnatione gratiam aucupari. Verumtamen quia non alios novi aut æquiores utriq; parti, aut aptiores ad arbitrandum in causa quæ controvertitur, quæstioneq; illa præsertim quæ prima omnium debet examinari: et quia necesse est viam aliquam probabilem terminandæ liti scandalosæ proponi: ideo hanc Assessionis & Arbitrii Patrum Capitularium Angliæ putavi offerendam. Non quod mihi vel beneficio, vel officio, vel commercio, ne dicam amicitia vel causa

cauſa aſtricti ſint: quandoquidem ne ex facie quidem, in tota Provincia Anglicana, plures quam ſolummodo quinq; noverim: et ſciam nihilominus, ex tantillo numero, majorem partem, ſed præcipuè qui inter omnes eminet, haud valde affectum mihi, quippe (ut vereor) non immemorem jurgii veteris quod ante 20. annos (haud ex propria, ſed communi & Nationali cauſa Fratrum Hibernorum id temporis hic à perſecutione *Cromwelliana* deliteſcentium) inter nos acciderat. Quæ poſtrema quidem, utcunq; minuta & aliena videantur, eo tamen hic à me referuntur, ut Reverendiſſima Tua Paternitas videat quàm vehementer ſum exparte mea, ad pacem pronus; quàm omnibus votis cupio viam ullam probabilem iniri quæ liti nedum ſcandaloſiſſimæ, ſed forteſſis etiam longè periculoſiſſimæ imponatur (favente Deo bono) tandem aliquando finis; quantumq; procul diſto à deſideriis eorum qui aliud laboribus ſuis innumeris & improbis mercedem non ſtatuunt quàm extra diſciplinam eſſe. Hoc namq; (Pater mi) poſt omnia & ante omnia ut credas promittaſq; Tibi de me velim, propitio Cœlo firmiſſimè conſtitutum mihi; non Prælati, non Capituli, non Cleri totius neq; Ordinis, neq; Eccleſiæ neq; hominum quorumcunq; vel minis,

nis, vel injuriis, ut neq; præmiis aut illecebris à propoſiti conſtantia motum iri. Per Dei gratiam, *ſtabo in teſtamento meo & in opere mandatorum meorum veteraſcam.* Dum autem ita ſtetero atq; veteravero, intra diſciplinam, adeoq; & intra Eccleſiam Dei Catholicam ero, neq; timebo mortis extremam horam, etiamſi communione veſtra, vobiſq; obſequentium, in externo foro priver. Interna ſeu inviſibili omnium Dei Sanctorum communione fruar, & fruar quidem in Sanctuario ejus illo quod ab oculis inſipientium procul abſconſum eſt. Iſta fruebantur cum in vita tum in morte *Occamus* noſter, & *Ignatius* ille Patriarcha Conſtantinopolitanus, & milleni alii Virtutum eximiæq; ſanctitatis viri, quantumvis permagnam vitæ partem vixerint, obierintq; mortem externa illa vel Pontificum ipſorum Romanorum communione privati. Et bene quidem & optime & non ad inſipientiam ſibi elegerunt homines verè prudentiſſimi pariter & beatiſſimi illa potius carere quæ citra peccatum neq; retineri neq; recuperari poterat, quàm iſta quæ cum peccato non conſiſtit. Faxit Providentia Numinis, faxit Reverentiæ tuæ pietas & humanitas ut filio tuo Valeſio utraq; quantocius potiri liceat, ac deinceps per totam vitam frui. Sin autem neq; oblata neq; vota mea

prævaluerint; ut eſt voluntas in Cœlo, ita fiat.

Cœterùm quodcunq; ſtatueris ipſe, aut Capitulares illi tecum oſtenſa ipſis hac Epiſtola, oro ne graveris quamprimum reſcribere. Iſtud verò etiam dignaberis paulo tecum recogitare, quòd agamus omnes utrinq; & Tu & illi & ego coram oculis Judicis cuncta cernentis: quòdque omnes equidem, poſt non longam moram, comparebimus ante Tribunal illud formidandum, ubi etiam *in cogitationibus impii interrogatio erit.* Dignabere ſimiliter iſtud ex Auguſtino ad Macedonium, atq; in Theologia tritum, indubitatum, verumq; axioma conſiderare, ſcilicet, non dimiſſum iri peccata niſi prævia ablati reſtitutione facta. Quæ tria quidem ſi, ut debes, in ſecreto cordis tui pro merito ponderaveris, indubiè occurret tandem & cogitatio iſta, Quid expectandum Tibi in Tribunali illo terribili? Quid (inquam) pro opera tua ſive Valliſoletana ſive Madritenſi adverſum tot innocentes Fratres tuos aut certe locata, aut utcunq; per ſummam injuſtitiam (niſi potius tyrannidem) ſuffragando impenſa? Abſtuliſti eis famam, deſtruxiſti penitus bonum eorum nomen, infinitis eos malis & miſeriis jam ſeptennium totum ſubjeciſti: adeò revera ut tœdeat eos vivere, mortem ipſam vita, quam

quam (non dico vivunt, ſed) trahunt, potiorem judicantes. Et ſic feciſti viris verè innocuis: ſic Fratribus non aliqua ipſorum culpa, ſed tua, tuorumq; ſociorum maxima. Repugnante lege, canone, ſtatuto, conſuetudine, juſtitia, æquitate omni, contra ipſos proceſſiſti, & peſſima, duriſſima, iniquiſſima decreviſti. Et adhuc tamen non compungeris? adhuc nihil de reſipiſcentia aut reſtitutione cogitas? Nihil de reparanda ipſorum fama, aut honore, & nomine bono reſtaurandis. Tantum abeſt ut de reſarciendis injuriis aliis quamplurimis (inter quas Officiorum privatio haud contemnenda eſt) videare ſollicitus. Nihil ejuſcemodi rerum animi tui aut vigilias aut inſomnia vexat. Scilicet Prædeceſſor tuus Ridderus, & Numen ejus Airoldus, & Socii tui Definitores Valliſoletani, & Nuncius ille Hiſpaniarum Apoſtolicus veſtri Definitorii Præſes, ad cujus nutum omnia in Valeſium decreviſtis, coram omniſciente Judice Deo excuſabunt te? Aut fortaſſis Romanæ Curiæ potentia, & Pontificiæ poteſtatis plenitudo, & infularum ſplendor, & officiorum ſive dulcedo ſive utilitas patrocinabuntur tibi coram illo? Deus ipſe bonus & miſericors alios tibi patronos, excuſatoreſq; alios in illum diem iræ provideat.

Habes

Habes, Reverendiſſime Pater, quæ, in præſenti occaſione, ſinceris Verbis, abſq; ullo fuco, dare jamdudum ſtatui. *Et* Virgilius. *nunc tempus equum ſpumantia ſolvere colla*, & finire Epiſtolam; quæ an ingratior, an prolixior ſit, facile erit ex reſponſo tuo, judicare. Interim Reverendiſſime Pater, ut licet voto, ad manuum oſcula genuflexus atq; benedictionem deprecans, opto te in Chriſto Jeſu ſemper bene valere, &, conſilii ejus ſpiritu illuſtratum, quæ juſta, pia, neceſſaria ſunt reſpondere. Dabam ex Hoſpitio meo Londini prid. Non. Maii An. MDCLXXVII.

Reverendiſſimæ Paternitatis Tuæ

humillimus, & (qua licet)

obſequentiſſimus filius,

Fr. Petrus Valeſius.

Reſponſio Commiſſarij Generalis ad præcedentem Valeſij Epiſtolam.

Domine,

LIteras veſtras, peractis negotiis receptas, non ſine dolore inſpexi: qui nolens malum pro malo reddere; ſed ſatagens in bono malum vincere, paucis hiſce lineis reſpondeo, dum non licuit veſtro frui aliquo, utpote poſt heſternum cum Legato congreſſum coactus feſtinare reditum: relictis Oxonio & Cantabrigia, præclaris jam olim Sapientiæ ſedibus. Cauſa veſtra ad altius Tribunal devoluta, immò jam in eo judicata, deſtitit eſſe mei fori; & ut eſſet, utiq; hoc in loco nequaquam diſcutienda. In ditione autem Catholica, ſi arbitrium meum requiras, præſto ero, dum & Tu præſto ſis. Neq; literæ ſecuritatis omnimodæ deerunt accedere cupienti. Quod vero allegetur ratio Status, quaſi fas ideo non foret regno egredi, frivolum apparet in viro Religioſo: quotuſquiſq; enim Legibus his alligatus etiam Nobilis, aut Princeps reperitur, qui licenti-

am tantiſper exeundi ſeriò petitam non obtineat? Itaq; miſerere animæ tuæ, & canos in pace deduc ad Sepulchrum. Spondere auſim nihil nocumenti, ſed multum gloriæ apud Deum & homines acceſſurum, obliteratis præteritis, ſi mente ad bonum compoſita, obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ (ut de Eccleſia nil dicam) memor, ad ſinum meum Paternum convolaveris. Deus ſcit quod non mentior. Illum rogare non deſinam, ut non declinari deinceps ſinat cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Memor eſto unde excideris, & pœnitentiam age.

D. veſtræ addictiſſimus, uti Frater,

Londini, $\frac{11}{21}$ *Maii,* 1677. Fr. G. HERINX,

Commiſſarius Generalis.

EPISTOLA II.

Seu

Replicatio Valesij Ad eandem Epistolam

Reverendissimi P. P. Gulielmi Hennx, *Nationis Germano-Belgicæ, &c. Com. Generalis & Iprensis Electi.*

BIBL. CANT. ACAD.

Reverendissime Pater,

ET ego similiter ad lectionem Epistolæ tuæ, quam ad meam *Maij* ceu responsum dederas, vicissim dolui. Nec doluisse tantùm, sed (quemadmodum ille olim in Poeta) *obstupui steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.* Nimirum, aliud in ea nihil respondebas, imò nihil significaveras, nihil scripseras quàm (si verbo venia sit) tergiversationis indignissimæ argumenta indignissimè (inquam) & Instituto & Munere & Dignitate tua. Quid namque Seraphici Patris *Francisci* Filio, quid Sanctissimi Ordinis per *Belgium* annexasque Provincias alias (inter quas *Hiberniæ* & *Angliæ* sunt) Commissario, quid insuper etiam ad Episcopale culmen jam Electo indignius vel cogitari quidem potuit, quàm in causa gravissima justitiæ

ab ipso per fratrem subditum postulatæ, ita nihilominus se gessisse ut nuper hic dum esses in meaipsius Valesij causa (Reverendissime Pater *Herinx*) tibi gesseras?

In hac ipsa Urbe regia *Londinensi* literas meas officii pariter & expostulationum precumque plenas pridie nonarum *Maij* hujusannj millesimi sexcentesimi septuagesimi septimi datas, proximo die (qui octavus Iduum ejusdem Mensis erat) recepisti: utpote quas illius diei mane circa Noniam, in hospitio vestro amborum communi, Secretario tuo (post multum cum eo sermonem) ad te quamprimum perferendas tradideram, quòd nimirum tunc non eras ipse domi, sed paulò ante faciendi sacri causa egressus. Ac easdem literas quidem illâ ipsa die non modò per teipsum legisti & perlegisti; sed per alium quoque relegisti: hoc est, per eundem Venerabilem Patrem *Antonium Vanden-Bosch*, qui Reverentiæ Vestræ à Secretis est, relegendam curavisti, dum ipse auscultares. Circa tertiam pomeridianam Reverendus idem Secretarius, postquàm hæc ipsa ut acciderant, cum nonnullis etiam circumstantijs retulisset, horam sextam matutinam sequentis diei (nempe septimi Iduum Maij) constituit

ſtituit mihi ad comparendum accedendumque ad Paternitatis tuæ manuum oſcula, ac tractandum porrò una liberè & patrificè de omnibus. Tantundem namque ejus verba ſignificarunt. Ubi condicta hora veneram, etſi preſto quidem ille ſolus fuiſſet, tamen poſtquam Paternitatis tuæ abſentiam ea ratione excuſaverat, quòd iſta nocte foris in civitate apud quendam Mercatorem *Belgam* civem tuum cœnaviſſes pariter & cubaſſes: & poſtquam nihilominus bono ut eſſem animo juſſerat: deinde ſtatim affirmatis verbis renunciavit de conſenſu Paternitatis tuæ poſtulationi meæ per omnia prabito: ſeu (quod idem eſt) de conceſſione tua Tribunalis, Judiciique & Arbitrii etiam illius ipſius quod pridie per literas petieram; modo tantum per me liceret ſecuritatis tuæ perſonæ gratia, quæ jurisdictionem ejuſmodi contentioſam attingerent, in aliqua Legatorum Exterorum domo peragi. Ad hæc, ut æquum erat, reposui plura & varia. Ac primum profecto gratias Reverendiſſimæ Paternitati veſtræ, quòd poſtulatis meis utcumque annueret; etſi interea conſtaret, nihil poſtulatum niſi quod omni Juri, divino ſimul & humano, tenebaris concedere. Deinde verò, quod Judicij locum conditionémve ejus attineret, haud minus videri juſtum, ut *Valeſius* ſuæ ipſius perſonæ ſecuritati proſpiceret,

spiceret, æquè atque Commissarius suæ. Neque minus planè *Angliæ* regni Leges, à quadringentis annis aut circiter latas, durissimæ quæque statuere in eos qui extraneæ (seu foraneæ, ut hic loquuntur) jurisdictioni se in *Anglia* submittunt, quàm in alios qui exercent istic ejusmodi potestatem. Ex Belgio *Valesium* ante aliquot menses admonitum, ne domos Legatorum, speciatim verò *Hispaniei* accederet, nisi si non cautum sibi ab insidijs vellet. Commissarium quatriduo jam continenter in Somersetano Reginæ Palatio Capitulum Provinciale Anglorum Fratrum celebrare, quod nequaquam posset absque foraneæ illius (quam hic vocant) jurisdictionis exercitio. & tamen ædem illam nullius Legati esse. Quorsum igitur ut de unius *Valesij* contumaciæ causa cognosceretur, idque inquam ipsomet ac vehementissimè quidem effugitante, necesse esset Legati ullius domum eligere? Quo privatiorem locum designarent, eo minus periculi fore divulgationis. Immò nullum omnino fore à privatis ædibus penè innumeris ad manum, ijsque vel Orthodoxorum vel Heterodoxorum hominum, quæ conduci possent exemplo. Per *Valesium* licerè, ut à Patribus *Anglis* quibuscunque in Assessores vel Arbitros à Commissario designandis eligeretur quam putarent ipsi magis opportunam esse; à *Valesio*

autem

autem expensas omnes solutum iri. Attamen si persisteret Commissarius in proposita illa sua conditione Loci, neque moverent ipsum lationes datæ: *Valesium* ita vehementer cupere cognitionem causæ, hîc videlicet ubi comparere sibi liceret, & liberet quidem in ejusmodi Judicio (hoc est coram illiusmodi Arbitris & Assessoribus utpote quos sperabat indifferentes, non autem præpossessos autobstinatos hostes fore) ut potius quàm in præsentiarum illo suo voto non potiretur, omnino secum statuerit nullius cujuscunque vel ipsorum Legatorum ædes, ne *Hispanici* quidem declinare. Atque adeò paratissimum esse, nec non se offerre ad comparendum absque mora vel in quocumque etiam ejusmodi loco, ad diem & horam à Reverendissimo Commissario determinandam, idque vel solum, hoc est, absque vel famulo quidem vel socio aut quoquam alio comitante, sive Laico, sive Clerico, sive Regulari.

Quæ ubi reposueram, atque Secretarium ut Paternitati tuæ referret oraveram, promisit ille non modò cuncta se ut cupij relaturum, sed hora tertia rursus post meridiem in eodem loco ubi colloquebamur, scilicet in hospitio vestro affuturum, renunciaturumque quicquid eadem Reverentia tua decerneret. Atque factum ita regressumque ab utroque nostrum ad eundem

locum hora constituta. Mox autem ut convenimus, ille statim ante omnia renuntiavit assensisse Paternitatem tuam rationibus quas contrà Legatorum domos obtuli. Proximè verò, ut nihilominus, antequam pro Tribunali & judicio ageretur, voluerit Reverentia tua me privatim convenire, seu absque teste vel persona quapiam alia præsente solum cum solo colloqui. Utque in hunc finem voluerit etiam ut ædes conventui congruas ostenderem, & in Suburbio quidem prope campos, si quas ibi nossem. Te ad eas quæ designarentur, præfixa hora venturum, nullo comitante, quàm ipso loci Monstratore; qui tamen & ipse mox à salutatione prima recederet, ac nos relinqueret una solos. Adeoque & te istud porrò expectavisse, ut ego similiter absque socio aut comite solus eo venirem, utpote cui monstrator loci necessarius non esset. Quibus etiam addidit, Multam sibi magnamque spem esse nostri à colloquio illo recessus & abundè consolatorij & pacifici utrimque. Reverendissimo Patri etiamnum constare multo aliter & res & personas in longinquis partibus ultra mare apud exteros depingi ac repræsentari, quàm revera sunt venturo, domi prope accedentibus. Sua demum quod referret, istud indubitanter crederem quod neq; toties jam per duos dies, neq; ab initio quidem

dem

dem ulla ratione inter nos tam induſtrium, candidum & indefeſſum Nuntium ſeſe exhiberet, neq; ullo modo ſic in ea cauſa allaboraret, niſi conciliationem, pacem & concordiam properato inter nos, velut operæ pretium, non modò non deſperaret, ſed fidenter expectaret. Et hæc quidem omnia uno ſermone continuo vir ille (ut certè videbatur mihi) probus & pacificus, qui Tibi ab epiſtolis eſt, in congreſſu iſto (qui noſter quartus erat) diſertis verbis retulit declaravitq;. Ac præterea ſanè in eodem congreſſu, poſtquam ego tum reſponſione mea gratum vt par erat animum pro affectu bono, operaq; & humanitate ejus expreſſiſſem, tum rogatione extemplò ſubſequuta oraviſſem eum dignaretur mecum protinus abſq; ulteriori mora, duas vel tres privatorum domos (quas propoſito valde convenientes rebar) exire viſum: quo nempe citius illa quæ ſive Judicio ſive Colloquio ſeu utriq; magis opportuna foret, ipſo approbante poſſet ſtatui, citiuſq; adeò res tota (id eſt, controverſiæ omnes) vel iſto vel illo modo expediri: ille, præmiſſa quidem excuſatione quòd iſto veſpere ſibi ab alijs rebus non vacaret, fixit condixitq; horam decimam craſtinæ matutinam, qua ſcilicet ex eodem hoſpitio veſtro ad prædictas ædes inviſendas, decernendamq; ex ipſis unam, mecum pergeret.

Et

Et tamen post omnia, post congressus tam frequentes, pollicitationesq, & oblationes tam liberas, tam speciosas, per Secretarium illum Tractatorem nomine vestro factas, ubi ad condictum ultimò locum, diemq, & horam, in simplicitate cordis mei congressurus ituruſq, cum eodem Secretario, accesseram, quid tandem reperi, quid saltem resciui, haud nescire potes. Certè antedicti hospitij vestri ad limen offendi Patremfamilias hospitem vestrum, qui dum lætus & alacer, nihil doli mali suspicans, ad Secretarium ascensurus introirem, mihi declarabat, neq, Secretarium, neq, alium quemlibet ex famulatu aut comitatu tuo remansisse; sed omnes ante duas horas ultimum valedixisse, atq, ad Te ubi in urbe ista etiam nocte cubaveras perrexisse, inde mox in *Belgium* profecturos. Deniq, in discessu tuo, ut videtur, breviculam istam ad me epistolam dedisti, quam post alios quinque dies aut circiter in manus mihi tradendam curaverant quibus eam commiseras. Epistolam, quæ non obstante brevitate sua, nihil ad rhombum, nihil ad ullam epistolæ meæ partem aut expostulationem, nihil omnino quàm vel falsa, vel inania, vel male suppositа pariter & injuriosa continet: atq, adeò nihil quod tuæ illius sive tractationis fraudulentiam, sive tergiversationis indignitatem (ut non plura dicam) amoliri queat. Quarè

Quarè, ut ab istarum rerum consideratione, ac præsertim epistolij insignis lectione dolor primùm, deinde etiam stupor mentem meam invaserat: sic utrumq; simul & ori meo & calamo vacationem hanc & otium silentij quadrimestris indixisse, haud mirandum est. Nunc verò tandem reverso ad se animo, & converso iterum ad negotia ista, cæpi impetum ad singula quæq; epistolij ejusdem consideratissimi & excellentissimi capita replicandi animadvertendiq;. Ita enim fortasse fiet ut injustitiæ multiplicis & maximæ stimulis conscientiam tuam in *Valesij* causa dirè cruentantibus, excitere tandem, & excitere inquam à somno illo mortifero, in quem revera vereor (sed videris ipse) ne venenum ambitus jamdudum te conjecerit. Saltem istud consectarium erit, ut qui meas ad te, ac tuas vicissim ad me literas visuri sunt (præsertim unà cum cæteris omnibus quæ propediem, favente Deo prodibunt Instrumentis, *Decretoq;* imprimis famosissimo illo *contra Fratrem Petrum Valesium & ejus sequaces*: cui etiam decreto, *Herinxi* Reverendissime, tu consenseras) judicare possint quàm in *Valesij* rebus, quàmq; adeò in causis Justitiæ gravissimis cum apud *Hispanos* ante sexennium, tum apud *Anglos* ante quadrimestrem integrè, justè, sanctè munus tuum obieris.

II.

II.

Incipis Epistolam tuam sic. *Domine literas vestras peractis negotijs receptas, non sine dolore inspexi: qui nolens malum pro malo reddere, sed satagens in bono malum vincere, paucis hisce lineis respondeo; dum non licuit vestro frui alloquio, utpote post hesternum cum Legato congressum coactus festinare relictum, relictis Oxonio & Cantabrigia, præclaris jam olim Sapientiæ Sedibus.* Itane verò, Pater mi Reverendissime, in ipso responsi tui limine cæspitas? Itane scribis literas meas *peractis negotijs* receptas? Idq; Venerandi Patris *Antonij Vanden Bosch* Amanuensis tui manu scribis? qui tamen juratus testimonium dicet contra. Profecto vel injuratus debet dicere. Non enim tam fragilis memoriæ virum à Secretis esse patereris, qui intra quatriduum oblivioni daret quæ mihi adeo nuper ipsemet retulerat. Qui vel equidem in primo nostro congressu scisciranti mihi de negotiorum illorum, sive (quod eodem revolvitur) Capituli vestri Provincialis Anglicani statu, ore proprio responderat, necdum *peracta omnia*, quia necdum *lectum* inquit *Tabulam Capitularem.* Quibus etiam (licet occasione à me prius data) addiderat, *Nec lectum iri* antequam literas illas meas Reverentiæ tuæ

in

in manus traderet, ut neq; revera *se insscio, utpote Secretario*, posse legi. Et certè quoniam in ijsdem literis id unicè postulaveram, ut de causis meis, præsertim illa contumaciæ, ob quam solummodo seu veram seu fictam excommunicatio in me lata, denunciata, confirmata, dignareris hic pro Tribunali cognoscere, idq; assistentibus velut Arbitris Capituli ejusdem *Anglicani* Vocalibus, vel omnibus, vel plerisq;, vel saltem eminentioribus: id imprimis, & cum effectu quidem curaveram, ut antequam negotia illa vestra, nempe Capitularia *Anglorum* Fratrum peracta essent, literæ meæ ad tuas ipsius manus pervenirent, ostenderenturq; etiam atq; legerentur universis, si per te liceret, præfati Capituli Patribus. Verebar enim, nec absq; causa quidem, ut jam videtur, ne, si eas ante publicatam Tabulam Capitularem non recepisses, foret in promptu denegati illius quod petebam Judicij Arbitrijq; speciosa excusatio: nimirum Patres Capitulares mox à publicatione Tabulæ dispersos, regressosq; ad sua. Quare cum testis omni exceptione major sit ille Secretarius vester (taceo jam contestes alios) quòd ab initio & facto ipso prævenerim effugium istud, satis manifestè liquet operam te lusisse hic: non hærere fucum.

Attamen quandocunque literas illas recepisti,

cepisti, facile assentior quòd *nequaquam sine dolore inspexeris*. Atq; utinam dolor iste vel processisset ex causa justa, vel saltem confessionem istiusmodi causæ extorsisset. Hoc namq; inter te & me interest, quod tu ex aliena, & falsa quidem & supposititia causa videri velis doluisse: ego ex propria tuipsius & vera pariter & multiplici dolendum tibi esse sentiam. Prorsus ita est, Reverendissime. Ego in anima mea sentio, dolendum tibi tui solius causa ex illius Epistolæ inspectione; quodq; amplius est, dolendum tibi ex toto corde dum vita comes erit. Illa in memoriam tibi revocavit multa pro quibus ni valde fallor, neq; frustra sit Evangelium, vel pœnitere in præsentia, vel ardere posthac oportebit. Illa sub conspectum posuit non annos tantum, sed lustra, quibus jam continuè ab anno 1663. veritatem magnam oppugnavisti, & innocentiam notam pro virili persequutus es. Illa & Declarationem *Antwerpiensem*, & citationes censuraq; *Riddervianas*, & *Valesium* excommunicatum, & *Coppingerum* depositum, *Germoro* substituto, & fulmen istud multiplex *Vallisoleti* cusum, *Madriti* excusum excussumq; & non modò incredibilem istius *Vallisoletani* facti, sive (ut vocatur) *Decreti* injustitiam, sed vel ignorantiam vel malitiam plane summam & obstupescendam Nationis *Germano-Belgicæ*

Belgicæ Patrum eorum ſive qui formaverant ipſum, ſive qui ab alijs formato ſubſcripſerant. Illa ut quemadmodum *fatui Filij Iſrael olim non judicantes, neq; quod verum eſt diſcernentes condemnaverunt filiam Iſrael,* ſic & tu Reverendiſſime Pater, & ſocij tui Patres Diffinitorij Generalis *Valliſoletanis* Infularum eximij aucupes, & fratres veſtros (quippe communis Inſtituti filios) & viros cæterà verè innocentes & religioſos (niſi ſi aut irreligio aut nocentia ſit, Regi ſuo naturali & legitimo fidelem eſſe in temporalibus, vel ejuſmodi fidelitatem ſubſcripta manu declarare) & viros adhuc nec auditos, nec citatos, nec præſentes, nec defenſos, *Decreto* cum Sacrilego tum ſcandaloſo, atq; mendaciſſimis calumnijs æquè ut injurijs alijs referto, condemnaviſtis, depoſuiſtis, anathematizaſtis; tantùm non proſcripſiſtis (niſi tamen, apud malignorum quorundam Canoniſtarum Sectatores ignaros, excommunicatio major proſcriptioni quoad effecta omnia æquivaleat.) Illa ut iniquo iſto fallaciq; Inſtrumento typis quamprimùm dato, emiſſoq; ac diſperſo diligenter, eoſdem fratres veſtros ubiq; per *Europam*, immò per univerſum *Ordinem* infamaviſtis: bono eorum nomine iſtiuſmodi malignis artibus prorſum deſtructo. Illa etiam, quæ conſectaria

ria erant, afflictiones corporum, angores animorum, contemptiones & miſerias alias ultra modum omnem & numerum, ſub quibus tot annorum ſpatio jam, oportuit miſeros pati, & ſine ſpe remedij gemere. Illa ut interea temporis erga afflictiſſimos eoſdem filios tuos & ſubditos munus tuum ſanctiſſimè (ſcilicet) obieris; immò ut neq; indulgentiam Patris, neq; juſtitiam Judicis, neq; Paſtoris curam, neq; Viſitatoris inſpectionem aut inquiſitionem aliquam in te experti ſunt. Illa ut hactenus tamen non compungeris, neq; compateris: ut nihil de reſipiſcentia, nihil de reſtitutione cogitas: nihil de reparanda illorum fama, aut honore & nomine bono reſtaurandis: ut nihil ejuſmodi rerum animi tui aut vigilias aut inſomnia vexat. Illa demum ut nihilominus, imò ſanè tamquam *laviſſes inter innocentes manus tuas*, & nihil umquam in fratres peccaviſſes, ad altaria dei quotidie introeas, aſcendas, offeras ſacrificij incruenti agnum ſine macula; planè contrarius etiam in hac parte Evangelio, ubi Salvatorem Deum ipſum audis præcipientem tibi in hæc verba, *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus*

Mat. 5. 23.

munus tuum: neq; non contemnens terribilem ejus Apoſtoli ſive rationem ſive ſententiam, *Qui enim manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans corpus domini.* 1 Cor. 10. 29. Illa Reverendiſſime Pater, illa inquam Epiſtola mea de qua ſic conquereris, iſta omnia tibi in memoriam revocare potuit, ac ante oculos ſtatuere. Quorum ſi præſentia, ſi recordatio, haud effecerit ut dolendum tibi tui ipſius cauſa eſſe perſuaſum habeas, doloreq; adeo ex propria & veriſſima & juſtiſſima cauſa orta, quiq; ſecundum Deum elicitus *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operetur*, eo gravius peccatum tuum eſt, ac deplorabilior conditio. Quid de hac re introrſum in anima tua ſenties, neſcio: quid in epiſtola ſcribis, video.

III.

Cauſaris *Malum* ſcilicet in Reverentiam tuam à me commiſſum: & hinc doloris tui cauſam. Sed oro dicas Reverendiſſime quodnam illud? ubi? quando? Ante epiſtolam illam quæ tibi doloris cauſa fuit, nihil aliquando inter nos commercij interceſſerat. Nunquam te vel ex facie quidem novi; nec tu me, quod ſciam. Numquam ad te, numquam ad alium de te aut

 ſcripſi

ſcripſi aut miſi præter literas eas unicas: nec tu ad me aliud umquam præter iſtas itidem unicas, ſeu paucas tuas lineas quibus utcumq; placuit tibi ad epiſtolam meam reſpondere. Cum alio mortalium nullo quam Secretario tuo de te loquutus ſum. Et ſi cum illo malè, teſtimonium perhibeat de malo. Nullum ejuſcemodi perhibebit. Certus enim ſum, quod ne verbum vel irreverentius quidem ex ore meo contra Paternitatem tuam, inter ſermocinandum cum ipſo, exciderit. Neque minus profecto teſtimonium perhibet mihi conſcientia mea, quod ne quidem vel cogitatione ſola aliquid male umquam contra te molitus ſum: idq; in conſpectu omniſcientis præſentiſq; Dei loquor. Quodnam igitur, ubi, quando *malum* iſtud à me commiſſum, vel perpetratum, cui nolis vicem rependere? An forte epiſtolam meam, illam ipſam unicam (aio) quam hactenus à me recepiſti, cauſaberis? An liberius in ea expoſtulatum dices, & importunius inſtantiuſq; petitos ad arbitrandum Capituli Anglicani Patres? Scio te reſponſurum ita: neq; aliud quidpiam eſſe quod reſponderi queat. Iſtud verò quàm ad propoſitum, haud video. Injuriam facere, proculdubio *malum* eſt, quoniam divina lege (cum poſitiva tum naturali) prohibetur. De illata queri, & expoſtulare, & remedium ejus petere

vel

vel ab eodem qui intulerat, vel à Superiore vel etiam à Succeſſore ejus: de injurijs multiplicibus & maximis; de Judicibus vel ignaris, vel certè partim ambitu corruptis, partim timore fractis ac dejectis; poſtremò de iniquitate ſententiæ cujuſpiam ſive judicialis ſive extra-judicialis contra leges, canones, rationem & ipſum naturæ lumen pronuntiatæ queri, nuſquam hucuſque inter *mala* numeratum, quia nuſquam neq; divina neq; humana lege prohibitum.

Sed acerbius, amarulentius forſan expoſtulavi. Eſto. Quid tum? *Veritas quidem amara eſt & triſtis, offenditq; correptos*, uti apud Comicum eſt. Deinde, quidquamne iſti epiſtola mea legeras, quod acerbitatem falſam & amaritudinem iniquam Decreti illius Valliſoletani tui vel à longè quidem exæquet? Imò nihil omnino in ea, nihil inquam ulla prorſus conſideratione vel falſum vel iniquum repereras. Præterea non adeo infans es in rebus etiam externi fori (quippe qui *in utroq; Foro cum plenitudine poteſtatis Commiſſarium* te inſcribis) ut appellantium ab Inferiori Judice ad Superiorem non animadverteris aliquando ſtilum. Nec neſcire potes haberi me pro appellante, ſi mea ad Haroldum, quæ jamdu impreſſa prodiit, epiſtola prima Reverentiæ tuæ ad manus pervenerit, lectaq; ſit. Atq; adeò vides ex hoc etiam ca-

pite facultatem mihi factam liberius tecum expostulandi, utpote sic exempto à jurisdictione tua in causis controversis, ubi & quatenus meipsum rursus non subijcio voluntariè. Immò etiamsi nulla præcessisset Appellatio, neq; expressa, neq; tacita; mihi tamen post Decretum istud *Vallisoletanum* licere in quacunq; instantia te in Judicem, uti non modo suspectum sed plane iniquum rebus meis, recusare. Istud insuper hic dixero, nihil non tantùm non acerbius, non amarulentius, sed ne severius quidem in epistola mea dictum. Immò planè contra, hoc est, omnia universim longè mitius & remissius dicta quam rerum ipsarum de quibus expostulandum erat immanitas & horror exigebat. Quinetiam in ea abstentum esse cum ab alienis, tum ab ijs ipsis quæ tametsi ad propositum essent, acrius tamen & intimius pungerent. Porrò & hoc adjecero, ut quavis acrimonia non obstante, Paternitatis Vestræ & officium & personam in cunctis à principio Epistolæ ad finem qua decuit observantia quoq; honore & cultu æquum erat prosequutus sum; ne titulo quidem ipso vel *Reverendissimi* postposito. Quamquam si jure scripto, sive stilo Statutorum Tabularumq; Ordinis, aut si Ultramontanarum Cismontanarumq; aliarum extra *Belgicas* Provinciarum more ducerer, quemadmodum sanè in ejus-

ejuſmodi titulorum ceremonijs liceret, abſtinuiſſem utiq; à Superlativo illo gradu. Deniq; nihil omnino in ea epiſtola ſcriptum niſi verum; ac ejuſmodi ſane verum quod ad juſtiſſimæ cauſæ defenſionem & innocentium vindicias, ad clariorem enormis ac multiplicis & perennis quidem injuſtitiæ ipſis factæ manifeſtationem, adeòq; etiam ad faciliorem remedij impetrationem, neceſſe erat ſcribi. Itaq; à primo ad ultimum ſatis manifeſte liquet nihil iſtiuſce *mali*, quodcunq; demum vel qualecunq; ſit quod videri velis per verba tua hic ſive inſinuare ſive perſtringere, nihil alterius cujuſlibet ſive facto, ſive verbo, ſive ſcripto, contra Paternitatem tuam à me commiſſum. Immò apparet illa epiſtolæ meæ principalia capita, ſcilicet expoſtulationem, admonitionem & petitionem in ea contentas, & omnia quidem & ſingula quæ (ſi rectè mentem tuam aſſequor) appellatione *mali* tanquam uno ſtatu proſcribere volueras, apparet inquam illa nihilominus & bona in ſe eſſe, utpote juſta & æqua; & quod tibi etiam, hoc eſt animæ tuæ bona, quippe utilia & ſalutaria forent, ſi rectè quemadmodum oportuit, ipſis uterere.

Faceſſat igitur ſimulatio tua *nolentis reddere malum pro malo.* Abeat *ſatagentis in bono malum vincere* diſſimulatio. Fruſtra

es Pater mi. Vertendæ erant tabulæ: ac si mentem loquereris, dicendum, quod nolueris reddere bonum pro bono, sed in malo bonum vincere fategeris. Vicisti ita fateor. Condemnavisti *Valesium* denuo, quantum in te erat. Voluisti eum sordescere in Censuris, uti exlegem & improbum. Ac tantundem illa abitione tua, ipso insalutato, nec admisso quidem ad præsentiam tuam, alijs qui rem audirent significavisti. Hocne vocas *bonum?* aut non esse *malum* negas? Certè contra charitatem pariter & justitiam est. Contra leges tam Divinas, quam Ecclesiasticas est. Contra Seraphici Patris *Francisci* Regulam, quam solenni voto spopondisti observare imprimis est. *Quoniam si mater nutrit & diligit filium suum carnalem, quanto diligentius debet quis diligere & nutrire Fratrem suum spiritualem?* Cujus hæc verba sunt, & ubi sunt ignorare nequis. Et longè majorem animæ Fratris quàm Corporis ejus habendam Fratri curam, voluisse Instituti nostri & Regulæ Sanctissimum illum conditorem probè scis. In opinione verò tua *Valesius* in statu perditionis est; si tamen ex verbis tuis inquam sive in Decreto *Vallisoletano* sive in *Londinensi* Epistola contentis opinio tua de *Valesio* resciri potest. Ejuscemodi autem viro Fratri & subdito

Regula S. Francisci, cap. vi.

non

non porrexiſſe manum, non adhibuiſſe operam, nec alloquium nec præſentiam quidem conceſſiſſe, ut anima ejus à morte ad vitam reſurgeret, an tu non *malum* ſed *bonum* appellaviſti? An victoriam tuam in eo ſtatuiſti? Si ita eſt, triumphes per me licet, erigaſq; etiam victoriæ inſignis trophæa. Nec profuturum tibi exiſtima, ſi dixeris, per *bonum* in quo viciſti, longè aliud à te intellectum; ſcilicet reſponſi tui dignationem, ſeu pauculas iſtas lineas ex quibus epiſtolium tuum conflatur. Sit ita. Intellexeris quodcumq; libuit. Animo tuo nihilominus obverſabitur horrenda ſpecies occiſi fratris; utpote non extracti è faucibus dæmonum, non adjuti ad reſurgendum, non reducti ad ſalutis viam, non demum præſtitæ ullius omninò operæ quæ in poteſtate tua erat ad iſtos fines. Obverſabuntur non tantum charitatis contemptio, ſed juſtitiæ deſpectus, & Judicium Arbitriumq; declinata, violati Eccleſiarum Canones, poſthabitæ Ordinis Franciſcani Leges, & (uno verbo) conculcata quæcumq; Jura, ut *Valeſius* unus omni jure privaretur. Iſta inquam omnia Tractatus irritus, promiſſaq; & oblata nomine tuo per Secretarium facta, & abitio nihilominus clandeſtina, & quæ ſequuta eſt excuſatio calva (ne dicam falſa) obverſabuntur tibi; & conſcientia tua propria accuſatrix inſtar

mille teſtium erit contra te : quicquid interea per *bonum* iſtud, in quo videri vis viciſſe, intelligendum cupias. Vel certe *Valeſium* non revera ſentis in ſtatu perditionis aut peccati eſſe. Non in anima tua putas eum aut juſtè aut validè excommunicatum, aut ullo modo contumacem, aut quod minus eſt inobedientem, inobedientia inquam peccaminoſa : neq; interius in mente tua reris eum vel quidquam mali facere, ſed potius quod juſtum honeſtumq; eſt, dum citationibus, præceptiſq; & cenſuris non paret, ſed tamquam iniquis & ſacrilegis cœleſtium *Petri* clavium abuſionibus reſiſtit pro virili. Sin autem ſic introrſum ſapis ; cui quæſo apud Deum bono, figmentorum, Decretorumq; fulminumq; veſtrorum larvæ ? Cui ſpectra iſta, quibus contra Valeſium inſtructi proceditis, & Ordini & Orbi imponitis ? Cui anathemata veſtra in ipſum ? quæ tamen voſipſi haud alia quam puerorum, & anuum, & plebeculæ rudis, & ignari populi, ac paucorum præterea ſive deſipientium ſive ambientium Clericorum terriculamenta æſtimatis. Cui inquam apud Deum bono, aut potius cui non malo apud illum abuſio iſta poteſtatis divinæ ? Scio equidem cui apud homines, cui & quibus apud *Romanam* curiam bono etiamnum fuerint? Epiſcopandorum, immò vel ad minora quidem

dem authoritate Apoſtolica promovendorum, ex *Petri Valeſij* inquam vel Civibus vel prælatis Fratribuſve, inter conditiones neceſſarias, una ſine qua non, jam aliquot annos eſt, eidem *Valeſio* injurium & adverſarium in omnibus perpetuo eſſe. Ac, ut inſtantias promotorum ad minora (qualia ſunt Vicariatus Diœceſum vacantium, Provincialatus Ordinum Regularium) in præſentia taceam, quod Infulatos attinet, argumento ſunt qui nuperrimè in Capitulo *Valliſoletano* ſocij tui Diffinitores erant, *Duffius* & *Tyrellus* ad *Clocherenſem* in Hibernia Sedem unus poſt alium evecti; & paulò ante ipſos Archiepiſcopi quatuor, Epiſcopiq, alij octo vel novem, annis 1669 & 1670 creati, quippe in *Valeſij* cauſam conjurati omnes. Quorum ſi tu exemplum Reverendiſſime Pater, ſi placentiam pariter & præmium aſſequutus es homo *Belga* apud alios homines *Belgas* cives tuos, utpote ad *Iprenſem* Infulam nominatus: verere tamen Deum & finem intuere. Audi Apoſtolum vel de ſeipſo quidem pronunciantem: *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Auſculta Prophetam terribilius adhuc inclamantem aliis: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Sed fruſtra *Paulus* hic, fruſtra

Iſaias

Isaiæ est. *Prudentiores sunt filij hujus sæculi filijs lucis in generatione sua.* Illis neq; bonum & honestum, neq; malum & inhonestum convertuntur: istis verò sic.

IV.

At non licuit nostro frui alloquio. Sic dicis quidem. Sed obsecro quorsum ita dicis? Qua lege, divina vel humana, *non licuit?* Quo Ecclesiastico Canone? quo præcepto Regulæ? quo Statuto Ordinis? aut qua fortasse demum Consuetudinis præscriptione? Nihil horum allegatur, sed nec allegari quidem potest. Secundum omnia ista & singula non modo licuit, sed sub gravissimi peccati pœna oportuit te dum hic eras alloquium tuum *Valesio* concedere, & ejus vicissim sive *frui* sive uti. Quare ergo *non licuit?* Ais, *post congressum quem præcedenti die cum Legato habueras, coactum te festinare reditum, relictis Oxonio & Cantabrigia, præclaris jam olim sapientiæ sedibus.* O excusationem, si quæ umquam ulla fuit, verè excusatam in peccatis! Et ô prætextum insuper malè contextum! Quasi verò tunc à Legato audivisses, quòd vel Monarchia Hispanica, vel Provinciæ Belgicæ, aut saltem vel civitas, vel pagus, vel domus aliqua, vel familia, vel persona quæpiam una in Belgio jam jam peritura esset

eſſet, niſi ſi Paternitas tua abſq; ulla prorſus dilatione, abſq; unius diei mora, ſequenti mane proficiſceretur ſuccurſum. Aut iſta, ut eſſent vera, quæ ne probabilia quidem ſunt, ulli perſuaſurum te putas, quòd neq; interim, hoc eſt illa eadem ſeu veſpera ſeu nocte quæ interjecta erat, nec illo ipſo mane quo diſceſſeras, vacaviſſet tibi *Valeſium* accerſere? Periclitantem de vita, Infirmantem ad mortem uſq; ſeu Filium ſeu Fratrem tuum hic quem noveras, vel ſemel quidem inviſere? Non ſemel ei porrigere manum, qua ex profundo laci in qua non eſt aqua emergeret? Non *Valeſium* aio vel ad unam neq; horam neq; ſemihoram convenire, & cum ipſo ut decuit vel Patrem vel Fratrem agere; tentare an eum intelligere poſſes; & vel errantem reducere, vel innocentem & afflictum conſolari ut poſſes. An veroſimile viſum iri exiſtimas, quod antequam ſic abieras non vacaverat tibi ſaltem, vel Delegatos inſtituere qui loco tuo & poteſtate tua id officij quod *Valeſio* debebatur præſtarent; cauſam ejus examinarent; deq; ea ſecundum Eccleſiæ Catholicæ canones, & Seraphici Ordinis conſtituta, pronunciarent quod ipſis rectum, æquum, juſtum videretur? An fortaſſis hoc ipſo, adeóq; & omni prorſus cum Valeſio communicatione, interdictum tibi erat à Regis Catholici *Legato* Catholico?

eo? & Majeſtatis quidem ipſius Catholicæ tum nomine tum authoritate interdictum? Quæ omnia & ſingula, quàm non modò improbabilia, verumetiam incredibilia ſunt, nemo eſt qui non videt. Et tamen ad hæc reſponſa adigeris, ſi, quod ſcribis, verum eſſe queat; nempe, poſthesternum cum *Legato* congreſſum, coactum te ita feſtinare reditum, ut non licuerit alloquio meo frui. Cæterùm quod in ſpecie *Legati* monita vel mandata ejuſcemodi ulla, ſi forent, ſpectat, hoc etiam animadvertero, quod tametſi nemo Catholicorum vel antiquior vel recentior ſit qui plus quàm ego cenſeat Majeſtati Regiæ deferendum obediendumq; eſſe, etiam ab Eccleſiaſticis quibuſcunq; Subditis, dummodo inquam vel temporalia tantùm ſunt quæ reſpiciuntur, vel ſi forte ſpiritualia pura ſunt, nihil in ipſis à divina lege alienum, nihil receptis Catholicæ Eccleſiæ canonibus adverſarium, nihil naturæ ipſius dictamini repugnans aut injungitur aut inhibetur: eô tamen veſaniæ adhuc non ſum prolapſus ut ſentirem ejuſcemodi rem eſſe iſtuc, videlicet, in Paſtore ſpirituali incuriam vel neglectum errantis pereuntiſq; alioqui ovis. Id etenim repugnare prorſus & Scripturæ Divinæ, & Eccleſiarum Regulis, & rationis lumini, conſtat. Eaq; propter non mandato Regis, ſed præſcripto legis in hac

parte

parte obtemperandum esse, nemo Christianus non dicet; nisi si quis fortasse velit obtemperatorem æterno igni deputare. Igitur haud video quorsum de congressu illo cum *Legato* feceris mentionem. Enimverò excusandæ fugæ aut abitioni tuæ, qui scopus est ad quem unicè collimandum erat, adeò non deseruit, ut officiat magis. Verùm ea semper fucatarum rerum conditio est, infirmis fulcris uti; quibus, ut facile fit, pessumdatis, ea quæ innitebantur cadunt.

Quò itaq; nunc tuum istud, *non licuit?* Profectò si dixisses, *non libuit*, aut *non placuit*, dixisses quidem quod in se res erat. Sed *Valesium* tamen una justificavisses, & causas ejus omnes compendio absolvisses (absq; ulteriore quoquam seu Judicio seu Arbitrio vel indagine vel inquisitione) apud omnes inquam æqui æstimatores: utpote quibus ita manifestum foret, non ratione neq; lege contra ipsum agi, sed potentia & voluntate prava. Tantillum autem fortunæ bonæ aut prosperæ si quid ejuscemodi esset, *Valesio*, durante regiminis tui periodo, contigisse, existimabas rebus tuis Romæ promovendis, speciatim vero Bullæ Confirmationis ejus ad quam anhelas impetrandæ, non conducturum. Ac propterea vide, An revera non per *Legatum*, sed per teipsum *non licuit alloquio meo frui*, nec ab alio sed à teipso planè *coactus* es ita reditum accelera-

visse,

visse, ut fugisse potius quàm abiisse visus sis. Cogita, & recogita identidem, An non à spiritu tuo proprio, ab amore tuo nimio tui *coactus* es ad festinandum ita. Nimirum præsagiebat tibi animus quod futurum oportuit esse, si vel unum diem amplius morarere. Apprehendebas nullum prætextum fore declinandi vel privati istius colloquij quod tu ipse obtuleras, vel Judicij & Arbitrij illius publici quod ego expetieram. Et prævidebas porrò utriusq; consectaria quæ nolebas. *Valesium* pro tribunali pronunciandum ab omni contumacia purum. Quodq; necesse erat sequi, pronuntiatum iri similiter quod rectè, justè, meritò, & secundum Jura quidem ille cum à *Riddero* appellavisset, tum eundem velut Judicem suspectum & infensum recusasset. Et hinc indubiè non modo ejusdem Reverendissimi Patris *Jacobi Ridderi* prædecessoris tui monitiones, citationes, censuras q; omnes contra me emissas, latas, denuntiatas, in fumum abituras; sed Generalis etiam Capituli *Vallisoletani* confirmationem adjectam, seu *Decretum* istud quo *Ridderi* excommunicationem in me apud *Belgas* fulminatam denuntiatamq; ejusdem Capituli Patres confirmaverant, nihil significaturum. Nihil aio præter temeritatem, injustitiam, sacrilegium, & præterea quidem vel insciti am, vel certe malitiam mul-

to

to maximam decernentium. Inde autem, ab una parte, confuſionem faciei tuæ, qui unus eorum eras; ab altera verò ſpei de te conceptæ non diminutionem, ſed jacturam, adeoq; & offenſam periculoſam apud eos præſertim qui Deorum inſtar tibi in Romana Curia ſunt, ac eouſq; ſaltem erunt dum pendebit ibi Electionis Nominatio-niſve tui ad Iprenſem ſedem Confirmatio. Iſta prævidebas neceſſario ſequutura, ſi juſtitiæ, ſi conſcientiæ morem gereres in protrahenda quapiam ulteriori mora hic, quæ Valeſio diem daret. Ac idcirco vide ut non per *Legatum*, ſed per teipſum, tuiq; ipſius ſolius cauſa, eaq; verè ſeculari, verè mundana & vana, *coactus* ita inopinato abitionem tuam anticipaviſti; *relictis Oxonio & Cantabrigia præclaris jamolim ſapientiæ ſedibus.*

Hoc de celeberrimis illis, toto orbe, litterarum omnium ſcholis placuit Reverentiæ tuæ hic ſingulariter adjicere. Cur verò ſimul non adjeceris, Relicto etiam *Valeſio* cogitationum ſuarum ſimplicitati & credulitati nimiæ? Profectò æquè, veritatem rerum quod attinet, adieciſſe poteras; quamquam fateor, haud ex æquo ad propoſitum tuum. Scilicet reſpexiſti, non dubito, ad nonnulla quæ Secretarius veſter hic dum tractaremus, vel ipſa die prima, ſed congreſſu altero poſt meridiem habito, dixerat;

dixerat ; nempe, de intentione tua *Oxonium*, antequam ad *Belgas* redires, inviſendi. An verò etiam reſpexeris ad ea quæ *Valeſius* ea occaſione per eundem Secretarium Paternitati tuæ obtulerat, neſcio. Equidem bene memini quod Venerandus ille Vir (an quo magis mihi imponeret? An quo amantius & ſincerius mecum ageret?) tunc inter alia retulerit, Paternitatem Veſtram, ante litteras à me receptas, decreviſſe, mox ut abſolutæ res Anglorum Patrum Capitulares forent, *Londino* recta *Oxonium* proficiſci, Comitante Miniſtro Provinciali novo *Daniele Clay*. Porrò etiam & præfixiſſe diem Veneris proximum, qui poſt biduum erat, profectioni huic ineundæ. Epiſtola verò mea recepta, lecta, conſiderata, protinus mutaviſſe conſilium iſtud, quod profectionis aio diem attinebat, itinere ſcilicet ipſo Oxonienſi in pluſculos dies alios dilato, ac omninò ſtatuiſſe non movere pedem *Londino* quouſq; poſtulatis meis plenè ſatisfieret; judicio, videlicet, arbitrioq; ejuſcemodi, quale poſtulaveram, dato. Illud præterea memini, quemadmodum inter hæc à Secretario narrata, occaſionem iſtam intenti à Vobis Oxonium itineris haud prætermittendum ratus, ego etiam in præſentia per eundem Patrem *Vanden Boſch* pro parte mea Reverendiſſimæ Paternitati Veſtræ obtuleram

&

& comitatum & obsequium meum & servitium omne, & itineris sanè totius expensas, & receptionem deniq; honorificam à primarijs Academicis, ab ipso etiam Rectore Magnifico (qui Vice-Cancellarius loci est) immò & ab ipso pariter Episcopo Sedis. Idq; non modo *Oxonij*, sed *Cantabrigiæ*, si placeret opera mea uti; excepto tantùm quod *Cantabrigia* Episcopum non habeat. Idq; etiam (ut expressis quidem verbis addidi) sive pro me, sive contra me pronunciaretur in Judicio à Patribus; immò sive Paternitas tua judicium vel arbitrium ullum nec ne concederet. Et memini insuper ut addideram, Id semper fuisse mihi in votis, opportunitatem aliquam nancisci, qua Superiores ipsi Generales, experientia propria docti videre possent alium me esse ab eo quem qui me persequuti sunt gratis, pro me depinxerunt. Ac propterea semper vel ab ipso controversiarum initio, sive priorum quæ ante viginti novem annos emerserant, sive posteriorum quæ ab anno 1662. continuatæ sunt, constitutum mihi, servatumq; hactenus pro æquo & justo, Prælatos meos qualescumq; (& non obstante, inquam, quacumq; injuria) quo liceret officio, reverentia, cultu prosequi. Haud namq; ignoratum mihi aliud esse inimici vel suspecti Judicis judicium in causa controversa recusare, quod utiq; secundum omnia Jura licet

etiam Seraphici Patris *Francisci* Regulam professis : aliud, in rebus alijs erga eundem uti Superiorem, officio quolibet vel Patris, vel filij, vel subditi, aut (uno verbo) boni viri deesse. Ista inquam omnia, præter nonnulla alia eodem spectantia reminiscor oratum à me Secretarium ut Paternitati tuæ referret. An autem ad hæc à me posterius, an ad illa prius à Secretario, an ad utraq; respexerit hic Reverentia tua, non adeò multum refert. Pronum est reputare haud inconsulto mentionem relicti *Oxonij Cantabrigiæq;* adjectam. Ni fallor, adjectione ista cupieras argumentum novum insinuare necessitatis cujusdam magnæ abeundi inexpectatò, ac ita properè quidem, ut nequaquam licuerit *Valesium* convenire, alioqui visuro famosas illas olim Sapientiæ Sedes. At *frustra jacitur rete ante oculos pennatorum.* Jam ante satis de necessitate ista, cujusmodi, & à quo erat animadversum est. Abundè ostensum est per quem, & quare *non licuit alloquio meo frui* : ut à quo, & quare, ad festinandum adeo iter fugiendumq; ita, coactus es.

Sed ô te interea egregium Curatorem Gregis ! O Pastorem bonum ! qui animam tuam pro ovibus tuis exponis. Qui vides lupum deprædantem & non fugis, neq; non aggrederis & persequeris & abigis illum eripisq; ex ore ejus ovem quam in opinione tua rapuerat. O qui relinquis

nona-

nonaginta novem oves in deserto, & vadis quæsitum illam quæ in æstimatione tua perierat, nec circuire cessas donec invenis eam, inventamq; ponis super humeros tuos gaudens, & veniens domum convocas amicos & vicinos dicens *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat!* Et ô Patrem optimum atq; indulgentissimum! qui filium, in apprehensione tua prodigum, revertentem peregrè videns, dum adhuc longè esset misericordia commoveris, obviatum illi accurris, cadis super collum ejus, & oscularis os. Qui mox ad servos tuos conversus dicis *Citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manu ejus & calceamenta in pedes ejus: & adducite vitulum saginatum & occidite, & manducemus & epulemur: quia hic filius meus mortuus erat & revixit; perierat & inventus est.* Immò quàm revera non Patrem, sed Vitricum, non Pastorem, sed Mercenarium te in Valesij causa ostendis, monstrant evidenter quæ hucusq; dicta sunt. Nam & Vitricus Privignorum res plerumq; vel odit vel saltem neglectui habet: ac secundum Salvatoris Dei effatum, *Mercenarius fugit, quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* Et ista quidem animadversa cupio ijs qui me vel ovem perditam, vel filium prodigum, scilicet Episcopij tui Londinensis ac Vallisoletani Decreti authoritate nixi, arbitrantur. Nunc

venio ad momenta responsi istius excellentissimi quo epistolam meam dignaris.

V.

Causa Vestra (inquis) *ad altius Tribunal devoluta, immò jam in eo judicata, desitit esse mei fori, & ut esset, utiq; hoc in loco nequaquam discutienda. In Ditione autem Catholicâ si arbitrium meum requiras, præsto erò, dum & tu præsto sis. Nec literæ securitatis omnimodæ deerunt accedere cupienti. Quod verò allegetur ratio status, quasi fas ideò non foret regno egredi, frivolum apparet in viro Religioso: quotusquisq; enim legibus his alligatus etiam nobilis, aut Princeps reperitur, qui licentiam tantisper exeundi serio petitam non obtineat.* En paucas illas lineas & ipsissima verba quibus solis epistolæ meæ satis longæ, contentisq; in ea omnibus à Paternitate tua responsum est. Sed proh Deum hominumq; fidem! Si sic pronum fuit respondere, vel si causâ mea iniquam *desitit esse fori* tui: quo igitur ille mecum tuo nomine authoritateq; per Secretarium tuum, biduumq; totum Tractatus? Quo itus reditusq; illius inter nos tam frequens? Ad quid renuntiata illa de consensu à Te etiamnum postulatis meis præstito? Quorsum de Judicij loco inter nos ventilatum? De Hispaniarum Legati Domo imprimis à Te proposita, sed postea ob rationes à me objectas declinata? Quam ob causam, privati de-

nium

mum colloquij, antequam pro tribunali ageretur vel propoſitio, vel potius requiſitio? Ad quid inquam perditio iſta temporis? tot exquiſitæ nugæ, tricæ, phaleræ ad quid, ſi cauſa mea jampridem *deſtitit eſſe fori tui?* Haud video ſane quid honore ſalvo reſpondeas. Aliter ſentiebas per Secretarium tuum nudiuſtertius quæ mandaviſti referentem: aliter paulo poſt volebas per eumdem animi tui (non dico ſenſa, ſed) placita exſcribentem. Neq; enim (ut ante etiam animadverti) non cognitus mihi illius Amanuenſis tui character. An fortaſſe velis me impingere bono illi Patri Vanden Boſchio dicam? Honeſtior eſt quàm Impoſtoris titulo ut patiatur ſe malè audire. Imperatis utrobiq; paruit: quæq; præcepiſti, fecit, abſq; dubio. Verùm neq; de Tractatu neq; de Tractatore illo, neq; de contradictionibus aut conſectarijs alijs quibuſlibet volo quidquam aut preſſius aut ulterius hic. Res iſtæ ſunt in quas inquirere minutiùs, nec Reverentiæ tuæ honori, nec idcirco mihi voluptati poſſunt eſſe. Juvabit autem ab antecedaneis & extrinſecis iſtis abſtrahendo, quærere de aſſertione illa nuda in ſe, prout in epiſtola tua jacet, facitq; reſponſi ad litteras meas primum & principale membrum. *Cauſa veſtra,* inquis, *ad altius tribunal devoluta, immò jam in eo judicata deſtitit eſſe*

fori mei, & ut eſſet, utiq; hoc in loco nequaquam diſcutienda. Cauſa mea multiplex, multiformis, multimembris eſt. Principalis, quæ & prima poſt reſtitutionem Regis, & cæteratum omnium ſubſequentium origo, ne dubitatur quidem eſſe ſubſcriptio defenſioq; illius Formulæ, quæ vulgò *Hibernorum Remonſtrantia* dicitur. Acceſſoriæ multæ emerſerant. Et una quidem in Congregatione illa celeberrima totius Hiberniæ cum Secularis tum Regularis Cleri, quæ anno Domini 1666. Dublinij Valeſio procurante ſedit. Alia in Capitulo Provinciali noſtrorum Franciſcani Ordinis Fratrum, quod itidem Dublinij eodem anno, ſed menſe proximo, ac ejuſdem Valeſij opera celebratum. Alia in famoſiſſimis Jacobi Taaffij rebus, Vicarij illius ſeu veri ſeu ficti Apoſtolici, ſuper Hiberniæ regnum, Clerumq; & Populum, cum authoritate Legati à Clemente IX. ut pretendebatur, inſtituti; quemq; anno 1668. ut Hibernia univerſa pro vero & indubitato ſedis Apoſtolicæ Vicario reciperet, eidemq; omnes orthodoxæ religionis in illa Gente Eccleſiaſtici, tam Seculares, quàm Regulares, Prælati pariter & ſubditi, obedirent; immò etiam & Viſitationi Apoſtolicæ ab eo inſtitutæ, partimq; ab ipſomet in perſona propria, & partim per Delegatos varios tum in Diœceſibus Epiſcoporum, tum in Ordinibus

Ordinibus Domibuſq; Regularium exercitæ parerent ac humiliter ſe ſubmitterent, Valeſius quoq; Author fuit. Alia proximè ſequenti anno, circa Reverendi admodum Patris Franciſci Coppingeri depoſitionem à Provincialatu & Petri Gennori ſuffectionem; utpote ſeu illam ſeu iſtam non modò contra Ordinis noſtri Conſtitutiones, verumetiam contra Leges pariter & Canones Eccleſiæ ipſius Catholicæ factam, authoritate tamen literarum Eminentiſſimi Domini Franciſci Cardinalis Barberini factam. Alia ſimiliter eodem anno, verùm ex complexione variorum conſtans. Illinc enim complectebatur duplicia illa Reverendiſſimi Prædeceſſoris tui Jacobi de Riddere citatoria, quibus peremptoriè ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrendæ mandabatur mihi intra dies aſſignatos in Belgio comparere: iſtinc verò & Majeſtatis Regiæ Inhibitionem præviam qua vetabar regno egredi, & Appellationem inſuper ac Recuſationem à meipſo intra fatalia Juris interpoſitam. Illinc denuntiationem inſequutam, qua ſi Deo placet, idem Reverendiſſimus anteceſſor tuus ac veluti quidem neq; appellatus neq; recuſatus jam eſſet, nec devoluta adeò res ad Superiorem Judicem, ſuſpenſave ejus in me, pendente lite, juriſdictio, ex præſumptæ vel potius malè prætenſæ contu-

meæ in non comparendo causâ declaravit me nominatim excommunicatum, affixa quoq; nonnullarum in Belgio Ecclesiarum valuis sententiæ declaratoriæ charta: istinc oppositionem, neglectum, & tantùm non contemptum tam illegitimi invalidiq; per omnia processus, quippe contra Ecclesiæ Leges, & Ordinis statuta, & Regulam Seraphicam, & equitatem ipsam naturalem instituti. Alia deniq; causa emergens accessoria erat Impressio quorundam Librorum, Authoribus Carono & Valesio.

Et proclive quidem est credere, non solum accessorias istas omnes, sed ipsam quoq; principalem & originalem ad *Tribunal* illud *altius* quod hic à te respicitur, fuisse ab Adversaria Parte delatas. Fateor quoq; omnes universim, seu tam istas quàm illam, imò & annexas connexasq; cæteras qualescumq; fuisse, quod in me erat, per me ipsum, & secundum jura quidem, ea ipsa quam interposui appellatione, à judicio Commissarij ejusdem Belgici Antecessoris tui, ad judicium Reverendissimi Patris Ildephonsi Salizanes totius Ordinis in Orbe toto Ministri Præfectiq; Generalissimi, devolutas. Neq; inficias eo, Capituli Generalis Vallisoletani Diffinitorium (Vallisoleto prius ad Urbem Regiam Madritensem, ex imperio Nuntij ejus Apostolici, qui apud Hispanos tunc erat translatum, solutisq; ac dispersis adeo cæteris

teris Capituli Patribus) Decreto ſuo famoſo iſto quod inſcribitur *Contra Fratrem Petrum Valeſium & ejus ſequaces*, omnes eaſdem, cujuscumque modi cauſas meas, in *genere* perſtrinxiſſe. In ſpecie quidem, neq; inſignem illam Patris *Taaffij* Impoſturam, neq; inviſam ipſam Remonſtrantiæ fidelitatem, neq; adeo illiuſce ſive Nationalis ex utroq; Clero Synodi, ſive Provincialis Fratrum Noſtrorum Capituli, aut momenta, aut controverſa, aut famam, aut nomen vel memorare quidem, multo minus perſtringere aut notare (ſaltem alitèr, quàm *Valeſium* Socioſq; ejus cum falſiſſimis tum injurioſiſſimis commentis denigrando) viſum *Decreti* Formatoribus è re ſua impoſterum fore. Nimirum ſatis intellexerant homines cautiſſimi, rerum omnium circumſtantias, ultra expectationem, in *Anglia* pariter & *Hibernia*, biennio quod proximè elapſum erat, mutatas. Eaq; propter Decreti ſui (mendaciſſimam, profectò uti jacet) Præfationem, rectè exiſtimarunt multo magis conducturam ad ea quæ ſibi propoſuerant contra Valeſium aſſequenda, quàm ſi diſertis verbis declaraviſſent, quàm ſi quantumcumq; etiam paticiſſimis vel inſinuaſſent quidem, uti, detracta larva, res ipſæ in ſe nudæ erant. Quippe

VI.

VI.

Imprimis norunt qualiter odij tam diuturni, inveterati, commotionisq, & perſequutionis tam violentæ in *Valeſium* & ſocios, ipſiſſima cauſa vera, originalis, principalis, continua, ſola *Remonſtrantia* eſſet; ſola inquam Profeſſio illa Fidelitatis, anno 1662. Regi noſtro *Magnæ Britanniæ, Hiberniæ*, &c. facta, Defenſioq, *Formulæ* ejus deinceps. Seu quod *Valeſius* idem, ijdemq, ſocij ejus, illo anno, tum propriarum manuum ſubſcriptione, tum Inſtrumento etiam publico impreſſoq, typis aſſeruiſſent, obedientiam & Fidelitatem in rebus quibuſcumq, temporalibus juxta quod municipales Regni Leges præcipiunt, indiſtinctè à Catholicis omnibus ſubditis, etiam Eccleſiaſticis, Majeſtati Regiæ, ſecundum divina Jura, adeòq, & ſub peccati pœna, debere obſervari, ac præſtari quidem ſanctè: idq, (inquam) non obſtante ulla quapiam Epiſcopi ipſius Romani vel poteſtate, vel prætenſione, vel ſententia, etiam Excommunicationis, Depoſitioniſq,. Quòdq, deinceps, in hunc uſq, diem, nulla Superiorum Ordinis ſui, nulla Internunciorum Apoſtolicorum Belgij, nulla *Franciſci Barberini* cæterorumq, Eminentiſſimorum Sacræ Congregationis de Propaganda Fide Car-

Cardinalium, authoritate induci potuerint ad refigendum: Immò contra, non tantùm pro nihilo planè habuerint vel ipſius etiam Theologicæ Facultatis, quæ *Lovanij* eſt, Cenſuram; ſed Libris & argumentis irrefragabilibus utraq, Lingua, Anglicana & Latina, editis, eamdem cenſuram everterint, oſtenderintq, vanam, falſam, aCatholicam, Schyſmaticam & Sacrilegam eſſe.

Deinde ex æquo jamdudum ſeu domi in *Hibernia*, ſeu foris in *Belgio*, *Romæ*, ubiq, apud omnes quorum interfuit, longè manifeſtiſſimum erat, Solius Remonſtrantiæ ejuſcemodi promovendæ gratia, indici Congregationem illam è toto Regno, atq, utroq, Clero, *Valeſium* curaviſſe. Eo nomine, in ipſum Romanæ Aulæ Miniſtros, mirandum in modum, exaſperatos incenſoſq, nullam non adhibuiſſe operam per literas & Nuncios fruſtrandæ Indictioni, ac deterrendis à Conveniendo Patribus. Et tamen Patres, id eſt Archiepiſcopos, Epiſcopos, Ordinum Regularium Provinciales, Vacantium Diœceſium Vicarios, & Theologos quoq, tam Seculares quàm Regulares, ad diem & locum conveniſſe; ac ibidem loci nempe *Dublinij*, Urbe regni præcipua, & Metropolitana, Emporioq, Gentis celeberrimo, Seſſionem publicam, pacificam, quietam ad quattuordecim dies,

quoad

quoad nimirum permisit Prorex, tenuisse; ne quicquam obstante aut plebe, aut populo, aut ipso Ordinum Regni Parliamento (quod tunc forte in eadem Urbe sedit) quantumcumq; à Romana (seu Catholicâ ejus Synodi Patrum) diversæ religionis. Eosdem Patres, quam *Valesius*, in Sessione publica, tot annorum procurationis suæ adeoq; & Remonstrantiæ illius, ita jam tunc famosæ rationem reddiderat, adeò approbavisse, ut non modò officium, potestatemq; ejus Procuratoriam confirmaverint, nec modò in singulos annos deinceps, sive honorarium, sive stipendium annuum, pro conditione Gentis amplissimum ei obtulerint; sed literas etiam quascumq; vellet ipse suiipsius commendatitias ad Internuntium Apostolicum Belgij, Cardinales de Propaganda Fide, ipsumq; etiam Pontificem Maximum & Beatissimum, totius Congregationis nomine scribendas. Formulam quoq; professionis suæ ipsorum videlicet erga Regem, in temporalibus quibuslibet observantiæ & fidei, concepisse, subscripsisse, & una cum primis tribus *Parisiensium* illarum sex anni 1663. propositionum, ijsq; diversa charta applicatis pariter & subscriptis, Locum-tenenti Regio præsentasse. Illiusmodi sanè bina Instrumenta, ut quamquam à priori Formula (quæ nihilominus sola apud omnes adhuc *Remonstrantia*

tia Hibernorum dicitur, cujuſq; ſubſcriptionem vel in ea ipſa Nationali Congregatione *Valeſius* quidem pro virili urſerat) verbis diſcreparent; ſenſu tamen, qui inter cordatos utrumq; viros & obvius & planus eſſet, haud ita. Niſi ſi fortaſſis nec immeritò quidem, liceat obſervare hic, Poſteriorem, ſive iſtam aio Congregationis Formulam, diſertis verbis negare cuicumq; in Terris Tribunali, adeòq; vel Concilio etiam Oecumenico, deponendi Regis authoritatem: cùm prior illa tantùm Pontifici Romano cæteriſq; ab eo poteſtatem ſuam derivantibus, id neget.

Quod Capitulum Provinciale Fratrum noſtrorum *Dublinij* quoq; ut eodem anno, ſic paulo poſt ſoluta illa utriuſq; Cleri Comitia, 25 Julij & ſequentibus habitum atq; celebratum, ſpectat, iſtud impræſentiarum obſervavero; nempe, Difficultates & controverſias omnes quæ in illo emerſerant, non aliunde quam ex præfatæ illius famoſæ, exoſæ, prioriſq; adeo Remonſtrationis cauſa emerſiſſe. *Valeſius* quidem confirmationi Electionis Reverendi admodum Patris *Bernardini Barrij* in Miniſtrum Provincialem, itidemq; *Jacobi Darcei* in Cuſtodem, *Geraldini*, & *Bradei* in Diffinitores, cum effectu interceſſerat; ſed uti hominum non Remonſtrantium, nec ſimpliciter non Remonſtrantium, ſed obſtinatis animis

mis nolentium esse: quosq; adeò, ut Majestati Regiæ meritò suspectos, Excellentissimus ipse Prorex vetuit confirmari. Posteà mox, eum qui, uno forte aut altero minus, æqualia cum prædicto Patre *Barrio* suffragia pro Ministerij Provincialis munere habuit, Reverendum admodum Patrem *Franciscum Coppingerium*, utpote non modò integrum vitæ, scelerisq; purum, & pium præterea & devotum, sed Remonstrantem insuper, adeoq; Majestati Regiæ & Proregis Excellentiæ gratum, *Valesius* curavit in eodem Capitulo, Provinciæ gubernandæ Commissarium institui, fruiturum scilicet eo munere dum penderet seu Electionis prædictæ, seu Confirmationis ejus causa coram Reverendissimo Generali, ad quem ex forma & præscripto *Clementinæ* devoluta erat. Ac nihilominus post biennium, seu postquàm sanè cum *Madriti* tum etiam *Romæ* causa abundè discussa & considerata fuisset, tandem, id est sub finem anni 1668. sententia definitiva *Madriti* in Consistorio gravissimorum Hispaniæ Patrum, pro ea parte quam *Valesius* tuebatur lata est; Electio *Barrij* annullata, cassata; & *Coppingerus* Hiberniæ Vicarius Provincialis institutus; patentesq; ad Provinciam triplices, ad *Valesium* verò epistolæ variæ, tum à Definitore Generali *Patricio Duffio*, tum à Secretario Generali *Patricio Tyrello*, tum

tum etiam ab ipſo Reverendiſſimo Patre Miniſtro Generali *Ildephonſo Salizanes*, cum expreſſo Nuncio P. *Hugone mac Cormick* Viro Religioſo, ex Hiſpania miſſæ.

Deniq; rerum famoſiſſimarum Patris *Jacobi Taaff*, Vicarij illius quondam (ſi Romanæ Curiæ placet) in *Hibernia* Apoſtolici, jampridem in omnem terram exierat ſonus. Non ſolùm in *Hibernia*, ſed in *Belgio*, in Romana Curia, adeoq; etiam in univerſo Ordine Franciſcano, præſertim ijs qui Generales aut Prælati aut Conſultores erant, innotuerat viri nomen. Jamdudum inſignis & pene incredibilis impoſturæ ejus fama aures omnium repleverat. Certè jamdudum conſtabat, quorum authoritate nixus, videlicet Eminentiſſimorum *Franciſci* Cardinalis *Barberini*, ac Illuſtriſſimorum *Roberti* apud Gallos Nuncij, *Jacobiq; Roſpiglioſi* apud Burgundiones & Belgas Internuncij Apoſtolici vir ille memorandus Pater *Taaff* Hiberniam anno 1668. petierat, appuleratq; *Dublinium*. Cui bono grandi & publico, ibidem (ſi faveret cœlum votis) abſq; mora expediendo, miſſionem ei pariter & commiſſionem veram præfati Proceres conceſſerant; bonumq; iſtud ingens haud aliud fuiſſe quàm quod ita vehementer avebant quovis modo, ſeu Marte, ſeu arte, dolove aut aſtu procuratum; damnatæ ſcilicet Formulæ

mulæ refixionem; quodq, conſectarium eſſe neceſſe erat, non modò in Hibernia rurſus errorem priſtinum de Pontificia deponendorum Regum aurhoritate firmiter ſtabilitum, ſed Remonſtrantium Fratrum qui contrariam veritatem docebant, Valeſiq, imprimis vel inter Gentiles ſuos confuſionem, ignominiam, opprobrium. Conſtabat quoq, ut in *Anglia*, & prius ſanè quàm in *Hiberniam* trajecerat, ſive rerum iſtarum deſperatione actus, ſive contra, facilius aſſequendarum vel multa vel ſaltem aliqua ſpe fretus, & in omneim eventum potentia Patronorum Eminentiſſimorum nixus & certus gratiæ, iple ſibi Commiſſionem falſam, id eſt Bullam Vicariatus, Commiſſariatus, & Legationis Apoſtolicæ, velut à *Clemente* IX. datam confinxerat, opera & calamo, in ea re, *Londini*, (ut fertur) cujuſdam Hiſpani Sacerdotis Apoſtatæ, uſus. Et qualiter partim iſtius Bullæ, partim verò aliarum quarundam, velut Cardinalis Roberti, literarum, (ſimiliter enim iſtæ Roberti literæ, ut illa *Clementis* Bulla, cum ad *Taaffium* ipſum ſuperſcriptæ, tum ab ipſomet, vel alio quopiam ejus gratia, confictæ erant) impoſtura *Valeſio* impoſuerat, & per Valeſium univerſo totius Regni Clero. Ut præterea quoniam *Valeſij* (quantumvis bona fide ſatagentis) conſilium ac directionem, in

in ordinanda præſertim Viſitatione Apoſtolica ſecundum præfatæ Bullæ tenorem, plerumq; ſequutus erat; Viſitatoribus etiam Ordinum atq; Diœceſium pene omnibus è Remonſtrantium numero aſſumptis: ille quamprimum, hoc eſt, quinto vel ſexto menſe executi jam ſeu veri ſeu ficti muneris vix tranſacto, *Romam* revocatus fuerit; idq; ſpecialibus Eminentiſſimi Domini *Franciſci* Cardinalis *Barberini* literis, nomine totius Sacræ Congregationis *de Propaganda* ſcriptis. Ut porrò in iſſdem literis, præter alia notatu digniſſima, habeatur, indulgentiam ipſi etiamnum factam omnium quæ in iſtis rebus utcumq; peccaviſſet; ſolùm deinceps abſtineret à juriſdictione exercenda, & quantocius *Romam* veniret. Demum, ut profectus eo, appulſuſq;, liber tamen & hilaris eſſet, tantùm non Epiſcopatu adhuc donatus ob impenſam & bene collocatam operam. Ac certè iſtud ingenuè fateor, Plus *Valeſio* & Socijs Remonſtrantibus (ut conjunctio temporis, aliarumq; rerum inexpectatarum erat) ſemeſtria illa unius Patris *Taaffij* figmenta nocuiſſe, quàm octennij precedentis omnia prorſus aliorum quorumcumq; adverſus Remonſtrationem attenta menta. Immò liquidum eſt, illa ipſa *Jacobi Taaff* quantumcumq; ridicula, deſperata, phrænetica, multò magis Valeſio & Socijs

Remonſtrantibus nocuiſſe quàm ipſorum etiam Illuſtriſſimorum *Belgij* Internunciorum, *Hieronimi de Vecchijs*, & *Jacobi Roſpiglioſi*, ipſiuſq; adeo Eminentiſſimi Cardinalis *Barberini* literas veras, miras, vehementes & multiplices: quàmq; etiam vel Facultatis Theologicæ Lovanienſis Cenſuram, vel Congregationis Nationalis Antwerpianæ Declarationem, vel deniq; Prælatorum Ordinis Generalium ſive monitiones ſive minas quaſlibet.

VII.

Quamquam verò quæ hactenus, tam de Taaffio, quàm de Capitulo, Synodo, Formula quoq; ipſa præfatis, dicta ſunt, per omnium ora quorum intererat, longè prius vulgabantur quàm Paternitas tua, quàmve cæteri Generales illi Socij tui Definitores aut Valliſoletum perrexiſſent, aut Vallis-oleto *Madritum* migraviſſent, laturi illic & promulgaturi in me judicium: attamen iſtiuſmodi cauſarum, ne unam profecto quamlibet vel acceſſoriam, quanto minus principalem ipſam? nihil prorſus (aio) iſtarum rerum ſive Patris *Taaffij* impoſturæ, ſive Provincialis Fratrum Noſtrorum in Urbe Dublinenſi Conventus, ſive Nationalis ibidem ex utroq; Clero Synodi, ſive demum Formulæ illius adeò Romanorum

rum auribus horridæ, abominandæ, ſacrilegæ, viſum Formatoribus Decreti *ſpeciatim* tangere aut exprimere. Aliorum octennij quod præceſſerat, experientia prudentiores evaſere quàm ut contra *Valeſium*, & Socios (quos illi *Sequaces* ejus vocant) abſq; larva procederent; aut Decreto ſuo cauſas ipſas Romanæ iræ veras, injuſtas, varias, improbas vel publicarent vel agnoſcerent, in ſpecie inquam. Haud ignorarunt amplius, quòd, expreſſiſſe illas in *ſpecie*, evertiſſe iſtud universè, foret. Nec ullo modo laturum Regem noſtrum Clementiſſimum ac juſtiſſimum, ut ob fidelitatis debitæ profeſſionem, Majeſtati ſuæ, quemadmodum decuit, factam, conſtantemq; Formulæ ejus defenſionem, viri cætera innocentes, tam iniqua, tam immania in Ordine ſuo, ſuiſq; etiam à Fratribus, paterentur. Et hinc indubiè, Formatoribus *Decreti* conſtitutum, illiuſmodi res quaſcumq; tam acceſſorias quàm principales, quæ ſi diſertis verbis proſtarent in Decreto, Aulæ *Britannicæ* bilem fortaſſis commoverent, *generica* tantùm, ſed contumelioſiſſima tamen & falſiſſima Decreti ejuſdem ſui Præfatione perſtringere.

Ita enim præfantur illic Diffinitores optimi & integerrimi. *Non ſine maximo dolore, & proborum omnium lamentu, intellexit Capitulum Generale ſcandala orta in*

Regno Hiberniæ opera Fratrum Petri Valeſij, & Franciſci Coppingeri, ac paucorum Sequacium; Qui Dei timore poſtpoſito, & proprij Inſtituti immemores, ſpretis ſuorum Superiorum ſalutaribus monitis, & contempta ſancta, quam ſolemni voto ſpoſponderant, obedientia, citra omne fas, ſacra profanis, & Monaſtica civilibus, dicto & ſcripto, confundentes, tam dedecoroſis maculis ſuam Nationem, Provinciam, & Religionem labefactarunt, ut ſanctè viventium Fratrum lachrymis vix abſtergi valeant. Satis quidem pro imperio, & ſupercilio; nimis autem pro falſitate & injuſtitia, etſi tantum modò in *genere* dictum. Sed hujus loci non eſt Præfationem ex æquo mendaciſſimam, atq; multis aliis titulis iniquiſſimam, aut retorquere, aut refutare. Vtrumq; jamdudum in Epiſtola mea Apologetica ad Reverendiſſimum P. *Franciſcum Maria Rhini à Polizzo* (Miniſtrum illum totius Ordinis Generalem, Valliſoleti anno 1670. electum, unumq; adeò, & præcipuum quidem eorum qui illic tecum contra me decreverant) abundè factum eſt. Illud verò obſervandum hic, Nullam utiq; earundem cauſarum, quas ita in *genere* tantùm perſtrinxiſtis, judicatam hactenus in *Tribunali illo altiori*, ſeu in eo, inquam, ad quod *Valeſij* cauſam ais, nec *Valeſius* ipſe diffitetur, delatam eſſe. *Tribu-*

nal

nal enim illud *altius*, vel tu ipſe ultrò fateberis non aliud eſſe, quàm commune veſtrum ſive Capituli ſive Definitorij Generalis *Valliſoletani* Patrum; quàm ipſiſſimum iſtud, nimirum cujus authoritate contra *Valeſium* & Sequaces Decreto famoſiſſimo judicatum eſt. Neq; non fateberis ipſe nihil eo Decreto judicatum, cujus nullam omnino in ſpecie, Decreti ejuſdem tenor mentionem facit. Et quoniam in hac obſervatione, nullam nobis fore controverſiam puto: ad ea progredior nunc, in quibus nulla nobis conventio erit; ſed Paternitati tuæ, ut reor, moleſtia & negotium ingens.

VIII.

Ad eas venio cauſas Acceſſorias quæ ſuperſunt conſiderandæ: ceu quas in *ſpecie*, Decreto illo veſtro, non tantum perſtrinxiſtis, ſed proſcripſiſtis; certè velut candenti ferro ſtigmatizaviſtis, ſi ita licet loqui. Et hæ quidem ſunt tres. Unam facit Reverendi admodum Patris *Franciſci Coppingeri*, Vicarij Provincialis Hiberniæ depoſitio, *Gemmrigi* in ejus locum ſuffectio: utraq; verò Eminentiſſimi Domini *Franciſci* Cardinalis *Barberini*, unis iſdemq; literis patentibus effecta. Aliam facit ex-

communicatio ista, quæ à Prædecessore tuo *Jacobo de Ridderé*, in *Valesium*, prætextu contumaciæ ejus in non comparendo, lata ac denuntiata fuit. Tertiam & postremam facit nonnullorum Librorum impressio, Authoribus eorumdem *Carono* & *Valesio*. Hæc enim tria, ea sola sunt de quibus in *Decreto* vestro, sive ad laudem & confirmationem, sive ad condemnationem & opprobrium ullius cujuspiam facti specialis mentio fit. Immò sola sunt, quæ, una cum præfatione superius data, summam faciunt omnium quæ quovis modo, sive speciatim, sive generatim, in Decreto isto continentur. Tantum si excipias præceptionem novam sub Excommunicationis latæ sententiæ pœna, *&c. Valesio* pariter & *Coppingero* factam, nempe comparendi intra sex menses coram Reverendissimo Patre Ministro Generali Ordinis. Itidemq; aliam Ministris omnium Provinciarum Ordinis factam, qua injungitur ipsis ut summo studio Libros, Memorialia, Informationes, & Libellos quoscumq; à prædictis Fratribus *Carono* & *Valesio* editos recolligi faciant, atq; ad prædictum Superiorem Generalem transmitti. Verum quia neq; præceptis istis duobus, neq; alterutro de quapiam re vel causa, ceu præterita (licet in utrolibet nonnihil pro futuro provisum fuerit) vel dici, vel prætendi quidem

quidem poteſt, quocunq; modo judicatum eſſe: in præſentia non eſt ad rem, de ipſis agere, aut adjicere plura. Itaq; in tribus illis cauſis acceſſoriis reliquis, utpote ſolis quæ, Tribunalis veſtri altioris Decreto ſæpe memorato, *contra Valeſium & Sequaces* edito, utcunq; judicantur, *Valeſij* cauſam, ſive ſimplex illa, ſive compoſita ſit, quam in eo Tribunali judicatam dicis, neceſſe eſt reperiri. Quamquam verò pronum ſit exiſtimare, Paternitatem tuam reſponſo iſto, haud intendiſſe aliam *Valeſij* cauſam, præter eam quæ ſoli ipſi propria, non communis aliis, ut *Coppingeri*, erat: haud mihi tamen opus video diſtinctione aut ſeparatione earum nunc. Primùm, quia de intentione tua non ſatis liquet. Deinde, quia vel ipſe quidem Decreti titulus videtur indicare, omnia quæ decernuntur, contra *Valeſium* imprimis decreta eſſe. Rurſum, quia jampridem de ſingulis, in Tractatu meo Epiſtolari ad Reverendiſſimum Patrem *Franciſcum Maria Rhini* dato inſcriptoq; ſatis diſtinctè ac diffuſe egi. Poſtremò, quoniam reſponſo tuo evertendo, quod preſentis loci ſcopus eſt, ſuperflua foret ſive diſtinctionis earum, ſive rationis meritorum, opera. Liquet enim, quòd, in Tribunali illo altiori, contra *Valeſium* pariter & *Coppingerum* Socioſq; reliquos, eodem prorſus modo, malè judicatum ſit.

Quare ſufficiet mihi retorquere nunc, quàm non modò contra omnem Judiciorum modum, ſed ſubſtantiam ipſam divinorum pariter & humanorum Jurium modus ille Judicij iſtius veſtri, ex æquo iniquus erat, ſive ubi in *Valeſium* ſolum, ſive ubi in *Coppingerum* & cæteros urià, decreviſtis.

Ut enim in præſentia nihil morer, ſed omninò ſileam atq; pertranſeam, ceu in controverſia poſitum, iſtud, Nempe viros verè innocentes, juſtiſſimamq; eorum cauſam eſſe, adverſum quos, Decreti utroq; loco Reverentiæ tuæ & Collegis, decernere viſum: profectò, utrobiq; contra non confeſſos, non convictos, non auditos, non præſentes, non defenſos; contra nec citatos quidem, nec monitos, nec ulla ratione ad judicium vocatos; contra abſentes, diſtanteſq; procul in longinquis, ultra terras, & regna & vaſtiſſimum mare; immò contra inſcios planè Judicij illius quod in ipſos, vel de ipſorum cauſâ utcumq; pararetur, decreviſtis, judicaſtis, pronuntiaviſtis. (Quemadmodum ſane, ac iſidem pene verbis, in priori epiſtola mea, dum adhuc *Londini* eſſes, tecum expoſtulaveram; quamvis Tu, Reverendiſſime Pater, ne gry quidem ad iſta reſpondere dignatus es.) Utrobiq; etiam contra ejuſmodi fratres veſtros & Depoſitionem ab officijs,

& Privationem perpetuam Actuum Legitimorum, & Excommunicationem insuper latæ sententiæ, pœnas videlicet cum Ordinis tum Ecclesiæ gravissimas, maximas, ultimas, sanciviſtis. Ac illud certè, de judicij vestri modo, ne Tu ipse quidem, non quispiam alius Collegarum, non improbitas ipsa inficiari potest. Istud autem de pœnis ex puro puto ipsius Decreti textu manifestum est. Et enim præfationem superius datam absq; medio quoquam ita prosequimini. *Quibus ut opportunum adhibeatur remedium, causa prius bene examinata, & maturè discussa, Diffinitorium Generale fraterna charitate hortatur dictos Fratres ad resipiscentiam, ac transgressionum suarum pœnitentibus, pollicetur & veniam. Confirmat deinde censuras in dictum Fratrem Petrum Valesium, propter contumaciam in non comparendo, latas per Reverendissimum Patrem Commissarium Generalem Nationis Germano-Belgicæ. Et denuò per sanctam obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ ipso facto incurrenda, ac privatione perpetua Actuum Legitimorum, præcipit, tam dicto Fratri Petro Valesio, quàm Fratri Francisco Coppingero, ut intra spacium sex Mensium ab hujus Decreti intimatione compareant coram Reverendissimo nostro Generali Ordinis, rationem reddituri omnium quæ ipsis obijciuntur. Cæterùm verò,*

verò, ſi qui ſuperſunt, eorum Sequacibus, ſub eiſdem pœnis diſtrictè injungit, quatenus omni tergiverſatione poſtpoſita, ſe ſubmittant Vicario Provinciali dictæ Provinciæ Hiberniæ, ſcilicet Patri Fratri Petro Gennor, cui præfatus Frater Franciſcus Coppingerus ſub eiſdem pœnis teneatur ſigilla & regeſta Provinciæ tradere: & quem Diffinitorium Generale vult ab omnibus & ſingulis memoratæ Provinciæ Alumnis velut ſuum Legitimum Prælatum agnoſci ſub eiſdem pœnis. —— *Et cum in noſtra Religione extet Conſtitutio Generalis Victoriæ renovata, & aucta anno* 1649. *quæ prohibet ne ullus Fratrum cujuſcunq; ſit conditionis, audeat Typis mandare, Libros, Memorialia, Informationes, aut Libellos abſq; expreſſa licentia Superiorum Generalium: intellexit autem Diffinitorium Generale dictum Fratrem Petrum Valeſium & Raymundum Caron (jam defunctum) quoſdam Libros ſine dicta licentia typis mandaſſe; declaratur qui ſuperſtes eſt, ſcilicet, præfatus Frater Petrus Valeſius ſubjacere pœnis impoſitis per dictum Conſtitutionem, videlicet, Excommunicationis, & Privationis Actuum Legitimorum.* Agnoſcis hic Judicij inſignis ipſa quoq; verba? & verba quidem neq; diminuta, neq; aucta, nec tranſpoſita, quæq; (ut jam dixi) continuo curſu Præfationem ſubſequuntur?

Sed & illud animadvertas licet, quàm ſincero animo & conſcientia bona; immò

mò quàm repugnante & remordente vel ipſius Dictatoris Scribæ Syntereſi propria, ſi tamen callo non obducta penitus; quàm (citra omne dubium, citra conditionem ullam) neq; rectè, neq; verè, ſed manifeſtè falſò, *cauſa prius bene examinata & maturè diſcuſſa*, præmittatur affirmeturq; hic. Idoneè quidem id fateor factum præoccupandis Lectorum animis. Idoneè etiam, averruncandæ Nuntij Præſidis Apoſtolici iræ, gratiæq; ejus ineundæ, nihil cunctatum, ut non quæ ſequebantur decernebanturq; an æqua, an iniqua forent: ita neq; an, vera, an falſa eſſent præſuppoſita aut præinſerta quævis. Verùm, ut Diffinitorij Generalis Franciſcani Patres deceat, ambientis Scribæ Secretarij ſui mendacium in re graviſſima tam perniciosùm, puridum, effrons, calculo ſuo approbaſſe authoritateq; ſua in lucem emiſiſſe, ac per *Europam* diſperſiſſe; id quoq; opinor, animadverſione tua nunc haud indignum.

IX.

Et per immortalem omniſcientemq; Deum, qui vobis ipſis perſuaſum eſſe potuit, quod alijs inſertione iſta voluiſtis. Cauſam adeo multiplicem, multiformem, multimembrem; cauſam tot annorum

adeo

adeo intricatam & perplexam; & cauſam illinc Rotius regni, iſtinc verò totius Provinciæ & ſexaginta Conventuum *Hiberniæ*: ejuſmodi cauſam dico, in ejuſmodi abſentia qualem jam deſcripſi, hoc eſt, nemine prorſus eorum quorum interfuit vel præſente, vel ſciente, aut vocato, aut citato, *&c. benè* tamen *examinatam, & maturè diſcuſſam* eſſe, pro Tribunali? Tot queſtiones Juris, tot momenta Facti, tot circumſtantias rerum neceſſarias, quot ſive in epiſtola Coppingeri ad Eminentiſſimum *Franciſcum Barberinum*, ejus Depoſitorem, duplicibuſq; ad Pontificem Max. & Beatiſſimum ab illo Cardinali provocationibus; ſive in *Valeſii* non tantum literis ad *Riddero* datis, nec tantùm priori pariter ac poſteriori Appellatione à *Riddero*, ad Reverendiſſimum Patrem *Ildephonſum Salizanes* facta, ſed etiam Recuſatione ejuſdem *Redderi* in Judicem addita, continentur: omnia iſta, inquam, nullo ne vocato quidem cujus partes erant reſpondere, cujus indubium jus audiri, *bene* tamen *examinata & maturè diſcuſſa*, pro judicio?

Igitur primùm, *Coppingeri* Depoſitio per præfatum Cardinalem ut facta fuerit, *bene examinatum, & maturè* in Tribunali illo veſtro altiore perpenſum eſt. *Coppingeri*, inquam, illius ſancti, mitis, devotiq; Deo penitus.

Et

Et *Coppingeri* quidem illius, qui ſæviente olim in Hibernos *Cromvelliana* perſecutione, mille octingentos lapſos Fidei orthodoxæ & Eccleſiæ Chriſti, ſolus reſtituerat. Qui in Capitulo Provinciali, illo nupero ad annum 1666. apud *Dublienſes* habito, Vocalium omnium, ſexaginta nempè aut circiter, unanimi ſubmiſſione, deſiderio, poſtulatione (duos tantum ſi excepero) Commiſſarius Provinciæ gubernandæ inſtitutus erat. Qui munus iſtud, multa cum Provinciæ pace, ad tertium annum digniſſimè & ſanctiſſimè adminiſtaverat. Qui deniq; ſub finem anni 1668. tum authoritate, patentibuſq; literis Reverendiſſimi ipſius Miniſtri Generalis *Ildephonſi Salizanes*, tum graviſſimi totius *Hiſpaniæ* Patrum Conſiſtorij approbatione, ſub novo titulo, nimirum *Vicarij* Provincialis, eidem Provinciæ *Hiberniæ* rurſum præfectus: atq; demum in Provincia ipſa domi, anno 1669. (quo ſcilicet ex *Hiſpania* patentes iſtæ *Salizanis* appulerunt) concordibus tam Congregationis in Conventu *Montis fernandi* 13 Junij. eodem anno tentæ, quàm reliquorum Patrum, Fratrum, Conventuumq; omnium & ſingulorum Provinciæ votis, nemine reclamante, nullo appellante neq; excipiente, ne uno quidem, receptus; viſitationem quoq; hoc tertio anno tertiam, & viſitationem utiq; plenariam, & per

omnia

omnia prioribus ſimilem, nulli oneroſus, omnibus gratus & venerabilis, ac ſub iſto quidem novo *Vicarij* Provincialis titulo, obierat, abſoluerat, perfecerat. Ejuſmodi, aio, Superioris Prælatiq; Provincialis Ordinarij, de nullo crimine aut delicto, nulla tranſgreſſione aut culpa, unquam, vel accuſati vel delati, multo minus infamati; nunquam adeò aut confeſſi aut convicti de quapiam re mala; (parum verò id eſt) nunquam vel citati, vel moniti, vel quomodolibet ad judicium accerſiti; nunquam vel in minimo, numquam vel ad horulam aut momentum contumacis, ne contumacia quidem præſumptiva ſive facti ſive Juris; & conſequenter numquam, nuſquam, nihil malè meriti; imò numquam in ſua cauſa, (quamcumq; illam fuiſſe dices) ſive per ſe, ſive per alium vel defenſi, vel auditi; ſed abſentis procul, inſciiq; omnino cujuſlibet aut queſtionis aut litis contra ſe motæ: ejus viri depoſitio inquam ut legitimè, ut canonicè, ut juſtè, per viam adeo extraordinariam, recurſumq; adeò incognitum, inſolitum, atq; ſemper Ordini Franciſcano inviſum, procurata effectaq; fuerat, bene examinaſtis, & mature diſcuſſiſtis in tribunali illo altiori, Tu & Socij tui Definitores *Valliſoletani*.

Quinetiam rite ponderaſtis, ut liquebat, Eminentiſſim[i] Cardinalis patentes literas,

quæ

quæ *Coppingerum* ita depoſuerant, *Romæ* tamen datas & expeditas eſſe vel altero quidem Menſe quàm priores illæ Reverendiſſimi *Salizanis* literæ in Provincia domi viſæ, receptæ, & executionem adeptæ ſunt. Immò, ut liquebat, nullam prorſus cauſam adeò inopinatæ (ne dicam nunc, iniquæ) revocationis, caſſationis, annullationiſq; illarum Reverendiſſimi *Salizanis* Patentium, à Cardinale in iſtis ſuis literis datam, præter ſuggeſtionem hancce unicam, & nimis generalem, & manifeſtè falſam, videlicet, *Coppingeri deputationem, ſuffectionem, & inſtitutionem minimè Provinciæ* Hiberniæ *tranquillitati atq; in Domino progreſſui fore conducturam.* Niſi ſi fortaſſis cauſam veram, eamq; porrò ſufficienter à Cardinali expreſſam opinere, ubi poſtea, at ſimiliter in genere tantum dicitur, *ampliores etiam cauſas* Sanctitatis ſuæ (*Clementis* IX.) Eminentiſſimorum de *Propaganda Fide*, & ſuum in illa re animum moviſſe.

Ut conſcius ipſe Cardinalis adeò manifeſtæ earumdem ſuarum Patentium injuſtitiæ, neceſſarium putaverit *non obſtantiam* (ut loquuntur) fortiſſimam, quaſi de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ, ſub finem addere. Quibus enim finit, ipſiſſima ejus hæc verba ſunt: *Non obſtantibus præmarratis literis patentibus Patris Miniſtri Generalis*,

ralis, aut alijs Ordinis consuetudinibus & ordinationibus, privilegijs sive Indultis etiam Apostolicis, & quatenus opus sit, Regulâ Cancelleriæ Apostolicæ de non tollendo jure quæsito, cæterisq; contrarijs quibuscumq;.

Ut quo jure ista, adversus omnia Jura *Romæ* decreta erant, eodem in Provincia patentes ipsas, ne ostensas quidem prius Patri *Coppingero*, exequuti sunt quamprimum qui eas receperant Officiales, nempe Vicarius Provincialis, quatuor Diffinitores & Custos, de novo ijsdem literis instituti: favore, scilicet, authoritateq; & manutenentia imprimis freti Reverendissimorum Episcoporum & Archiepiscoporum, qui sub id tempus, majori numero quàm pro conditione Gentis expediret, creati erant, dicebantq; (saltem Primas eorum, nempe *Armachanus*, cæterorum nomine affirmabat) se in mandatis à Romana Curia habere, vel cum periculo capitis *Gennoro* & suis contra *Coppingerum* suosq; patrocinari & pro viribus assistere.

Ut conspiratione tanta, alijsq; etiam indignissimis artibus, quas longum esset recensere, tum *Coppingerus* ipse, tum Superiores omnes Locales, ipsi obedientes, violenter demum spoliati fuerant, nequicquam obstante Appellatione duplici quam in scriptis quoq; ad Sanctissimum Dominum à patentibus istis Eminentissimi Cardinalis

dinalis earumq; executione, idem *Coppingerius* intra fatalia juris interposuerat: id solum, visa appellatione, respondentibus adversarijs, Neminem in Romana Curia periculo suo ausurum *Coppingeri* Appellationem quamlibet vel præsentare quidem; quanto minus prosequi? Ut nihilominus, vel ipsa etiam Pontificia Jurá districtè vetant quidquam in Judicio contra spoliatos attentari, priusquam spolij in integrum restitutio fiat; statuuntq; aliter attentata nullius planè valoris fore. Postremò, ut Jura itidem Pontificia, non deferenti Appellationi ad Sanctissimum factæ, gravissimis quoq; pœnis plectunt.

Ista omnia inquam, quæq; vel consequebantur vel annectebantur alia plurima non modo scitu, verum etiam ad ferendum de Coppingero & suis judicium rectum ponderatu necessaria, Tu Reverendissime Pater & Socij tui Judices *bene examinaviſtis, & maturè diſcuſſiſtis?* Equidem pro Tribunali illo altiore & æquissimo vestro. Certè ut contra Coppingerum & Partem ejus, ita pro Gennoro & Asseclis, hoc est pro manifestis spoliatoribus, raptoribus, Sacrilegis, pro apertis contemptoribus quoq; & irrisoribus vel Appellationis ad Pontificem ipsum Maximum, ex justissima causa, si quæ umquam fuit, interpositæ, Decreto vestro decrevistis. Et eo-

dem tenore ſpoliatos quidem appellanteſq; non modo nulla reſtitutione ipſis prævia facta, ſed indicta cauſa judicaviſtis, condemnaviſtis, deprivaſtis; imò & ni violentiæ abſq; mora, ni latrocinio mero ſtatim manus darent, anathematizaſtis: atq; adeò, repugnante pariter tam divina quàm humana lege, oppreſſiſtis tandem aperta vi.

X.

Porrò *Valeſij* propria & peculiaris cauſa, (ſi tamen propria ejus ulla omnino fuerit, quæ Remonſtrantium Fratrum Societati non reapſe communis eſſet) illa ſcilicet excommunicationis, in ipſum à Riddero, ob prætenſam ejus contumaciam in non comparendo, fulminatæ, ut ſeſe habuerit: quàm itidem, pro judicio ac Tribunali illo altiori, bene à vobis examinata, & maturè diſcuſſa eſt, animadvertas licet nunc.

Ac imprimis quidem, ut prædeceſſor ille tuus, Reverendiſſimus Pater *Jacobus de Riddere* Valeſium patentibus literis citatorijs, *Bruxellæ*. 20 Auguſti 1669. datis ad comparendum *Mechliniæ* in *Brabantia*, intra vigeſimum diem ab earum receptione, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſervata, ex Anglia evocaverit; idq;

partim

partim eo prætextu, quòd (quemadmodum in iiſdem literis habetur) *aliàs per diverſas tum patentes tum literas familiares ſub obedientia ipſum ad præſentiam ſuam fruſtranea opera vocaviſſet*, quippe *variis ſubterfugijs* eouſq; declinantem comparere; partim iſto, quòd contra eundem, *à perſonis fidedignis & omni exceptione majoribus novæ quærelæ* tunc ad aures ſuas perveniſſent; partim illo quoq; haud minus generico & inani, *ob alias rationabiles cauſas*; videlicet quæ cunctantem pendentemq; animi, demum in propoſito haud æquo ſtabiliverant, atq; ad cæleſtium Petri clavium abuſum, *Valeſij* citatione impulerant.

Deinde ad iſta quid *Valeſius* non modò literis privatis, ſed publicis Inſtrumentis; & alteroquidem Appellationis, Recuſationis autem altero, utroq; verò tum Notarij Ordinis, tum aliorum teſtium manibus & ſigillis authenticato, intra vigèſimum illum diem reſponderit. Quid etiam ad ſingula abundè.

Ut priorem malè prætextæ cauſæ partem oſtenderit omnino falſam, & ſive ex oblivione ſive ex induſtria fictam, utpote numquam ante vel patentibus vel privatis literis, vel ſub, vel abſq; præcepto quolibet ad comparendum evocatus. Neq; enim epiſtola ea privata, eſto monitoria pariter & evocatoria, quam jamdudum id eſt an-

no 1663 *Brulæ* in Germania Paternitas ſua Reverendiſſima ad *Caronum* Londini exiſtentem, dederat, cæteroſq; omnes in genere *qui ſeſe iſti rei immiſcuerant*, nemine tamen præter *Caronum* ſolum expreſſo, neq; cauſa ipſa neq; circumſtantijs vel cauſæ vel perſonarum aliarum quarumcumq; aliter expreſſis, potuit ullo jure aut ratione dici *Valeſium* evocaviſſe. Præſertim ſi conſideretur, quòd *Valeſius* tunc *Dublinij* in *Hibernia* degens, per literas ſerias eundem Reverendiſſimum interrogaſſet, An Remonſtrantiæ cauſam? An Remonſtrantium Fratrum perſonas? Anue ſuam inter alias quaſlibet epiſtola iſta Paternitas ſua intendiſſet? quodq; idem Reverendiſſimus, etſi alia nonnulla ad illas ipſas *Valeſij* literas reſpondiſſet, ad interrogata tamen ea nihil. Ut quod ſecundo loco *de querelis* prætenditur, Valeſio in reſponſione ſua licuerit, ſaltem inter ſuſpecta reponere: cùm in priori allegato veritatem adeò ſuſq; deq; habitam non ambigeret.

Ut, citationis ipſius quæcumq; tandem cauſa vera fuerat, *Valeſius* pro ſe, inter alia, (quæ in præfatis Inſtrumentis publicis non tantùm plurima & probabilia, ſed manifeſta & irrefragabilia argumenta monſtrant, haud oportuiſſe ipſum Citationi huic obſequi) ſpecialiùs & enixiùs quidem iſta urſerit; nempe, cauſam non expreſſam,

Judicium

Judicium ultramarinum, Judicem ipſum non modo ſuſpectum, ſed planè infenſum, locum (etiam aliunde) nec libertati nec vitæ tutum, Inhibitionem deniq; Regiam, ne ſibi extra Imperij Anglicani fines liceret egredi.

Ut, quare pro ſuſpecto eundem Reverendiſſimum haberet, atq; adeo in Judicem recuſaret, particulares etiam rationes, varijs capitibus complexas, in Recuſationis charta dederit: rationes certe quorum vel una quælibet ſeorſim ſumpta, cuicumq; Judici recuſando, ſecundum jura ſufficeret.

Ut nihilominus in epiſtola, quam officij plenam, unâ cum Inſtrumentis iſtis publicis, tranſmiſeram, ex ſuperabundanti obtulerim vel renunciare quidem Appellationi, & vel coram ipſo eodem Reverendiſſimo hic in Anglia comparere (ſi placeret ipſi, huc venire) vel coram Delegatis quibuſlibet ejus ex Provincia Anglicana aſſumendis, modo ille concederet Arbitros qui ſecundum Jura de Recuſatione cognoſcerent: Judicemq; poſtea indifferentem, ſi pro me Arbitri pronuntiarent. Alioqui enim (hoc eſt, ſi Recuſationis meæ cauſas illi improbarent) judicio vel illius ipſiuſmet Reverendiſſimi obtuleram ſtare & ſubmittere, quodcumq; foret.

Ut, quamvis & epiſtolam iſtam & an-

nexa illa Inſtrumenta publica in manus proprias citator ille quamprimum recepiſſet; adeòq, juriſdictionem ſuam quoad me, in iſta ſaltem cauſa, niſi quâ ipſe aſſentirer, ſuſpenſam rectè (ſi liberet) animadvertiſſet: ad nutum tamen Illuſtriſſimi Airoldi apud Belgas tunc Miniſtri Apoſtolici neq, canonem, neq, legem, neq, rationem aut juſtitiam, immò neq, planam & plenam (quæ ex parte mea erat) impoſſibilitatem comparendi ultra mare, quicquam moratus, denuò mihi patentibus alijs, Bruxellæ octavo Januarij 1670 datis, ſub excommunicatione latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda injunxerit & mandaverit, intra quindecim dies ab earum receptione, coram ſe in Belgio comparere; quinq, primis diebus pro primo, quinq, ſequentibus pro ſecundo, quinq, poſtremis pro ultimo, finali & peremptorio termino aſſignatis.

Ut, in iſta citatione altera, Reverendiſſimus quæ paulo ante, ſcilicet in priori citatione, de literis ſuis familiaribus, patentibuſq, pariter evocatorijs, de inobedientia mea & ſubterfugijs, ac de querelis etiam contra perſonam meam exhibitis prætendebat, ſilentio alto, mutata nempe ſcena, pertranſierit: cauſatus nunc, idq, tantummodò in genere, propoſitum ſuum communicandi ac tractandi mecum de nonnullis

nonnullis (neſcio quibus) ac idcirco præſentiam meam in Belgio ad aliquod tempus neceſſariam fore.

Ut quamquam ab hoc ſecundo citatorio haud neceſſe eſſet appellare; tamen ex ſuperabundanti (ut dicunt) rurſus appellaverim: adjectis etiam ad priora omnia rationum appellandi momenta, pluribus novis. Ac iſto quidem, non ultimo loco, quòd procul omni dubio Citator ipſe jampridem, ſeu à priori citatione data, & miſſa, cum de facto tum de jure in excommunicationem majorem latæ ſententiæ incurriſſet; amneſtiam ſcilicet Reverendiſſimi Patris *Ildephonſi Salizanes* Provinciæ Hiberniæ utriuſq; Partis Fratribus, ac inter alios *Valeſio* factam, apertiſſimè & graviſſimè tranſgrediendo.

Ut quantumvis in utraq; Appellatione Apoſtolos (quod moris & juris eſt) inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè petierim, attamen citator nullos, neq; reverentiales, neq; refutatorios quidem pro alterutra conceſſerit.

Ut ſtatim poſt receptionem illius alterius meæ Appellationis, idem Reverendiſſimus Citator, re prius cum præfato Illuſtriſſimo Airoldo communicata, mihi autem nihil, ne verbo quidem uno, amplius aut reſcripto aut aliter ſignificato, ad ſententiam excommunicationis declaratori-

am, contra me, prætenſa videlicet in cauſam Contumacia, proceſſerit: eamdemq, ſententiam ad nonnullarum Eccleſiarum valvas affigi curaverit: exemplaribus ejus varijs ab eodem Illuſtriſſimo Internuncio in Angliam pariter & Hiberniam abſq, mora tranſmiſſis.

Ut nihilominus neq, apud Juriſtas neq, apud Theologos (ubi de iſtiuſmodi queſtionibus agunt) quidquam affirmatius neq, in ipſo Jure quidquam notius aut liquidius eſt, quàm Appellatione intra fatalia Juris vel à gravamine tantùm extrajudiciali vel ex cauſis tantùm veriſimilibus & probabilibus facta, cum extingui pronuntiatum, tum devolvi cauſam, tum etiam Juriſdictionem Judicis *à Quo* ſuſpendi. Nihil manifeſtius quàm excommunicatum Judicem omni prorſus Judiciaria poteſtate, ipſo facto, ac in utroq, foro quidem, manere deprivatum, ſaltem quoad eum cui excommunicatio ejus nota eſt, quiq, eam contra forum ejus objicit. Nihil certius, quàm ex negatis Apoſtolis, etiamſi non alia quæpiam nullitatis cauſa foret, Judicis *à quo* attentata omnia quæ negationem ejuſcemodi ſequuta ſunt, omnino inania, vacua, nulla eſſe. Nihil evidentius quam Appellanti annum, & ex cauſa biennium, triennium, aut plures, ad proſequendam Appellationem indulgeri, immò vel Poteſtatis

teſtatis Regiæ imperio, vel alio quopiam timore, qui in conſtantem virum cadat, impeditis à proſequenda, lapſum temporis quantilibet non occurrere. Et eadem eſſe Recuſationis effecta, nihil planius liquet. Porrò nihil tum in Jure notius, tum ratione, Eccleſiarumq; omnium & Regnorum praxi remotius à queſtione, aut dubio eſt, quàm vel Inhibitionem Regiam, vel Judicij non tutum locum (ut reliquas exceptiones præteream nunc) citatum excuſare ab omni vel minima quidem contumacia in non comparendo. Deniq; nihil minus controverſum eſt, quàm ubi contumacia non ſubſiſtit, neq; excommunicationem in ea ſola fundatam poſſe ſubſiſtere: cùm ſublata cauſa, effectum quoq; tolli neceſſe ſit.

Et iſta etiam, quæ Valeſii contumaciæ cauſam reſpiciunt, Tu Reverendiſſime Pater & Collegæ tui Judices in *Tribunali* illo *altiori* bene examinaviſtis, & maturè quidem omnia diſcuſſiſtis. Scilicet, intra quartum vel quintum menſem ab excommunicatione iſta, (quamquam haud minus invalidè quàm iniquè) in *Belgio* fulminata, eodem anno 1670. *Valliſoleti* in *Hiſpania*, & Capitulo Noſtri Ordinis Generali ad Feſtum Pentecoſtes celebrato, Tu Reverendiſſime Pater & Socij tui Diffinitores, quomodo *Coppingeri* Depoſitionem ab Eminentiſſimo Cardinale *Barberino* factam,

ſic

ſic & eandem *Valeſij* Excommunicationem à *Riddero* denuntiatam confirmaviſtis. Hoc eſt ad inſtantiam, immo ad præſentiam unius ſolius adverſariæ Partis; altera non tantum non convicta, neq; confeſſa, neq; non inaudita prorſus; ſed ne preſente quidem ſive in perſona propria ſive in Procuratoris cujuſquam præſumpta; immo nec citata umquam, nec vocata quomodolibet ad Tribunal iſtud; ac propterea neq; in ipſo externo foro, vel ſecundum Juris vel ſecundum Hominis quantumcunq; iniquiſſimi præſumptionem quamlibet, ullatenus contra te aut ſocios Judices, aut utroſq; ſimul, aut Tribunal iſtud contumace, Excommunicationem eouſq; nullam conati eſtis, attentaviſtis, ſategiſtis pro virili veſtra confirmare.

Sed interim bene eſt, quod Confirmatio, pura & ſola, ſeu quæ in forma communi fit (qualis iſta Definitorii hujus erat) ſuper firmum cadit; non firmum facit, quod ab initio non ſubſiſtit. *Cap. Quia diverſitatem. de Conceſ. Præb.* & *cap. cum Dilecta. de Confirm. util. vel inutil.* & *Gloſ.* ibid. Quòd etiam literæ Confirmationis vel ab ipſo Pontifice Maximo, ſuper ſententiam à qua appellatum erat, impetratæ, ac impetratæ quidem, ſive in cauſa principali, ſive in cauſa Appellationis, non valent, ſed pendent quoad Appellationis

tionis cauſa ritè cognoſcatur ac judicetur. Immò quòd ſi utiq, vel in forma non communi, ſed qualicumq, extraordinaria Definitores illi confirmaſſent, neq, ſolum modò ita confirmaſſent, ſed porro innovaſſent ſeu tuliſſent de novo cenſuras, vel eaſdem Commiſſarij Generalis Belgici, vel ejuſdem naturæ ſuas proprias Definitorij in Valeſium; tuliſſentq, adhuc eas vel ob peccatum aliud, quantumcunq, verum pariter & notorium: perinde tamen nihil planè effeciſſent; neq, *Valeſium* ligaviſſent, ne iſtis novis ſuiſq, propriis quidem. Idq, ſecundum omnia Jura, & Canonica, & Evangelica, & Naturæ ipſius dico. Canones docent, quòd ſaltem ab homine (quicquid ſit de canone) Excommunicatio numquam niſi pro ſola contumacia ferri poſſit. *Gloſ.* in cap. *Epiſcopi ſi Sacerdotali.* xi. q. 3. Evangelium, diu ante canones idem omnino ſatis apertè præſcripſerat, Mat. 18. ibi. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Ac ratio quidem ipſa naturalis dictat, Quod antequam conſtiterit, An peccator nolit emendari, ſeu, quod tantundem eſt, Eccleſiæ vocem renuat auſcultare; nemo hominum, ne Romanus quidem ipſe Pontifex Maximus & Beatiſſimus poteſt in eum graviſſimam Eccleſiæ ſententiam ferre. Illam dico ſpiritualiter exterminantem; illam ſpiritualiter

tualiter eradicantem; illamq; adeo, ubi clave non errante pronunciatur, multo graviorem, multoq; insupportabiliorem quacunq; pœna temporali; quemadmodum Sanctus quoq; Augustinus olim dixerat.

Bene insuper est, quòd secundum ipsa Ecclesiæ Catholicæ notissima & sanctissima Jura, secundum ipsius Ordinis nostri Seraphici constituta, ex adeo multiplicibus & manifestis etiam alijs defectibus, videlicet non confessi, non convicti, non auditi, non defensi, non præsentis, nec citati, nec vocati quidem ullatenus ad Judicium aut Tribunal istoc altius, atq; idcirco neq; contumacis Rei, sententia ista confirmatoria in ipsam non modò iniquè, sed invalidè prorsus & nulliter pronuntiata est. Quapropter in priori hac Valesij causa magis propria, contumaciæ fictæ & Excommunicationi vanæ adjecta est ridicula prorsus Confirmatio. Ejusmodi sane Confirmatio, quam *inutilem* vel ipsa Pontificia Jura vocant. Nimirum ita, Reverendissime Pater, Tu & Collegæ tui Judices *bene examinaviſtis*, & *maturè* cuncta *discussiſtis* quæ causam istam attinerent.

Cæterùm, si ad alteram *Valesij* causam, quæ similiter ejus, & solius quidem ejus propria nunc, utpote Reverendo Patre *Raymundo Caron* jamdudum ex hac vita ad Beatiorem

Beatiorem translato, veniamus: An fortasse putas saltem istam aut *bene examinatam*, aut *maturè* in *Tribunali* illo *altiore discussam*? Si putas, ac id introrsum putas; judicij tui acumen, immò certe memoria tua, & sensus & oculorum visus desiderabuntur: si verbo tantum contendas; equidem, a parte tua, probitati & conscientiæ bonæ renuntiatum est. Ecquid enim, oro, inter Fratres Instituti nostri, in tota Natione Belgica, id est, in Provinciis omnibus cum Superioris pariter & Inferioris Germaniæ, tum Hiberniæ, Angliæ, Scotiæ, &c. authoritati tuæ subjectis liquere potest vel ad oculum ipsum evidentius, quàm falsò, & absq; fundamento ullo Constitutionem illam *Victorianam* allegari contra me? Constitutio illa pro Nationis *Belgicæ* Provinciis (inter quas *Hibernica* & *Anglicana* sunt) neq; facta, neq; in ipsis umquam vel recepta, vel publicata, vel auditu quidem aliquando nota est. Quanto minus praxi vel consuetudine introducta? Provinciarum istiusce Partitionis omnium Statuta Nostri ordinis, quæ vocantur Generalia, impresso Libro jamdudum prostant, legunturq; bis in annos singulos publicè in Conventibus & Refectoriis nostris a capite ad calcem omnia. Nullibi autem inter ipsa Constitutum istud *Victorianum* reperitur.

ritur. Capite quidem ſeptimo, Paragrapho ſexto, numero decimo ſexto, *de Auctoribus Librorum*, fateor ſtatutum eſſe in hæc verba. *Verum cum liber aliquis prælo erit tradendus ſub nomine auctoris proprij, ante omnia Miniſtri aut Commiſſarij Generalis, vel Provincialis licentia petatur; quæ nimirum præſtari non debet, niſi prius diligenti examine, fuerit ab uno vel duobus Doctis Theologis Ordinis noſtri à R. P. Miniſtro deputandis, liber imprimendus, examinatus & approbatus, etiam quoad Epiſtolas dedicatorias, & alia omnia, cum poteſtate delendi ea, quæ minus congrua videbuntur; & qui aliter Librum aliquem imprimi curaverit, aut permiſerit, præter ſuppreſſionem Libri, inhabilis deinde ad ſcribendum irrevocabiliter declaretur.* Quid verò Statutum hoc ad illud contra me allegatum? Hic ſolummodò per disjunctionem, vel Generalis, vel Provincialis licentia ad impreſſionem Libri prærequiritur; adeoq; vel ſolius Miniſtri Provincialis ſufficit: illic Miniſtri Provincialis nulla mentio eſt; ſed ipſorum Generalium Prælatorum tantumodo. Hic tranſgredienti non alia pæna quàm inhabilitatis ad ſcribendum, nec ea quidem niſi per ſententiam Judicis infligitur: illic excommunicationis *ipſo facto* incurrendæ, porro etiam & omnium Actuum Legitimorum privationis,

nis, perquam ſevera ſanctio ſit. Ac iſtocce quidem longè mitius conſtitutum, uti pro Partitionis noſtræ Borealis Germano-Belgicæ, & Britannicæ, & Hibernicæ Fratribus conſtat eſſe factum: ita ſeverius illud pro Hiſpanicis tantùm, aliiſq; Provincijs, ſi quæ fortaſſis aliæ ſunt in quibus abſq; ulla modificatione & notum, & impreſſum, & praxi etiam receptum eſt.

Igitur cum *Valeſius* non alij cuipiam Provinciæ ab *Hibernia*, nec alij cuiquam Nationi ſive Partitioni quàm *Germano-Belgicæ*, &c. ſive profeſſione, ſive incorporatione, ſive alia etiam vel contractus, vel criminis, vel domicilij ratione mancipatus aut ſubjectus ſit: & conſequenter neq; ſubſit, neq; obligetur alius cujuſpiam Provinciæ aut Nationis Conſtitutionibus quantumcunq; Generalibus, quæ in præfato Statutorum Generalium Nationi Belgicæ accommodatorum Libro non habentur: numquid non apertè liquet, haud tantùm falſò, nec tantùm abſq; fundamento ullo, ſed dolo quoq; malo Diffinitorij *Valliſoletani* Patres *Victoriana* ſeu Hiſpanica illa Conſtitutione adverſus *Caromum* & *Valeſium* abuſos?

Ea certè adverſus eum qui ſuperſtes eſt vel ſcienter vel ignoranter abuſi ſunt. Nihil enim certius, quam quòd pœnam legis non incurrit,

incurrit, qui lege ipſa non tenetur. *Ubi non eſt Lex; nec prævaricatio,* inquit Apoſtolus ille Gentium. Ubi autem non eſt prævaricatio Legis, neq; pœna ejus poteſt eſſe. Et tamen in Tribunali illo altiori veſtro *declaratur qui ſuperſtes eſt prædictus Frater Petrus Valeſius ſubjacere pœnis impoſitis per dictam Conſtitutionem Victoriæ* renovatam & auctam, videlicet *Excommunicationis & privationis Actuum legitimorum.*

Vah Declarationem Seraphici Ordinis Judicum! Papæ! Vel *Herinxium* Belgam inter cæteros aſſenſiſſe etiam hic! Ille vicies, tricies, quadragies, & quod ſupereſt, quoniam totius Religioſæ vitæ quolibet anno bis inter prandendum publicè in Conventibus, *Statuta Generalia Ordinis Minorum Barchinonenſia, Segoviæ recognita, Provincijs Belgicis accommodata* vidit & audivit legi. Ac propterea eo maius, quoniam eo inexcuſabilius, Reverendiſſime Pater mi, peccatum tuum, quàm Collegarum cæterorum in hac parte eſt. In reliquis *Decreti* Articulis, injuſtitiæ tuæ ex æquo ſocios habuiſti: hic autem ſingulariter ipſe ſolus emines.

Attamen utcumq; vel ſcientia tua, vel Collegarum tuorum ignorantia, alterutrorum, ſeu hinc, ſeu inde, peccatum aggravaverit, minueritve: illud conſtat, utroſq; æqualiter, & Te & illos, abſq; ullo

ullo prorſum excuſationis vel ignorantiæ quidem prætextu, contra ordinem ſubſtantialem omnis omnino divini ſimul & humani Juris, ipſo declarandi modo, peccaviſſe. Ac ita enormiter & immaniter quidem ea ratione peccaviſſe, ut etiamſi *Valeſius* iſti Veſtræ Conſtitutioni *Victorianæ* revera obnoxius eſſet, etiamſi eam reapſe trangreſſus fuiſſet: id ipſum tamen pro Tribunali, quavis authoritate eo modo declarari, tantundem foret ac ſententiam injuſtiſſimam, invalidiſſimam, ipſoq; Jure nullam, iniquiſſimè pronuntiari. Modus enim iſte non alius erat ab illo ſolemni tuo & Collegarum tuorum, toties ante à Vobis contra *Valeſium* & *Coppingerum* per omnes Decreti Articulos uſurpato, nec non toties etiam à me hactenus animadverſo; nempe, contra partem inauditam, contra partem nec confeſſam, nec convictam, nec preſentem, nec vocatam quidem ad judicium, neq; adeo contra Tribunal veſtrum ulla rat one contumacem, pœnas Eccleſiæ graviſſimas pronuntiandi.

Excuſandæ autem, alleviandæve ejuſcemodi pronuntiationi ſive declarationi, an ignorantiam tu, Reverendiſſime Pater, an Collegæ tui cæteri poſſunt allegare? Non potes ipſe, non illi poſſunt. Utriq; Conſtituta illa, uinverſo Minorum Ordini, Provinciiſq; omnibus & ſingulis

per universum orbem communia, quibus directè contra cujuscemodi pronuntiationes iniquissimas decretum est, ex æquo pernovistis. Quoties tu sequentia, Libri Statutorum Generalium Provincijs Belgicis, annexisq; accommodatorum, disertissima, ipsissimaq; verba in Refectorijs lecta audivisti? *Non possunt Prælati in Actibus Judicialibus secundum suum arbitrium procedere: cùm certum sit Lege divina & naturali eos teneri ad ordinem substantialem Juris. Ideo statuimus, ut nullus Prælatus contra inauditam partem, vel contra eum, qui non fuerit sufficienter convictus, aut confessus, sententiam aliquam gravem ferat, qua quispiam vel Actibus legitimis, vel Officijs Ordinis privetur, vel in exilium relegetur, aut notabile aliquod nocumentum reo inferatur* *. Quoties illi similia, è suis respectivè Libris, audivere lecta? Et tamen alterutros haud puduit in Tribunali illo altiori omnia neglexisse, posthabuisse, conculcasse. Nimirum, *Intellexit Definitorium Generale dictum fratrem Petrum Valesium, & Raymundum Caron (jam defunctum) quosdam Libros sine dicta licentia Typis mandasse*, &c. O emphaticum & energeticum *Intellexit!* Si tantundem aio significat ac, *Auditis legittimè*

* Stat. General. Barchinonensia Prov. Belg. & Ger. accommodata, cap. vi. § 2. num. 4, & 5.

legittimè & juridicè in contradictorio partibus, apparuit manifestè: vel, *per Instrumenta & testimonia omni exceptione majora probatum est:* vel, *Confessus,* vel *convictus est Valesius ipse,* aut *Procurator ejus plenè instructus.* At si nihil ejuscemodi rerum significet; O ineptissimum & futilissimum *Intellexit!* Idq; aio, etiamsi *Victoriana* illa Constitutio *Valesium* obligavisset: immò, etiamsi pariter vel notorium quidem posset esse, quòd *Valesius,* contra ejusdem Constitutionis tenorem, Libros, nulla præhabita Superioris cujusquam Generalis expressa licentia, curavisset imprimi. Profectò, quemadmodum & Theologi & Canonistæ, sine ulla inter alterutros (in hac parte) controversia, docent *, Sententiam declaratoriam pœnæ, presertim gravissimæ, necesse est, ut præcedat sententia declaratoria criminis, etiam quandocumq; crimen sive factum est notorium & publicum. Hanc verò, scilicet criminis Declaratoriam, contra eum qui non contumaciter absens est, utpote nec citatus, neq; monitus, nec ullo modo vocatus ad

* Suarez de Censur. Disp. 3. Sec. 14. n. 6. vers. Ex quo intelligimus. Filliucius. cap. 4. Quæst. 10. n. 3. Covarruvias cap. Alma Mater. 1. p. §. 2. n. 9. Et alij apud eundem; prout eundem quoq; & precedentes citat & sequitur Bonacina, de Censur. Disp. 1. q. 2. Pu. 13. Prop. 9.

judicium, pronuntiari, omia jura vetant nec tantum vetant ſed invalidant, ſed irritant, ſed vanam & nullam eſſe declarant. Ac id merito quidem. Ratio enim ut virtutis, ita vitij, vel in Facto etiam maxime notorio, poſſet quandoq; occultiſſima, quandoq; nulla eſſe. Ac propterea fieri poteſt, contingitq; non rarò, ut Reus qui ſummè noxius audiebat, in Judicio tamen legitimo probet innocentiam, & probabilem ſui Facti quantumlibet notorij & publici rationem det. Addo, quòd ne tu ipſe quidem ſi conjecturam licet facere, ulterius contendes, iſtud inane veſtrum *Intellexit*, Declaratoriam criminis continere: equidem nemo alius contendet niſi perridiculè.

Verùm id contenderis, nec ne: & ſi ſic, an proſperè, an ſecus contentioni tuæ ſucceſſerit, an verò etiam antecedentia illa de judicij modo everteris; an potius, quod mihi certum eſt, in conatu defeceris, perinde poſthac erit, ad ipſarum rerum veritatem, miſſis ſuppoſitionibus, revertenti. Propitio enim Deo neq; Caronum neq; Valeſium Conſtitutio illa *Victoriana* umquam tenuit. Eodemq; Deo bono & benigno, Valeſij rerum miſerante, & momenta ſingula Decreti perverſiſſimi confundente, factum erat, ut iſtud quidem non adderetis, neq; ſubſtitueretis

quod

quod magis proposito vestro inserviret. Nempe, Diffinitorium Generale intellexisse, Valesium, absq; Superioris, cujusquam, sive Generalis, sive Provincialis licentia, nonnullos Libros prælo dari curavisse. Istud namq; dum crederetur (crederetur autem diu multumq; à multis, authoritate tanta nixum) multo plus negotii inter Provincias etiam hasce ipsas Aquilonares Valesio facesseret. Quamquam & id quoq;, oborto demum veritatis sole, uti nubilum evanescceret; quodq; revera est, appareret commentum & mendacium putum.

XI.

Belgica enim de Authoribus Librorum Constitutio, de qua Superius, quæq; sola *Valesium* tenuit, imprimis ipsi cordi fuit, ne eam ad amussim non observaret; quâ videlicet, pro conditione loci in quo degebat, & muneris quo fungebatur, rerumq; publicarum quas procurabat exigentia, possibile esset. Certè ante Decretum istud nefarium, anno 1670. seu *Vallisoleti* contra me conceptum, seu *Madriti* perfectum, impressumq; non plures, de rebus sacris Ecclesiasticisve, seu materia vel subjecto quovis Religionem aut controversiam quamlibet Religionis spectante, quam

duos tantummodo Libros, eosdemq; Anglicana lingua scriptos, Typis dedi.

Et prior quidem erat ille parvæ molis, qui anno 1662. Londini prodierat: cujusq; Titulus Anglicanus, [*The more Ample Account*] in Latinum versus, dici potest *Amplior* (seu Ulterior) *Ratio*. Quippe Remonstrationis Hibernicæ illius famosæ multo ampliorem & conceptionis Formationisq; in Hibernia, & subscriptionis in Anglia, & præsentationis demum Regi factæ rationem reddit, quàm ea fuerat, quæ paulo ante, pauciscq; lineis unà cum ipsa Remonstratione, Typis impressa, veluti in antecessum data erat. Pro isto autem Libro parvulo imprimendo, qualiscumq; sit, observata ad amussim, per omnia, Statutorum Nostrorum Generalium Provincijs Germano-Belgicis, Annexisq; accommodatorum prescripta. Sanè Valesius, tunc in Anglia degens, cum duorum Ordinis S. Theologiæ Lectorum approbationem, tum Reverendi Admodum P. Nicolai à Sancta Cruce, id temporis, ejusdem Provinciæ Anglicanæ Ministri Provincialis licentiam habuit. Illam, consentientibus ipsis Approbatoribus, in fine Libri curaveram imprimi: istam pro cautela in hoc Regno Catholicis Anglis, præsertim Ecclesiasticis, maximè vero Prælatis consueta, utpote verentibus pœnas

Legum,

Legum, Provincialis noluit edi.

Posterior, bene magnum Volumen est. Ei Titulus, *The History of the Irish Remonstrance*; Latinè autem, *Historia Remonstrantiæ Hibernicæ*. Dublinij quidem, in Hibernia ipsa domi, & scriptus & usq; ad Pag. 442. Prioris Partis Tractatus Primi, anno 1667. excusus; hæsit tamen postea inter Typos ibi, ut pro reliqua parte imperfectus, sic pro omni ineditus ad annum 1673. Hoc enim anno, post sublatum scilicet Editionis impedimentum, pro eadem reliqua parte, quæ eousq; suspensa erat, Londini, cum varijs etiam Appendicibus, excusus perfectusq; primùm prodijt. Hujus quoq; inprimendi, Reverendus admodum Pater Franciscus Coppingerus, præfato anno 1669. facultatem in scriptis fecit. Quam tametsi, pro more Transmarinarum Provinciarum, Liber ipse impressam non ostendat, ejus tamen autographum penes me in omnem eventum reservavi, producendum sive in Judicio, sive extra, si quando necesse erit. Editioni enim hujus quoq; Operis, imò hujus maximè, quod non dubitabam Adversarios multos, quamquam cætera in Fide domesticos, puncturum, existimavi præcavendum——— esse: ne alioqui scilicet, ex illa pariter & illo *de Impressoribus Librorum* Statuto Generali Provincijs nostris Aquilonaribus

accommodato impingeretur mihi dica, cui non poſſem reſpondere. Ex altera verò parte, quoniam ſub id tempus anni 1673. quo Hiſtoria iſta vidit lucem, *Franciſcus* ille *Coppingerus* vix parumper ab afflictionibus multis violentæ oppreſſionis reſpiraverat, quietemq, ſuam ceſſione juris pariter & loci redemerat: illam ejus licentiam conſulto non impreſſi. Verebar quippe novam ex ea viſa moleſtiam viro bono creatum iri; ab ijs nimirum quibus graſſatio violenta pro juſtitia & jure eſt. Acceſſit quoq, & iſta conſideratio multiplex. Quòd neq, Theologorum qui Librum approbarunt cenſuram, neq, Superioris licentiam, Statutum iſtud, aut aliud noſtrum, ab Authoribus Librorum requirat imprimi. Quòd etiamſi Statuta noſtra id requirerent, ut fateor, in Concilio Tridentino, inter nonnulla alia, requiri; hujus tamen Regni Angliæ, & Urbis Londinenſis, in qua, ut antè dictum eſt, pro maxima parte impreſſus, abſolutus, emiſſuſq, in publicum Liber etiam iſte poſterior fuit, neq, Lex neq, mos id ferret; neq, Bibliopolæ aut Impreſſores auderent. Quòd eam ob cauſam Romano-Catholici omnes, tum è Clero Seculari, tum ex Inſtituto quocunq, Regulari Scriptores, vel à centum annis quidem, ſeu à mutata primum Religione, Libros

ſuos

ſuos hic, de rebus ſacris quotoſcumq; & quandocumq; poſſunt, clanculum faciant imprimi; abſq; licentia Ordinarij, Superioriſve cujuſlibet, ſive Regularis ſive Secularis, vel præfixa vel adjuncta operi, vel utcumq; data Prælo; abſq; cenſura Theologorum qui opus approbaverant, vel Typis, vel Scriptis, vel aliter publicata; immò abſq; non tantùm præfixo ad Frontiſpicium Libri, nec tantùm non impreſſo ullibi, ſed non evulgato quovis modo vel ipſius Authoris nomine. Demum, quòd neq; concilium Tridentinum, neq; Lateranenſe Quintum ſub Leone X. ad quodſe refert in rebus iſtis Tridentinum, non alterutrum (aio) fuerit umquam in iſto Regno Angliæ aut publicatum, aut receptum, aut conſuetudine uſus, praxeoſve introductum, ne ab ipſis (inquam) Romano-Catholicis; quia de cæteris nemo ambiget.

Igitur utrumq; Librum, & poſteriorem quidem æquè ac priorem, liquet (liquebitq; adhuc amplius, ſi neceſſe ſit, in judicio Regulari & legitimo) haud ſine licentia per Conſtitutiones noſtras Generales requiſita, typis datum, impreſſumve, aut evulgatum. Etſi interea illud quoq; conſtat, utrumq; de rebus ſacris Hibernicæ Remonſtrantiæ, ſeu de obedientia & fidelitate ſubditorum, divino jure,

Principi

Principi ſuo Legitimo, debita, ſcriptum eſſe. Poſteriorem vero ſpeciatim, & ex profeſſo quidem, per centum pene folia continenter, *Facultatis Theologicæ Lovaniensis Cenſuram* quæ anno 1662. adverſus eandem Remonſtrationem & ſubſcriptores ejus prodijt, impugnare; præcipuaq; illius cenſuræ fundamenta quatuor penitus infirmare, demoliri, ſubvertere. Porrò hinc neq; non iſtud etiam ſatis evidenter conſtat, neq; non apud me quidem longè manifeſtiſſimum eſt, iſtoſce ambos de Remonſtratione Hibernica Libros, (& non alios quoſcumq; de rebus alijs à meo editos) invidiam, malitiam, calumniam, furorem adverſariæ Partis intendiſſe Decreto veſtro injurioſiſſimo perſequi.

Enimvero quos indiſcriminatim abſq; partium vel perſonarum reſpectu, pro communi cauſa Romano-Catholicorum omnium Hibernorum ſive Remonſtrantium ſive Anti-Remonſtrantium, ſeu eorum qui Nuncium Apoſtolicum Rinuccini & cenſuras ejus olim impugnaverant, ſeu aliorum qui & illum & illas zeloſiſſimè ob ſervarunt, calamo exaraveram: quos pro defenſione, vindiciis, reſtitutione Gentis univerſæ Prælo commiſeram: quos pro jure univerſorum Articulis Pacis, Anno 1648. ictæ comprehenſorum, ad eas terras quarum vel ipſi vel Parentes ad annum 1641. incipiente

cipiente fatali Bello, Domini Proprietarij erant, Libros ediderant: quos deniq; flectendo Regi optimo & Clementiſſimo ad juſtitiam Innocentibus, fidem Conventionibus, Miſericordiam Reis obſervandam atq; oſtendendam; & Hibernis quidem Romano-Catholicis miſericordiam ſaltem haud minorem ea quæ hominibus multo ſceleratioribus, & Anglis, & Scotis, & Cambro-Britannis, etiamnum facta erat, oſtendendam, ubiq; cum in Urbe, tum in Aula evulgaverant: iſtos inquam Libros vix, aut ne vix quidem fatebuntur Hiberni quiquam delatores mei à ſe intentos, velut qui ſive anathematiſmo veſtro percellerentur, ſive Decreto ipſo ullatenus comprehenderentur, vel indirecte quidem. Quid? An epiſtolam illam ad Excellentiſſimum Ormoniæ Ducem, Hibernæ Pro-Regem, adeò opportunè datam, impreſſam, publicatam, adeoq; ſimul omnium quorumcumq; Patriotarum ſuffragijs, gratijs, votis laudatam atq; celebratam? An *Vexilla Hiberniæ Convoluta*? An *Replicationem ad Perſonam Qualificatam*? An Libros illos binos, inquam qui profectò virorum duorum Magnatum, in Aula Anglicana potentiſſimorum Reſponſa duo virulenta, unum poſt alterum, contra præfatam Epiſtolam edita quibus nimirum Authores iſti Heterodoxi, Orthodoxam

thodoxam Hiberniæ Gentem penitus exterminare, abolere, &, quemadmodum in Proverbio eſt, ramum pariter & radicem ejus tollere conati ſunt, omninò everterunt, Authoribus ora occluſerunt, finemq; inhumanum, ex multo ſaltem maxima parte, impedierunt: Hibernus homo quiſquam, ut ut cætera Valeſio malevolentiſſimus, audeat fateri ſe vel detuliſſe, vel intendiſſe umquam deferre? Aut Apologias illas Gentis vel indirectè ſolum perſtrinxiſſe? allegato ſcilicet, quod Valeſius eas abſq; Superioris cujuſquam Inſtituti Franciſcani, ſive Generalis, ſive Provincialis expreſſa facultate, curaviſſet prælo dari. Certè neminem Hibernum Orthodoxum, vel iſtud ipſum *indirectè* confiteri aut agnoſcere non pudebit.

Et tamen, ultroneus fateor ita factum eſſe: & alterum quidem eorumdem Librorum anno 1662. alterum anno 1664. utrumq; Londini excuſum, prodiiſſe. Conſultò enim abſtinui à licentia cujuſcumq; Superioris Inſtituti noſtri ſive petenda, ſive habenda. Tum quòd nullo modo, in circumſtantijs rerum, aut proficua aut neceſſaria foret illa (ullius omnino Superioris Eccleſiaſtici) quam expreſſam vocant: alterius verò, quam tacitam dicunt, conditio Gentis & Religionis ſecurum me reddebat. Tum quod res erat ingentis

periculi

periculi plena tunc, quæ neceſſariò ſcribendæ erant, quaſq; id circo & ſcripſeram & impreſſeram, Vindicias Fœderati olim Hiberniæ Populi Romano-Catholici, prælo darez ac ſufficere quidem exiſtimarem, meipſum abſq; aliorum conſortio, periculis, quæ proſpiciebam, objicere. Tum etiam quod non dubitarem; apud ingenuos & cordatos, officium quo fungebar Procuratorium, ſat authoritatis mihi ad infamiam Gentis populſandam, honoremq; & jura Civium, ſive verbo, ſive ſcripto, ſive prælo vindicanda attribuiſſe, viſum iri.

Sane verò quod pericula ejus à me ſuſcepti operis conſectaria ſpectat; abundè expertus ſum deinceps, ac præſertim ab evulgatione poſtremi illius Libri anno 1664. haud inania me, neq; ex levi conjectura præſagijſſe. Id potentiſſimæ Factionis maximus primùm timor; ne videlicet Hibernorum Catholicorum terras, quas aliquot annis jam rebelli manu & hoſtili gladio occupabant, amitterent: deinde in Valuſij nomen, odium & conſpiratio ingens. Tum per officinas omnes Typographicas inquiſitio per quàm ſtrictiſſima ad retegendum Libri (ut vocabant) pernicioſiſſimi Impreſſorem, multandumq; eum graviſſimè ſecundum Leges. Et hinc Nobilium, Illuſtriumq; &

poten-

potentium Turba illa numeroſa, qui duce ac Proloquutore Illuſtriſſimo Comite A. Majeſtatem Regiam interpellarunt, Valeſium ſeditioſiſſimi operis publicati accuſantes. Et hinc Supremi quoq; Regnorum Cancellarij, ille Angliæ, hic Hiberniæ, ambo licet eouſq; Valeſio faventiſſimi, poſtea mox in ipſum vehementiſſimè incenſi. Et hinc alterius, nempe illius tunc ſub Majeſtate Regia Primarij rerum omnium Adminiſtratoris, ad Valeſium tonitrua & fulmina iſthæcce. *Quid? An putas tu Valeſi, in eodem Regno, una cum Honoratiſſimo viro illo non tantum Comite, ſed Concilij Sanctioris uno, & Provinciæ Momoniæ Præfecto, & Exercitus Regij Ductorum Tertio, cujus Librum ita refutaviſti, cohabitare aut permanere? Putas tu, poſteaquam Rebellioni Civium tuorum conjuratiſſimæ & ſanguinolentæ patrocinando, virum Optimatem potentiſſimum ita exaſperaviſti, ita excepiſti, ut pediſſequum tuum haud paulo vilius exciperes; liberum tamen tibi fore ſub eodem aere, iiſdem cum eo legibus, ſub eodem Gubernio vivere? Non erit in poteſtate Regis te protegere: ſaltem ni cecineris palinodiam, & Adverſario tanto, qua potes, ac pro virili parte quidem, ſatisfeceris. Quid? Parumper amplius, modicum adhuc, & nec Cancellario Regni, nec Secretario Status cadet ex ore verbum, quin ſacerdos*

dos quiſpiam protinus Barbam nobis vellicet. Alterius verò, ſive ejus, inquam, qui in Hibernia primus à Pro-Rege eminebat, ſimiliter ad eumdem Valeſium, paulo pòſt, Dublinij iſta. *Haud expectabam à te Valeſi, haud ullatenus à diſcretione, judicio, prudentia, moderatione tua ejuſcemodi Librum. Scripſiſti, edidiſti Librum, qui tria iſthæc (Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ) Regna denuo inflammare tendat; qui accendat rurſus ad civile Bellum.* Et hinc præterea, nec longa quidem interjecta mora, cujuſdam alius viri Principis in Hibernia quoq; potentiſſimi, nempe Comitis C. vel inter prandendum publicè in menſa ſua, Quæſtio hæc ferociens, velut ſane incitamentum ad facinus, propoſita: *An nemo hominum reperiri poſſit, qui Valeſium tollat?* Deniq;, uno verbo hinc in me domi ab Heterodoxis (præter ea quæ deforis ex longè diverſa vel potius diſparata cauſa ab ejuſdem Eccleſiæ nonnullis Fratribus Orthodoxis contexebatur) multimodarum dirarumq; molitionum longa ſeries. Nec in me tantummodo, ſed in eum cui imprimis & Librum ullum, & cætera Scripta mea reſtitutionem Gentis, poſtliminij Jure vel poſtulantia vel concernentia: celebratiſſimum Ormoniæ Ducem, nunc III. Hiberniæ ProRegem, dico.

BIBL. CANT. ACAD.

Quæ

XII.

Quæ omnia ſatis demonſtrant Valeſium, ejuſcemodi Librorum editione, ut nec officio boni Civis erga Patriam defuiſſe; cum nemo alius eſſet ſive Laicus ſive Eccleſiaſticus in Univerſa Gente qui auderet: ita neq; Inſtituti Religioſi Leges, aut obſervantiam Prælatis Regularibus debitam, inſuper habuiſſe. Quippe quem in circumſtantijs rerum Statuta ſui Ordinis pro Librorum impreſſione nec tenerent, nec tenere quidem poſſent: quiq; adhuc certus erat Prælatorum eorumdem Licentiæ, etiam illius quam vocant expreſſam, pro ejuſmodi Libris imprimendis, vel centies quidem impetrandæ, ſi neceſſe eſſet; ſive conſultum foret ullam petere, alioſq; una ſecum periculis exponere. Omnes enim Hiberni Orthodoxi tunc ex æquo tam Superiores quàm ſubditi, tam Eccleſiaſtici quàm Laici, & Præſules & Magnates, Nobileſq; Domini veteres terrarum Proprietarij imprimis, cùm Remonſtrantes, tum Anti-remonſtrantes, cùmq; ij qui olim contra Nuncium, tum qui pro eodem Nuncio erant, Valeſij facta extemplo approbabant, zelumq; ejus, eoſdemq; Libros mirificè collaudabant, tantùm non ad cælum uſq; efferentes. Soli Proteſtantes

ſtantes Heterodoxi illi, Scoti, Angli, & Cambro-Britanni (inter quos etiam Hiberni quidam pauci eorundem Alienigenarum Eccleſiaſticæ communionis) qui oppreſſæ Gentis Catholicæ terras per injuſtitiam ſummam vel etiamnum occupaverant, vel propediem occupaturos ſe ſperabant, Valeſio maledicebant. Romano-Catholicis Hiberniæ univerſis contra, nemo hominum, ne obſtante quidem Remonſtrantia, charior ipſo erat. Nec certè dejeciſſent eum iſto apud Gentiles ſuos Catholicos loco attentata quævis, externa vel interna, ultramarina vel ciſmarina, ſive quæ præceſſerant, ſive quæ ſequuta ſunt, etiam Remonſtrantiæ illius nomine: ſi parem illi cum infeſtiſſimis ipſis adeò nuper adverſus Regem Patrem, Angliæ, Scotiæq; rebellibus populis aut juſtitiam, aut æquitatem, aut indulgentiam, aut miſericordiam conſecuti eſſent; ſi gratiam quidem ſibi, vel multis paraſangis minorem ea quæ cæteris Britannici Imperij ſubditis multo ſceleratioribus facta jamdudum erat, modo tamen aliquam unde viverent, à Rege Filio, tot jam annos reſtituto, vel oſtenſam hactenus reperiſſent, vel oſtendendam adhuc porrò expectaſſent. Cæterùm anno 1669. quo primum ſcilicet ex ultramarinis partibus & citationum pariter & cenſurarum momentis

contra me procedi cæptum, Genti afflictiſſimæ ac luctuoſiſſimæ, Gentiq; adeò jam tum poſt novennij à reſtituto Rege expectationem vacuam & experientiam triſtem, planè deſpondenti animos, planè deſperanti, facile erat per Sacerdotes falſos emuloſq; P. T. & Aſſeclas, ſeu, quod tantundem eſt, per malitiam & dolos, & commenta multifaria, & falſum pietatis obtentum illudere ac imponere, etiam quoad ea quæ Valeſium attinerent. Quoad operam ejus dico, & conatum omnem, & ſtudia, & labores quos exantlavit, & Libros illos maximè priores binos, quos ad Remonſtrantiæ ſubſcriptionem quoquo modo vindicandam ac promovendam edidit. Nec enim aliud præterea Valeſij rerum intelligo aut volo hic.

Verum enim verò, quoad conamina ejus illa Remonſtrationi vel promovendæ vel defendendæ impenſa, ſi Nationem æquè nunc afflictam atq; ſimplicem & credulam; ſi Nationem adeo nunc omni ea ſpe, quam de reſtituto Rege omnes olim præconceperant, penitus dejectam; præſertim vero, ſi imperitum vulgus, quod ſucceſſu ſolo de juſtitia cauſæ judicat, nec illud Poetæ conſiderat, *Careat ſucceſſibus opto, quiſquis ab eventu facta notanda putet.* Si populum aut plebem ejuſcemodi, inquam, nono tandem patientiæ eorum anno,

anno, maligni & mendaces quidam Sacerdotes Valesij æmuli adversus eum commoverint, atq; adeo vel à persona quidem ejus nonnihil alienaverint: nemo sapiens, nemo Hiberniæ rerum aut non ignarus, aut non incogitans admirabitur. Argumento usi sunt perversi homines, quantumcumq; à veritate rerum, alieno, ad propositum tamen suum opportuno. Commenti sunt, *Valesium* id unicè hactenus tam Remonstrantia, quàm pro ea Vindicijs Libriſq; editis contendisse, ut Hiberniæ Catholicos Tyrannidi æternùm subijceret, neq; liceret ipsis umquam se, vel Patriam vel Religionem, aut proprio Marte, aut externorum ope ab Hæreticorum jugo liberare. Cæteros verò Libros, quantumcumq; pro Patria in speciem scriptos, ut lactaret tantum cives ac deciperet, edidisse. Nimirum, calumniati sunt fortiter, vel de intentione quidem ejus, ut aliquid hæreret. Porrò, & istud unicum fore argumentum norunt, quod, præ desperatione inclinato jam ad credendum quæq;, etiam improbabiliſſima, & paradoxa quidem, temerario vulgo, si per idoneos viros insinuaretur, non modò Valesium penitus ea existimatione quam eousq; habuerat zeloziſſimi Patriæ Vindicis dejicere posset; verumetiam id efficere, ut quas in eum alias vel etiamnum strux-

iſſent vel poſtea ſtructuri erant fabulas multiformes, multiplices, malitioſas, eo facilius imprudenti Turbæ perſuaderent.

XIII.

Verùm, ut ut ſeu commenta ſeu molimina iſthæc iniquiſſima hominum improborum vel fuerint vel prævaluerint; illud conſtat, Valeſium ante annum 1670. Capituli, adèo ſive Definitorij veſtri Generalis Valliſoletani Decretum iſtud Madriti, anno 1670. impreſſum, neq; alios neq; plures de quacumq; materia Libros, quàm illos quatuor, non tantùm non perfectos expoſuiſſe in publicum, ſed neq; imperfectos, vel ex ulla quidem parte commiſiſſe prælo. Poſtea enim, hoc eſt anno 1672. prodijt *Epiſtola ejus ad Haroldum Prima.* Quare illa, quantumcumq; Liber vel inſtar Libri ſit: neq; licentiam ullius Superioris expreſſam vel tacitam pro ſe edenda præ ſe ferat; neq; Author ipſe quidem, ejuſmodi licentiam pro ea prætendat; hujus tamen loci non eſt. Abunde etiamnum juſtificata eſt Impreſſio ejus alibi. Quippe oſtenſum alibi eſt, nec *Lateranenſis* Canonem, nec *Tridentini* Decretum, neq; adeo *Barchinonenſium, Segovienſiumve,* aut *Toletanorum* noſtri Ordinis Patrum Conſtituta, ex mente Conditorum intendere

dere eam *Valeſio* defenſionem inhiberi, quam natura ipſa cuicumq; homini in circumſtantijs ejus poſito liberam facit. Oſtenſum eſt, Conditores id non modo non intendiſſe, ſed non potuiſſe quidem intendere: *(illud namq; poſſumus, quod jure poſſumus.)* Oſtenſum eſt proinde illos ſi id nihlominus intendiſſent, ne iſta quidem intentione ſua quidquam effecturos fuiſſe, neq; obligaturos quemquam. Poſtremò, oſtenſum eſt, aſſerta hæcce potiſſimum ibi habere locum, ubi canones Patrum aliter, ſeu ut Adverſarij volunt, intellecta, neceſſario vel ad ſuppreſſionem quidem veritatis magnæ & evangelicæ in circumſtantijs multis tenderent: quemadmodum proculdubio tenderet *Valeſij* Defenſionis, ſive impreſſæ, ſive imprimendæ prohibitio. Ecquid enim aut luculentius aut irrefragabilius quidem poſſunt inferre Paulina hæc ad Corinthios verba, *Secundum poteſtatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem?* Quare non eſt quod magnopere verear quidquam vel ex impreſſione illius ipſius ad *Haroldum* Epiſtolæ. Ad iniquius enim Definitorij Veſtri Generalis Valliſoletani ſeu Tribunal, ſeu Decretum quod ſpectat: iſtud præterita ſolum ſcripta mea perculit; ad futura non reſpexit: ac idcirco Epiſtolam illam non comprehendit. Quæ

tantum aberat ab impreſſione, ante Decretum iſtud impreſſum pariter & per *Europam* uſquequaque publicatum; ut neq; ſcripta, neq; concepta quidem, ante fuerit; immò nec potuerit ante concipi. Certe Decreti iſtius iniquitatem in ſpecie, & ſub proprio nomine Valliſoletani, uno vel altero loco ſtringit, tranſmittitq; ad Poſteros memoriam; etſi fatear breviculam, quippe ſolummodò tranſeunter tactam. Fuſiorem enim ac plenam illius Decreti cum narrationem, tum convictionem Tractatui, de eo ſolo ſcripto, reliqueram; qui, ad inſtar non mediocris Libri, Epiſtola mea longiſſima ad *Franciſcum Maria Rhini a Polizzo* eſt. Hanc videlicet anno 1671. dederam: id eſt, toto ſeſquianno quàm illam ad Haroldum dedi.

Pag. 22, 23, 24, &c.

Cæterùm præter illos quattuor Libros, & Epiſtolam ad *Ormoniæ* Ducem, de quibus ſupra, quicquid aliorum quorumcumq; *Valeſij* Scriptorum, ante Decreti ejuſdem Valliſoletani publicationem prodierat impreſſum, eæ tantùm chartulæ quædam ſingulariæ, non autem Libri, nec Libelli, non alterutrorum partes, ut porrò neq; plures quàm quinq;, erant: & omnes quidem ad reſtitutionem Gentis jure poſtliminij, omnes ad Religionis tolerantiam

Lege

Lege Municipali, quæ priores Leges antiquaret, aboleret, reſcinderet, veluti ad ſcopum proprium unicè collimantes.

Prima continebat autographi illius Inſtrumenti publici, quod Remonſtrantia Hibernorum dicitur, à Reverendiſſimo Olivario Epiſcopo Dromorenſi, ex Ordine Prædicatorum aſſumpto, & viginti quattuor alijs Sacerdotibus Hibernis, partim Secularibus, partim Regularibus, in Urbe Regia *Londonenſi*, anno Domini, ſecundum Romanum Stilum M. DC. LX. II. die vero Menſis ſecundum Angliæ Stilum, Januarij xi, & xv. una congregatis, ſubſcripti exemplar verum & genuinum. Nec aliud continebat quàm (poſt Subſcriptorum Nomina & titulos) Admonitionem pro modo Chartæ breviculam ad Lectorem. Quippe in ea monebatur, Primo, Cauſæ ejus quæ coegerat domi in Hibernia viros quoſdam Nobiles, partim Laicos, partim Eccleſiaſticos, ad prædictum Inſtrumentum & concipiendum, & efformandum, & perficiendum, & quantocius Londinum ad Procuratorem Cleri, per manus Illuſtriſſimi Comitis Fingalliæ, tranſmittendum. Secundo, Ut cauſa illa fuerit immanis, horrenda, & generalis quidem perſecutio ſub Triumviris per univerſum Regnum in Catholicos omnes promiſcuè tam Laicos quam Eccleſiaſticos,

paulo ſcilicet ante, id eſt poſt Reſtitutionem Regis, & ſub ejus Gubernio quidem exorta. Tertio, Ut eidem Inſtrumento præfati Sacerdotes viginti quattuor & Epiſcopus Reverendiſſimus propterea ſubſcripſerant, quòd Majeſtas Regia, eo prius viſo, nullius manu ſubſcripto, quemadmodum ſcilicet ipſum ex Hibernia miſſum erat, reſponderit, Neceſſe eſſe manuum eorum quorum intererat, vel quibus res commiſſa erat ſubſcriptione firmari, ſi optatis potiri vellent, malorum ceſſatione, & Religionis pace. Quarto, Deniq; invitationem cæterorum non modo Regni Hiberniæ Eccleſiaſticorum, ſeu domi utcumq; deliteſcentium, ſeu foris exulantium, ſed quorumcumq; etiam Anglorum, Scotorum, Cambro-Britannorum, utriuſq; Cleri Sacerdotum, ad ſubſcribendum eidem inſtrumento, qua parte ſaltem, quaqua forma (vel certè aliqua in ſubſtantialibus non diſſimili) Coronæ Regiæ & Carolo II. illud fidelitatem in temporalibus profitebatur: utpote, quorum omnium ex æquo referret, pacem Religionis procurari. Et hæc ſola ſunt ex quibus Admonitio illa ad Lectorem conſtabat. Nec aliud inſuper, ut jam dixi, prima illa charta ſingularia continebat. A qua priuſquam penitus abiero, Paternitatem tuam quoq; monere vellem, ut, ſi

placet,

placet, animadvertas duo quædam ſpecialiter huc ſpectantia.

Unum eſt: Hibernos illos Nobiles & Patres, qui ut jam dictum eſt, Inſtrumentum illud famoſum domi in Hibernia formaverant; nulla neq; in Beatiſſimum Patrem, aut Sedem Apoſtolicam irreverentia; neq; in Romanam ipſam Aulam, aut Miniſtros ejus malevolentia; nedum nullo in Sanctiſſimam Religionem aut affectu ſequiore, aut indevotiore animo in tranſverſum actos, Remonſtrantiæ gravaminum, quæ in eodem Inſtrumento primum locum obtinet, annexuiſſe (quam Lovanienſes tui dicunt) Formulam: nempe Agnitionem illam Supremæ poteſtatis Regiæ in temporalibus, Proteſtationemq; Fidelitatis adjectam; utramq; ſcilicet adeò Romanorum auribus ingratam; ſed triſtiſſima totius Gentis conditione motos, & certiſſimis argumentis perſuaſos nihil, neq; Clero neq; populo, ut res tum erant, miſerabili, Remonſtrantiam ullam gravaminum, ſine aliqua ejuſcemodi cum ſubjectionis tum fidelitatis profeſſione profuturam, id feciſſe. Nimirum conſiderabant viri prudentiſſimi, quàm Romano-Catholicus ille Hibernorum Clerus, cujus tamen ſolius nomine ea charta pro populo etiam univerſo remonſtratum pariter & ſupplicatum erat,

in

in Aula Anglicana male audiret, quamq; inviſus, peroſus, abominatus illic eſſet: Tum, videlicet, ob univerſalem Gentis anno 1641. rebellionem. Tum ob prioris quidem Pacis, anno 1646. ictæ, poſterioris autem anno 1648. pactæ, utriuſq; verò inter Majeſtatem Regiam & Confæderatos Hiberniæ Catholicos initæ, perfidioſiſſimam authoritate Nuncij Apoſtolici fractionem atq; everſionem. Tum etiam ob multorum potentiorumq; è Confæderatis illis, durante bello, molimina abunde nota, alienandi prorſus atq; transferendi Coronæ Hibernicæ jura in externum Principem. Conſiderabant omnia iſta, eidem Clero imprimis, ac juſtiſſimè quidem, imputata. Porrò etiam conſiderabant, quàm in rerum utriuſq; Regni publicarum circumſtantijs vanum foret, quemquam expectare, ut ejuſcemodi Clero qui nuperis annis tam enormiter peccaviſſet; qui toties authoritate Eccleſiaſtica Regiam proſcripſiſſet; qui æternùm, pro virili ſua, legitimo Regis Angliæ Principatui valedixiſſet; qui deniq; Conventiones publicas, exemplo peſſimo & ſacrilego, contra vel ipſarum Gentium jura, turpiſſimè violaviſſet: ut Clero iſti, inquam, necdum vel pœnitentia vel reſipiſcentia quapiam ad cor reverſo, necdum aut fidelitatem aut ſubjectionem debitam

bitam ullatenus profeſſo, Majeſtas tamen Regia, id temporis, quæ petebantur concederet. Hoc verò quemquam, in circumſtantijs rerum anni 1661. expectare, non modò vanum, ſed abſurdum & ridiculum Formatores illi planè exiſtimabant. Ac rectè id quidem, niſi vehementer me judicium meum fallat. Utcumq; iſtarum rerum conſideratio, Dominis Patribuſq; illis unica & ſola cauſa fuit inſerendi præfato Inſtrumento Formulam, ſive Agnitionem, Profeſſionemq; ſupradictam: non autem ulla prorſus Authoritatis Pontificiæ aut contemptio aut oblivio. Et hoc quidem primum eſt eorum duorum quæ Paternitatem tuam hic animadvertere cupio.

Alterum, ſed prolixiùs dicendum, eſt, quod, quem finem ulteriorem præſtantioremq; *Valeſius* Procurator operæ à ſe deinceps eidem Inſtrumento promovendo impenſæ præſtituerat, reſpicit. Etenim ut de opera ejus vel diligentiſſima quidem, iſti rei navata, ſatis ſuperq; liquet: ſic etiam de fine proximo & immediato ejuſdem operæ, nimirum ceſſatione perſequutionis illius graviſſimæ, de qua ſuperius, æquè manifeſtum eſt. Verùm non ita omnibus in propatulo quem ulteriorem, longèq; maximum & præſtantiſſimum quidem *Valeſius* ſibi in ea parte ſcopum,

pum, ad quem præcipuè collimaret, præfixerat. Neq; enim hic erat perſecutionis unius cujuſlibet, imò neq; plurium ejuſcemodi quotarumcumq; ſuppreſſio. Nec ſanè erat quodlibet temporarium aut inſtabile beneficium, quod uti à Clementia Regis concedi, ſic & ab ira ejus aut quavis alia affectione ſtatim revocari poſſet. Sed ipſius poteſtatis authoritatisq; omnis in quoquam homine Romano-Catholicos ſive in Anglia ſive in Hibernia quoſpiam, Religionis cauſa, perſequendi, abolitio. Seu, quod tantundem eſt, ipſarum Legum quarumcumq; in Catholicum Nomen, vel ab initio quidem Schyſmatis in alterutro Regno ſancitarum plenaria, conſtans & perpetua abrogatio: ſcilicet, Comitiorum Generalium Triumq; adeò Ordinum Utriuſq; Regni contraria Lege, de novo in eum finem ſancienda. Huc certè *Valeſius*, etiam à prima die Regis Noſtri ad paternum Thronum Reſtituti, vel præcipuè quidem reſpexerat. Huc, præſertim poſt receptas Hibernici Cleri literas, quibus eum illi Procuratorem ſuum conſtituerant, ſtudia ſua omnia converterat. Huc ſpeciatim, omnis generis. rationum, divinarum pariter & humanarum politicarumq; diverſas chartas Manuſcriptas, abſq; mora, Optimatibus Aulæ præcipuis communicarat. Et

huc

huc imprimis Scriptum aliud quoddam, duobus quidem quatternionibus comprehenſum, verùm quadraginta ſeptem poſitionibus, de poteſtate Regia & Papali, diſtinctè tractans, Majeſtati Regiæ non modò inſcripſerat, ſed præſentaverat.

Quippe, Scripto huic propoſitum erat, quàm breviſſimè pariter & clariſſimè licuit, quæ adèo controvertebantur tunc, duo hæc demonſtrare. Primum: Nullam omninò Religionem æquè ac Romano-Catholicam, cujus illa eſſent axiomata, ſecuritati Principis cujuſcunq; Supremi & legitimi, quantumvis alioquin hæterodoxi providere. Secundum: (quodq; conſectarium erat) Nullam omninò Inconſiſtentiam fore inter ſecuritatem, incolumitatemve Regis Regnorumq; ejus hinc, & hinc libertatem Religionis Romano-Catholico populo, abrogatis nempe legibus, datam. Quouſq; verò tanti momenti rem Valeſius, vel in Parliamento quidem ipſo promoverit: & quinam, & quomodo conatus ejus hucuſq; fruſtrati ſint; fortaſſis pretium erit hic, tametſi tantummodò per tranſennam, commemorare. Saltem hujus loci inſtituto deſerviet. Oſtendet quorſùm præcipue; quàmq; jure merito quidem poſthæc, in Remonſtratione promovenda, ubi nimirum illa paulò poſt, citra mortalis ullius

prævi-

prævisionem emersérat, Valesius tam e-nixè ac indefessè quidem laboraverit.

XIII.

Igitur postquam *Valesius* tum ratiocinando, tum sollicitando, instandoq; per intervalla congrua, annum pene integrum, illum nempe qui à Restitutione Regis primus erat, transegisset: sub initium Ætatis anni 1661. die quadam Dominica, summo mane, Londini à viro quodam tunc inter Magnates Regni Illustrissimo accersitus; ubi advenerat, audiveratq; vocationis sui causam, videre sibi visus est sementis bonæ pulcherrimam segetem. Quidni vero? Cum sequentia omnia, multoq; adhuc plura, ex ore illius viri Principis coràm exciperet. ‘Pater *Valesi* nunc tandem aliquando advenit tempus, quo laborum tuorum ‘à multis retro annis, quoq; fidelitatis, ‘constantiæ, longanimitatis, patientiæ, & ‘spei multæ jamdudum de nobis conceptæ ‘fructum reportare liceat. Enimverò sci-‘as velim, quod toties tu ursisti hactenus, ‘propositum esse nobis nunc extemplo face-‘re, Catholicis Pontificijs libertatem publi-‘cam & omnimodam Religionis: atq; adeò ‘leges quaslibet in ipsos jampridem latas ‘nova lege, abolere. Et primò quidem ‘Sanguinarias: deinde Multativas: demum

‘verò

'verò quæ dicuntur Incapacitantes; hoc
'est eas quæ muniorum omnium publico-
'rum, seu Civilium, seu Martialium,
'quotquot Romano-Catholicam Fidem
'profitentur, incapaces reddunt. Abole-
'bimus etiam quoad eos vel ipsum, quod
'vulgo dicitur, Supremitatis Juramentum.
'Esto enim Juramentum istud tempore
'Henrici VIII. à Romano-Catho-
'licis ipsis Ecclesiasticis, quorum alij Ab-
'bates, alij Episcopi, cæteri S. Theologiæ
'Doctores erant, primitus conceptum,
'formatumq; fuerit: atq; paulo post ab
'universis tum Ecclesiasticis tum Laicis
'Regni, quorum intererat, uno tantum
'vel altero excepto, ijsq; præterea pauciſ-
'simis qui ad ultramarina loca fugerant,
'præstitum. Esto etiam qualiacumq; sint
'istius jurisjurandi verba in rigore sump-
'ta; sensu tamen quo per ea passim à
'pleriſq; doctis ac moderatis Ecclesiæ An-
'glicanæ Protestantibus juratur, ipsum in
'se Juramentum usquequaq; sit non so-
'lum in affirmativa, sed negativa parte,
'licitum & orthodoxum: utpote, quod eo
'sensu asserat Majestati Regiæ Supremam
'in suis Dominijs potestatem, non spiri-
'tualem, aut supernaturalem quampiam à
'cœlestis Regni clavibus Petro datis deri-
'vatam; sed corporalem, naturalem &
'politicam illam scilicet quæ gladij mate-
'rialis

'rialis est; negetq, porrò eamdem supre-
'mam gladij quibuslibet alijs. Attamen
'quia succedaneis, præsertim à Mariano
'Regno, temporibus in præsens usq, non
'tantùm Romano-Catholici pene omnes
'Juramentum hoc Supremitatis velut illi-
'citum rejecerunt; sed permulti Prote-
'stantium, interq, ipsos nonnulli certè cum
'genuini tum docti pariter & probi quidem
'vel ipsius Ecclesiæ Anglicanæ filij sensum
'eum indubiè orthodoxum, qui ab ipsis uti-
'q, inter præstandum juramentum subin-
'telligitur, cupiunt etiamnum benigni-
'ori seu clariori aliquo verborum tenore
'expriimi quàm eo qui Formulæ hactenus
'usitatæ est: idcirco ne tenor hic neve
'juramentum ipsum ejus causa deinceps
'cuiquam scandalo aut lapidi offensionis
'sit, nova lege cavebimus. Porrò ut ijsdem
'Romano-catholicis liceat, etiam in hac Ur-
'be Regia Londinensi vel quadraginta qui-
'dem Sacella publica aperire, libereq, & pa-
'cifice in ævum possidere sic aperta, certo
'curabimus. Et quoniam, ut in Sapientia
'Salomonis est, *spes quæ differtur affligit ani-*
'*mum*; scias istud quoq, velim, Ea quæ
'polliceor, quantumcumq, ardua sint, ini-
'tium tamen, inspectante Regno, intra
'unum mensem, aut circiter, habitura.
'Quippe vix, aut ne vix quidem elapso,
'quia potius anticipato isto termino, in

'Comi-

'Comitijs nunc ſedentibus, res illa abro-
'gandarum legum proponetur, atq; promo-
'vebitur, & niſi ſi Catholicorum ipſorum in-
'felix fatum, ſive pervicacia, inquam, ob-
'ſiſtet, ad optatum exitum perducetur.

'Quoniam verò majora pene vel eorum-
'dem votis hæc videri poſſunt, quæ pro
'virili noſtra parte ipſis præparantur: ne-
'ceſſe eſt, rerum ſuarum etiam ipſi ſata-
'gant. Ne alioquin iimet ipſi obſtaculum
'tantæ gratiæ ponant, ubi, nimirum per
'idoneos Eccleſiæ Anglicanæ viros Proceres
'in Parliamento, abrogandarum Legum
'rogatio fiet. Nam certius nihil eſt,
'quàm Senatores alios quoſdam Proceres,
'eos videlicet qui *Calviniani ſmo*, ſeu (ut
'hic loquuntur) *Presbyteriani ſmo* vel tincti
'ſunt, quantumcumq; iſti vel parvum vel
'magnum in Comitijs numerum faciunt,
'ſtatim ac veluti quidem pro aris & focis
'vehementiſſimè reclamaturos. Dicent
'proculdubio, iniquum eſſe leges tam ſalu-
'bres antiquare, præſertim in gratiam ho-
'minum, quorum pleriq; ne Juramentum
'quidem *Allegiantiæ*, ut vocatur, illud nem-
'pe Fidelitatis Regi noſtro in rebus merè
'temporalibus obſervandæ, præſtare volunt.
'Quinetiam dicent Juramentum hocce ip-
'ſum nihilominus, vel in ipſorum Papiſta-
'rum Catholica fide aut ſaltem doctrina,
'quoniam in ea quæ totius Eccleſiæ Galli-

'canæ, veluti & plerarumq; aliarum Eccleſi-
'arum Romanæ Communionis, eſt, lici-
'tum & honeſtum eſſe. Ac porrò dicent
'*Jacobum* Regem olim, occaſione impij &
'execrandi illius Moliminis pulverarij, lege
'trium Regni Ordinum tunc ſedentium
'lata ſtatuiſſe, & ſub graviſſima quidem
'Sanctione injunxiſſe, uti idem Fidelitatis
'ſeu *Allegiantiæ* Juramentum à Romano-
'Catholicis præſtaretur quoties ipſis autho-
'ritate Magiſtratus offerri ipſum continge-
'ret. Inſuper dicent, id propterea conſti-
'tutum, ut inter ſuſpectæ fidei Romano-
'Catholicos Majeſtati ſuæ ſubditos hinc,
'& hinc ejuſdem Communionis viros pro-
'bos fideleſq; Subjectos, vel præſtatio hujus
'Juramenti, vel recuſatio ejus diſcrimen fa-
'ceret. Demum verò dicent, concludent-
'q;, planiſſimam fore inconſiſtentiam ſecu-
'ritatis publicæ, cum prædictarum legum
'abrogatione, ſeu exercitio Religionis li-
'bero & publico Romano-Catholicis dato.
'Igitur, Pater *Valeſi*, ut huic objectioni
'graviſſimæ, quod abſq; dubio rogatione
'illa ſeu facta ſeu mota, fiet, eatur obvi-
'am; expediet, imò neceſſarium erit, cir-
'cumeas tempeſtivè viros Catholici Cleri
'Angliæ primarios, Nobileſq; etiam &
'Magnates Laicos ejuſdem Romanæ Com-
'munionis, qui modò hic *Londini* ſunt: at-
'que omnes ad præſtandum iſtud *Jacobi* Re-
'gis

'gis juramentum *Allegiantiæ* præpares: con-
'ſenſumq, eorum, ſi poſſis, unanimem re-
'feras, antequam rogatio illa antiquanda-
'rum legum fiet. Sic enim obſtruentur
'Adverſarijs ora; neq, argumentum, quo
'maxime inpræſentiarum nituntur, ſubſi-
'ſtet, amplius. Etenim Juramento eo ſe-
'mel à Catholicis præſtito; vel propoſito
'ejus deinceps præſtandi, in Comitijs ma-
'nifeſtato: apparebit clariſſimè, nullam eſſe
'Inconſiſtentiam, nullam prorſus incom-
'patibilitatem, inter profeſſionem Roma-
'næ Communionis integerrimam, ac fide-
'litatem quoad temporalia omnia indiſpen-
'ſabilem quæ Regi Magnæ Britanniæ à Sub-
'jectis omnibus debetur; ſed utramq, ex
'animo ſimul, ac perpetuò quidem obſer-
'vari poſſe. Et hæc ſanè, multoq, adhuc
in eamdem rem plura, Vir ille Illuſtriſſi-
mus, una continua ſerie, *Valeſio* tunc lo-
quutus eſt.

Quare *Valeſius* jam fiduciæ plenior (a-
bundè enim ac jamdudum quidem, illius Vi-
ri Proceris & fidem & ſapientiam, prudenti-
amq, exploratam habuit) ſtatim, præcipuos
Anglicani, Catholicæ communionis, tam Se-
cularis quàm Regularis Cleri viros Patres
tum Londini qui erant, circuivit. Et hos
equidem primo loco. Deinde verò &
Nobilium, Magnatumq, Laicorum ejuſ-
dem Eccleſiæ viros quoſdam Principes.

Inter alterutros non deerant multi, quibus, ubi rem illam nudè, quemadmodum contigerat, Valesius aperuisset, primò visum incredibile, & omni expectatione majus, in rerum circumstantijs, post centum annos inveteratarum Legum, à quoquam homine, quantumlibet cæterà potentissimo pariter & sapientissimo, de abrogandis istisce Legibus cogitari. Vicit nihilominus incredulitatem omnium constans Valesij asseveratio; audituros, nempe, proprijs auribus, visurosq, rem ipsam seriò intra mensem in altera Comitiorum domo, quæ supera sive Parium dicitur, publicè pertractari. Inter Ecclesiasticos speciatim, maxime Patres Societatis, non deerant nonnulli qui contra Juramentum illud ipsum *Allegiantiæ* plurima objecerunt: quæ tamen à Valesio coràm facile dissoluta. Ubi ventum erat ad Clerum Secularem, illi una vel altera die ad deliberandum petita, ijs elapsis, per Dominum *Ellis*, alio nomine *Warring*, Doctorem Theologiæ, *&c.* Capituli Anglicani Decanum, ex parte ejusdem Capituli responderunt, Libenti animo juramentum istud Allegiantiæ se præstituros, modò alterum, quod Supremitatis vocant, abrogaretur, legesq, reliquæ pœnales in Catholicum nomen latæ.

Et hinc Nobilium, Optimatumq, nonnullorum ejusdem Romanæ Professionis

Lai-

Laicorum Conventus, ad consulendum de re tam ardua, habitus est. Triginta tres erant in universum qui sic una congressi sunt; visuri quid facto opus esset; quidve Catholicos ipsos vel deceret, vel oporteret in illo mense intermedio ac deinceps facere, ad ejusmodi suam ipsorum causam in Comitijs promovendam. Nec in toto hoc numero plures erant quàm tantundem tres qui à *Patribus Societatis Jesu* regebantur. Quibus tamen moventibus sive suffragantibus pro Illustrissimo Comite *Bristolliæ*, qui præsens aderat, ut is præcipuè in Parliamento, id est prædicta domo Supera, ubi opportunum foret, nomine Catholicorum peroraret: à cæteris, nescio quo infelici fato, non tam assensum, quàm non dissensum, seu potius non repugnatum fuit. Neq; in hac parte solùm, verumetiam in pluribus alijs quæ *Valesius* enixè commendaverat observanda; per supinam negligentiam, eo temporis quamquam brevi intervallo, Catholici causæ suæ defuerunt, contra prudentiam omnem peccantes. Utcumq;, sub finem præstituti mensis, ita, ut promissum erat, actum, & strenuè quidem actum in Domo Supera Parliamenti de ea re: multisq; argumentis per idoneos viros Proceres, Ecclesiæ Anglicanæ filios, eadem res & fortiter mota & mirabiliter initio promota. In-

alia argumenta, iſtud imprimis Angliam ſolam conſiderantibus videbatur ſpecioſum, quòd toto nuperrimi civilis belli tempore, nemo Catholicorum in Anglia gladium contra Regios exeruiſſet.

At contra properè, ab alijs qui pro adverſaria parte loquebantur, objectum: Ubi valebant numero & robore Catholici, ut in Hibernia, omnes, ad unum pene, horribiliſſimam rebellionem anno 1641. rebellaſſe: nudatis, jugulatis, ſubmerſiſq; pacificis Anglis & alijs Proteſtantibus qui inter eos incolebant; idq; altiſſimæ Pacis tempore; idq; etiam nulla quapiam prævia cauſa per eoſdem Britannos miſeros Proteſtantes data Rebellibus.

Objectum, Hibernos eoſdem Romano-Catholicos Confederatos, etiam contra fidem publicam, juraq; adeò vel ipſarum Gentium Ethnicarum turpiter & ſolemniter impegiſſe. Ac primùm quidem eos anno 1646. ex imperio mero & ſolo Joannis Baptiſtæ Rinuccini, Archiepiſcopi & Principis Firmani illius inter ipſos tunc ad Hiberniæ Regnum ab Innocentio X. Pontifice Maximo Nuncij Apoſtolici extraordinarij, ut & illorum ejuſdem Regni Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, aliorumq; Prælatorum qui una cum eodem Reverendiſſimo Nuncio Manapiæ (alias Waterfordiæ) veluti in quadam Nationali aut Synodo aut ſaltem

tem Congregatione, in id convenerant, Pacem ab ipſiſmet cum Regia Majeſtate Regijſq; Exercitibus, paulo ante, hoc eſt intra duos menſes, tum concluſæ, tum ſolemniter publicatæ, abſq; nova quapiam cauſa ſeu à Rege, ſeu à Regijs data violaviſſe, perrupiſſe, rejeciſſe penitus. Immò Locumtenentum Regium, qui Pacem illam eis attulerat, ex ditionibus ſuis Confæderatorum univerſis, intra trigeſſimum diem quàm venerat, fugaviſſe: belloq; renovato, poſt alios duos menſes Dublinium obſediſſe; quamquam æquè infelici ac inauſpicato conamine. Rurſus autem eos, anno 1650. alteram quoq; Pacem, ab ipſiſmet ſimiliter ſeſquianno ante cum eodem ſuo Rege Carolo Primo ſolemniter ictam, publicatam, receptam, omninò perfregiſſe pariter & fruſtraneam reddidiſſe: idq; authoritate itidem ſola Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, cæterorumq; Eccleſiaſticorum qui eodem anno 1650. Jacobopoli, Provinciæ Occidentalis Hiberniæ oppido, in id congregati, ſub Excommunicatione latæ ſententiæ vetuerunt ne quis Confæderatorum deinceps Pro-Regi obſequeretur.

Objectum pleroſq; Romanæ Communionis Doctores, etiam Claſſicos & famoſiſſimos, Operibus ſuis quæ proſtant, non modò ut probabilem, nec modò ut certam, tutam, ſanam, ſed planiſſimis ter-

minis ut Fidei Christianæ divinam sive revelatam veritatem edocere, Ad libitum atq; ex authoritate vel sententia Romani Pontificis, Reges quoscumq; malè de Ecclesia Dei meritos, præsertim qui hæretica labe palam infecti sunt, hæresiq; patrocinantur, deponi posse. Adjecta, in confirmationem hujus doctrinæ, tamquam non modò communioris & prævalentis, sed omnes pene Romano-Catholicos inficientis, adjecta inquam & Summorum Pontificum tot Diplomata, & eorumdem Diplomatum effecta consectaria atq; dira, per Europam toties quæ videre licet repetita ab inito primùm Gregorij VII. Pontificatu. Ac, in regnis quidem Angliæ, & Hiberniæ, ea quæ ex Historijs nota sunt vel Joanni Regi accidisse, vel contra Henricum VIII. Elizabetham, & Jacobum Reges attentata esse.

Conclusum deniq; ex omnibus, nec sine Partis adversariæ applausu magno quidem, apparere jam non ultrò cæcutientibus plenissimam & clarissimam inconsistentiam securitatis hinc aut Regni aut Regis, & libertatis inde Romano-Catholicæ Parti factam abrogatione legum.

Prævaluit nihilominus eousq; alterius Procerum partis in Angliæ Catholicos benevolentia, ut per selectos quosdam viros compares, Illustrissimi illius confessus Superi

peri in cauſis quibuſcumq; Religionis Deputatos, novæ Conſtitutionis Forma pro abrogandis univerſim Sanguinarijs legibus in Catholicos jampridem per varias vices à mutata primum Religione latis, extemplo pararetur: offerenda ſcilicet propediem ac primùm quidem Domus ejuſdem Superæ in Seſſione, publica ventilationi; dein Inferæ; demum vero ut moris eſt, per utramq; Domum Regiæ Majeſtati præſentanda, authoritateq; ejus Regali ſciſcenda in perfectam ex omni parte legem. Notanter dixi, *pro abrogandis univerſim Sanguinarijs legibus*, &c. Iſta quippe nova Conſtitutionis Formula (ſi ut propoſitum erat ſciſceretur) eximebantur non quidem à pecuniarijs mulctis neq; ab officiorum incapacitate, ſed ab omni pœnâ ſanguinis, ſive capitis inquam & mortis univerſi Romanæ Religionis cum Laici, tum Eccleſiaſtici ſive Secularis ſive Regularis Cleri profeſſores; exceptis tantùm Societatis Jeſu Patribus. Hi namq; expreſſa quadam illius Formæ clauſula, diſertiſq; verbis, ab omni gratiâ, beneficio, indulgentia prorſus excludebantur. Nimirum ea parte cupierunt Formatores populo gratificari. Videbant enim clariſſimè, nec poterat eorum quemquam latere, qualiter jam à toto ſeculo, id eſt, ab ipſo pene initio Societatis, ingreſſuq; ejus in Angliam, &

magis

magis quidem magisq; indies Jesuitæ soli, præ omnibus alijs Romanæ Ecclesiæ Sacerdotibus, etiam Regularibus quorumcumq; Ordinum, Anglicano populo passim, ob varias causas, exosi essent. Una fuit *Dolmanni*, alias *Parsonij* Jesuitæ, invisus Liber ille qui primùm sub Elizabetha Regina lucem vidit. Eo nimirum Author asseruit, idq; pro scopo unico vel saltem principali habuit asserere, Angliæ pariter & Hiberniæ Regna, etiam hæreditario jure Successionis & Sanguinis, ad Hispaniæ Regem Philippum II. non verò ad Reginam aut alium quemlibet pertinere. Altera, paulo post Librum eum sequuta, erat, anno 1588. tum ejusdem Elizabethæ, tum Anglicani ejus Regni Hispanica & potentissima quidem illa, sed infelix tamen & irrita, invasio. Tertia, Molimen istud atrox, infame, inhumanum, infernale pulveris Tormentarij, quo Jacobus Rex, Reginaq; ejus & Princeps filius primogenitus, quoq; simul reliqui omnes totius Angliæ Ordines in utraq; Parliamenti Domo, Supera & Infera, congregati, Archiepiscopi & Episcopi, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Comitatuum & Oppidorum Legati, uno temporis momento è vita explodendi erant. Quarta demum alterius (si tamen alterius) generis Libri plurimi à diversis ejusdem Societatis Jesu Patribus, videlicet

videlicet Bellarmino, Becano, Leſſio, Gretſero, Sculkenio, Torto, Eudæmon-Joanne, Suarezio, Parſonio, Fitz-Herberto, &c. ſcripti editiq, adverſus præfatum Allegiantiæ (ſive mavis dicere, Fidelitatis) juramentum. Aliæ etiam permultæ rationes pro illa Patrum Jeſuitarum excluſione obtendebantur. Sed an juſtè, an injuſtè, ſeu illæ quas commemoro, ſeu aliæ quas prætereo, eidem Societati imputentur, exprobrenturq, mea nihil in præſentia refert. Propoſito meo hîc ſufficiet indicaviſſe fontem unde ſcaturierit tam ingentis Catholicorum boni impedimentum, hoc eſt, incœpti illius conaminis legum abrogandarum ſucceſſus necdum felix.

XV.

Iſtud certè conſtat, virum eum Illuſtriſſimum Briſtoliæ Comitem, de quo ſuperius, oratione ſua pro Catholicis in Domo Parium habita, fervorem illum penitus extinxiſſe quem Eccleſiæ Anglicanæ Proceres eouſq, in iſta re oſtenderant: idq, ex duplici cauſa. Nam & perſonam ejus Proloquutor ejuſdem Conſiſtorij Superi planè ſuſpectam & inviſam habuit, quaſi in ſe, ruinamq, ſuam alias multa molientem: & oratio ejus, quamquam alioqui ornatiſſima & elegantiſſima, (vir enim

enim ſummæ eloquentiæ Briſtolius erat) in eo quod præcipuum oporteret eſſe defecit. Cum enim inter perorandum Comes ad eum locum perveniſſet ubi neceſſe erat antedictæ Romano-Catholicorum libertatis hinc, & hinc ſecuritatis Regiæ inconſiſtentiam evertere: atq; adeo ex parte Catholicorum vel offerre vel ad minimum ſignificare, paratos eos fore ad præſtandum ejuſcemodi Juramentum quod Procerum ſaltem amicorum votis reſponderet; adverſariorum autem ora obſtrueret: ille contra imperfectum, ſeu decurtatum quoddam & anomalum obtulit. Ejuſmodi nempe quod omnibus univerſim quæ in Juramento Jacobino, prætenſæ ad deponendum Regem Pontificiæ Authoritati repugnant, adeoq; ijs omnibus quæ, non ejurata, ſupradictam Inconſiſtentiam validiſſimis argumentis, ubi Princeps & Regnum alterius à Romana Religionis eſt, evincunt, cum verbis tum ſenſu caruit.

Ita verò Illuſtriſſimi illius viri Comitis eloquentia viros quoſdam alios ſubdolos impudenter & infeliciter abuſos fuiſſe, eo magis mirandum eſt, quod qui Briſtolium norunt, omnes quoq; norint eum ſemper non tantùm animo, ſed & ore & calamo, ridicula iſta Pontificiæ Aulæ figmenta contempſiſſe. Immò norunt eum nuperrimè, hoc eſt anno 1673. in eadem Parliamenti

liamenti ſive Comitiorum Regni generalium Domo Supera, idq; una cum permultis alijs Romano-Catholicis Angliæ Proceribus, id eſt, cum omnibus omnino quotquot Romanam ſequuti Religionem illo die aderant, idq; etiam ipſius Celſiſſimi Eboracenſium Ducis exemplo, illud ipſum ex omni parte & communi forma Juramentum Jacobitum, quod olim ſic pro Catholicis infeliciſſimè caſtraverat, juraviſſe. Verùm nihil prorſus de hominibus ijs mirandum qui tam infauſto omine, in Conventu quodam Chelſeæ prope Londinum, atq; ejuſdem rei gratia habito, Juramenti iſtius ita deformati non modò ſuaſores, verumetiam fabricatores genuini & unici, paſſim tunc inter Catholicos audiebant. Homines ſunt qui cum ruina publici, rerum ſuarum ſatagunt, quibus perinde Religio eſt quæ ſine ipſis eſt. Qui nec ipſi Religionem procurare ſtudent; nec alios, ne honeſtis aut Evangelicis medijs eam introducant, non impediunt; quippe in turbido piſcationem eam quæ mundi amatoribus cordi eſt, opimiorem fore, multa jam experientia docti didicerunt: myriades animarum quæ interea pereunt nihil penſi habentes. Novi planè inter Chriſtianos Scribæ & Phariſæi Hipocritæ; quia cœlorum Regnum ante homines claudunt. Qui nec ipſi intrant,

nec

nec introeuntes alios intrare ſinunt. Quibuſq; adeo Salvatoris Domini væ illud in Matthæo contra veteres illos olim terribiliter pronuntiatum, vereor ne ex æquo verendum ſit.

*Mat.*23. 13.

Fuerint nihilominus iſta, de conſultoribus egregijs dicta quomodocunq; ipſi velint: factum Illuſtriſſimi Comitis in propatulo fuit, nec à quoquam negari poteſt. Certè Catholicorum cauſæ adeo pernicioſum erat vel in præſentia quidem, ut qui eouſq; favebant ipſis, præcipui Proteſtantium Procerum Coriphæi, pro virili contendendo priores leges abrogare, novaſq; in eorum gratiam ſciſcere; ea Briſtolij oratione velut fulmine quodam percuſſi, ſtatim obmutuerint. Nec id profecto abſq; juſtiſſima ſilentij cauſa. Viderunt plane ac doluerunt quidem, ea Juramenti reformatione telum unicum ſibi jam è manibus per Catholicos ipſos ereptum, excuſſum, extortum quod partis Adverſariæ frameas hebetaret. Argumentum illud, quo ſolo nixi hactenus, audebant conſiſtentiam ſive compatibilitatem exercitij Romanæ Religionis Liberi cum ſecuritate Regis Regniq; ejus aſſerere. Seu quod eodem redit, Catholicos, non obſtante Religione & communione ſua, poſſe in futurum, fideles Coronæ Anglicanæ ſubditos

ditos ſeſe per omnia præſtare. Cancellarius autem, à quo imprimis, veluti non tantùm Proloquutore Domus potentiſſimo, ſed Miniſtro Regis Primario, cuncta dependebant, animadverſo quàm inſipienter ſe Catholici gererent, Briſtolium partis ſuæ Principem vel conſtituendo, vel ſaltem permittendo ut ille pro tali ſe oſtenderet: immò quàm nihil prorſus ſuarum rerum ſatagerent, decurtatum ejuſcemodi Sacramentum offerendo: ad alias Reipublicæ curas animum ſuum Procerumq; cæterorum deinceps convertit. At per Majeſtatem Regiam, poſt paucos dies alios, finita quæ tunc erat Parliamenti Seſſione, proxima ejus Seſſio in ſequentem annum 1662. prorogata fuit. Interea cæteris Romano-Catholicis Proceribus vacabat ſatis ad errorum ſuum recognoſcendum. Etſi profectò, ut fatear quod res erat; Vel ipſa illa die qua communem cauſam Briſtolius ita peſſundederat, cæteri Catholici Pares, dimiſſo jam Senatu, ad proprias ædes reverſi, inter familiares, immò etiam vel inter prandendum quidem, ad menſas ſuas querebantur, Briſtolium non modò poteſtatem ſibi nomine Catholicorum arrogaviſſe; ſed cauſam eorum funditus evertiſſe. Et iſta quidem Magnates illi intra privatos lares de Briſtolio, etſi in vanum, clapſa jam è manibus

bus occaſione, queſtiſſent; qui ne verbum unum in Comitijs publicis ipſi oppoſuerant. Reliqui verò minorum Gentium Orthodoxi, quotquot equidem præjudicio Patrum Societatis in cauſa Juramenti *Allegiantiæ* non laborabant, vehementer contriſtari; & una ſanè tam Magnates illos cæteros ejuſdem Eccleſiæ filios qui tacuerant, quàm Briſtolium qui loquutus eſt, incuſare: ac iſtum quidem eloquentia infauſta, illos autem ſilentio importuno communem cauſam perdidiſſe, conqueri: deniq; uno verbo, Religionis in Anglia ſuæ fatum dolere. Præ omnibus autem Valeſius afflictari: utpote ſecum animo identidem revolvens, non modò quanta ſpe cordati, pij, boniq; omnes una hora cecidiſſent; verumetiam quanta nonnullorum id ſive hinc ſocordia Procerum, ſive illinc malitia hominum alias Deo etiam ſpecialibus votis dicatorum, eveniſſet.

XVI.

Attamen cogitationibus iſtiſce mœſtis ubi aliquantulum à Valeſio indultum eſſet, gratiores quidem aliæ, quoniam non de præterito inutiles, eſto futuri anxiæ, ſucceſſerunt, animumq; ejus intimè poſſederunt. Certè mox ab illa Parliamenti ſive Comitiorum Regni prorogatione per Majeſtatem

jeſtatem Regiam facta, id unum ſtudere, id inquirere, in id incumbere cæpit, quod in Seſſione proxima Catholicorum cauſam illam ipſam denuò reſtitueret; quamq, Briſtolius ruinam fecerat, repararet. In hunc finem dum ſequenti hyeme, inter utramq, Seſſionem intermedia, verſat, voluitq, ſecum plurima: ecce inopinatam, quaſi propitio Deo, occaſionem. Illuſtriſſimus Fingalliæ Comes, ex Hibernia trajecto mari in Cambriam appulſus, Londinum properatò celeribus equis advehitur, literas ad Valeſium ferens. Hæ verò literæ, ut graviſſimam quidem in Hibernia perſequutionem (eam de qua ſuperius mentio facta eſt) nuperrimè & abſq, ulla partium diſcriminatione, contra Catholicos omnes tam Laicos quàm Eccleſiaſticos exortam, veluti & prætenſam ejus indicendæ cauſam, referunt: ſic etiam inter alia Inſtrumenta, illud quoq, paulò pòſt famoſiſſimum, continent *Remonſtrantia Hibernorum* quod vulgo dicitur. Monent porrò Valeſium, iſtud ipſum Inſtrumentum, velut Hibernici totius Romano-Catholici utriuſq, (Secularis & Regularis) Cleri Supplicationem Regiæ Majeſtati abſq, mora præſentare: cæteraq, omnia facere quæ incendio perſequutionis extinguendo Procuratorem Cleri facere oporteret. Et Valeſius quidem, mox ut

contenta literarum, Inſtrumentorumq; incluſorum ſeriò perpendiſſet, quamquam hinc pro gravitate novarum Gentis perpeſſionum diuturnis alijs quæ præceſſerant additarum, compateretur ex animo: illinc tamen ob inſignem fidelitatis profeſſionem quæ Eccleſiaſticorum omnium Hibernorum nomine, Remonſtrationi gravaminum annexa erat, lætatus, adeoq; mirum in modum recreatus eſt. Quippe profeſſio iſta, tametſi ijſdem ubiq; verbis non formata, quibus Juramentum *Jacobinum* conſtat; ſenſu tamen, quoad ſubſtantialia quævis, ab eo non differt. Enimverò licet nonnihil diſpari verborum expreſſione; clarè nihilominus, fusè, ac diſtinctè illum ipſum Juramenti ejus à Jacobo Rege, lataq; lege indicti paragraphum, quem Briſtolius ex induſtria, in ſuo ex parte Catholicorum ita infeliciter oblato, penitus omiſerat, complectitur: adeoq; & ea omnia, quorum omiſſorum cauſa tum Cancellarius tum reliqui Proceres Proteſtantes in Domo Supera, ut ante viſum eſt, iſtud Briſtolij exſibilaverant. Acceſſit quoq; & alia conſideratio. Quòd nimirum, iſta Hibernici Cleri profeſſionis Formula non ſenſu modò, ſed verbis, ipſiſſima fuerit illa, qua Romano-Catholici Angliæ olim, anno 1632. aut circiter, Parliamento illius temporis ad *Weſtmonaſterium* habito ſupplicantes,

tes, fidelitatem ſuam in rebus quibuſq; temporalibus *Carolo Primo* felicis memoriæ Regi ſuo clementiſſimo & optimo teſtati profeſſiq; ſunt; ne uno quidem verbo vel detracto, vel addito, neq; tranſpoſito quidem, mutatove ullatenus; præterquam *Hiberniæ* loco *Angliæ* poſitum, ut Hibernis ſupplicantibus accommodaretur.

Ac poſteriore quidem ratione hac, Valeſio perſuaſum erat, Angliæ Catholicos paſſim contentos fore, obedientiam, fidemq; ſuam, in temporalibus quibuſlibet, Majeſtati Regiæ eadem Formula profiteri. Quippe, quam vel ipſi, vel ævo ſuo eadem cum ipſis ſentientes, amici, conſanguinei, cives, cautiſſima & minimè offendenti verborum contextione formaverunt: omiſſis Juramenti *Jacobini* verbis illis ſolis quæ quantumvis ad ſubſtantiam rerum profeſſarum neceſſariè non ſpectarent; offenſam tamen ſcrupuloſioribus quibuſdam Zelotis, ſaltem ut pretendebatur, dabant. Illa verò conſideratione priori fretus, haud dubitabat, Dominos Parliamenti in eadem ipſiſſima Formula acquieturos. Hoc eſt, ea cum Regis tum Reipublicæ paci atq; incolumitati, contra Partis Romano-Catholicæ molimina quævis, ſufficienter proviſum reputaturos; quantum aio, profeſſione oris, quacunq; for-

ma, provideri poſſet opinabatur. Immò ſibi firmiter perſuadebat, magnates Illuſtriſſimos pariter & ſapientiſſimos, haud verborum quorumlibet determinatorum aut corticem aut ſonos aucupari; ſed nucleum & ſenſa Juramenti *Jacobini*, quibuſcumq; tandem verbis expreſſa, requirere.

Igitur, perſpecta ſic Remonſtrationis illius Hibernicæ, tamquam medij unici in rerum circumſtantijs à Deo oblati, ad utrumq; Finem ſupradictum aſſequendum aptitudine, convenientia, idoneitate; (Finium autem eorum, ut ſimiliter ante admonui, alter proximus & immediatus; alter paulò remotior, idemq; tamen longè maximus, ultimus, præſtantiſſimus erat: & ille quidem, ut propinquior, ita facilior obtentu, perſecutionis ejus quæ in Hibernia tunc vehementiſſimè graſſabatur extinctio; hic, inter ardua poſitus, pænariarum Legum contra Catholicum nomen, in utraq; Gente, & in omne ævum, reſciſſio:) perſpecta inquam ut res tum erant, Hibernicæ illius Formulæ profeſſionis ad utrumq; finem aſſequendum idoneitate: Valeſius, nulla quapiam interjecta mora, lætanter, impigrè, indefeſsè omnem operam, induſtriamq; ſuam eidem Formulæ promovendæ impendit: ſubſcribi eam ab ijs quorum intererat, quoſq; primo loco ſub-

ſubſcribere decuit, procuravit: ſubſcriptamq; Regi noſtro indulgentiſſimo præſentavit; à quo benigniſſimè quidem recepta eſt. Quinam verò, quamprimum in ultramarinis partibus de ea re fama percrebuerat, Authores erant præcipui oppoſitionis famoſæ, a-catholicæ, impiæ iſtius quæ tam innocenti Formulæ ſtatim, ac deinceps porrò in hunc uſq; diem, facta eſt: quæq; adeò veriſſima & unica principalis cauſa fuit ſucceſſus ejus non ſequuti, quem ardentibus votis omnes boni præconceperant: Eminentiſſimus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, D. *Franciſcus Barberinus*, & Illuſtriſſimi apud Belgas Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, unus poſt alium, Internuncij, *Hieronimus de Vecchijs*, & *Jacobus Roſpiglioſius* dicant. Literæ ipſorum, quæ id clariſſimè oſtendunt (in Hiſtoria illius ipſius Hibernorum Remonſtrantiæ) jamdudum typis editæ proſtant. Et iſta quidem omnia de præcipuo fine, quem *Valeſius* operæ ſuæ in eadem Remonſtrantia ſive promovenda, ſive defendenda navatæ præſtituerat, hactenus dicta, Alterum illud conſtituunt, quod obſervandum hic à Reverentia tua cupit, nimirum, occaſione illius primæ ſingulariæ chartæ typis ab ipſo datæ.

XVII.

Ad reliquas earumdem ſingulariarum nunc progredior. Igitur ſecunda charta ſingularia fuit, Optimatum Nobiliumq, cæterorum Status Laici Hibernorum, qui tum Londini erant, Remonſtratio. Etenim hæc ab ea Cleri, tum in præfatione, tum in ſupplicatione, ſeu petitione, multum differebat. Quippe *Valeſius* utramq, Præfationem ſcilicet ac Petitionem, formaverat Remonſtrantibus Laicis, ipſorumq, rogatu ipſis accommodatam. Et in petitione quidem hac ſua illi, ut viros Nobiles Optimateſq, Regni decuit, Majeſtatem Regiam orabant, dignaretur non modò innoxios ab executione Legum, in Catholicum nomen indiſtincte olim editarum, protegere; ſed leges eaſce ipſas abrogari curare. Eccleſiaſtici verò in ſua (quæ prior erat) ſupplicatione, poſterius hoc de Legibus poſtulare non audebant. Cæterùm Formula profitendi ſubmiſſionem, profitendiq, in temporalibus fidem omnem & obedientiam Regi, non alia hujus Laicorum Remonſtrantiæ, quam quæ Eccleſiaſticorum, ſed eadem prorſus, de verbo ad verbum, utriq, inſerta fuit. Cui equidem, ſed tamen diſtincta, & (quemadmodum jam dixi) appropriata Laicis

Laicis charta, poſt deliberationem multam octo ſeptimanarum, congreſſuſq; varios eorumdem ſuper ea re habitos, ab ipſis tandem alacritate magna ſubſcriptum eſt. Nonaginta ſeptem vel octo erant è Laicorum ſtatu omnes qui ſic in Anglia & urbe Regia *Londinenſi* chartæ huic ſecundæ ſubſcripſerunt; alij Comites, alij Barones, quidam Equites Aurati, alij Militum Tribuni, reliqui terrarum Domini Proprietarij, omnes verò univerſim viri Nobiles & antiqua ſtirpa oriundi. Alteram ergo Remonſtrationem iſtam, extemplo ut ſubſcripta pariter & eadem ipſa die, per Illuſtriſſimum Comitem *Tirconnalliæ*, comitantibus eum nonnullis alijs Hiberniæ Proceribus, Regi humillimè præſentata fuerat, atq; à Majeſtate ſua, pro ſubſcriptorum votis, gratioſiſſimè recepta; *Valeſius*, una cum Remonſtratione Cleri, verùm diſtincta charta ſingularia, imprimendam curavit, ac publicè quidem apud Bibliopolas, perq; plateas ipſas *Londinenſes*, ut moris eſt, proclamari, diſtrahi, ac venum dari.

XVIII.

Tertiam & Quartam ſingulariam fecerant gratulatoria ejuſdem *Valeſij* vota, ut Hiberniæ Cleri Procuratoris. Vota equi-

dem tum Regi noſtro *Carolo* II. Britannico Pio, Felici, Glorioſo, ad Hæreditaria Regna & paternum Solium reſtituto; tum Reginæ itidem noſtræ *Catharinæ Braganticæ*, Pientiſſimæ, Inclitiſſimæ, in Angliam appulſæ, & connubio Regali Carolino auſpicatiſſimis ominibus junctæ, quâ verbis *Valeſius* potuit, quâq; ex animo valuit, expreſſa: & illa quidem Regi, ſermone patrio, id eſt Anglicano: illa autem Reginæ, Latino: utraq; verò cauſam Religionis velut polare Sydus reſpicientia.

XIX.

Quintam deniq; & ultimam ſingularia-rum fecit antedictæ Cleri Remonſtrantiæ pariter & Monitionis eidem annexæ in Latinam Linguam Tranſlatio; eodem *Valeſio* Authore. Quibus, ita per *Valeſium* tranſlatis, viſum erat ipſi & alteram quoq; in eadem charta, ad Lectores, Monitionem ſed VIII. Calend. Junij anni 1662. datam, adjicere. Quæ nimirum, de ejuſdem Remonſtrantiæ, intra quinque Menſes, à priori ejus Anglicana editione, III. Nonar. Februariarum facta, ſucceſſu, ad extinguendum ſubito ac penitus quidem in præſentia crudeliſſimam illam (de qua ſupra) Catholici nominis in Hibernia per Triumviros perſecutionem, de ſucceſſu inquam ejus illo edoceret. Jam

XX.

Jam itaq; ut revertar eo unde, multorum interpolatione, Paternitati tuæ fortean videri poſſim longiuſculè digreſſus: iſtud ingenue fateor, me prædictas omnes quinque ſingularias chartas, nulla Superioris cujuſcumq; *expreſſa* licentia, vel habita, vel requiſita, prælo evulgaviſſe. Equidem ne ſemel quidem in mentem venerat, ejuſcemodi licentiam fore mihi neceſſariam: aut olim vitio mihi id verſum iri. De munere meo Procuratorio liquebat. De neceſſitate rerum conſtabat. Et, non defuiſſe mihi in prædictis omnibus, ſimilibuſq; etiam alijs quibuſlibet, licentiam ſaltem, vel ipſorum quidem Ordinis Noſtri Superiorum, quam vocant *tacitam*, haud immeritò arbitrabar. Præterea, manifeſtum eſt, Statutis illis Generalibus quæ *Valeſium* ligabant, neq; unius chartæ ſingulariæ, neq; plurium ſane ejuſcemodi, impreſſionem prohiberi: quoniam hujuſmodi ſeu chartæ ſeu Impreſſiones, Librorum aut Libri nomine haud veniunt: neq; adeo unius ſchedæ facies una, Liber vocari poteſt. Qua quidem forma, ſcilicet unius ſchedæ facie una, quælibet præfatarum ſingulariarum impreſſa eſt. Deniq; Jura docent *odia eſſe reſtringenda*: ac idcirco

in

in pœnalibus, verba non esse ultra communem acceptionem amplianda, seu extendenda.

Sed tamen faxit Reverentia Tua, nihil horum sufficere ad pœnam Legis, id est Statuti Generalis *Belgici*, elevandam. Illud nihilominus manebit immobiliter fixum; videlicet, Pœnam istam non esse Excommunicationem, neq; Actuum Legitimorum privationem; multo minus utrumq;: ut profecto neq; Censuram aliam, ex ijs inquam Ecclesiasticis quæ propriè tales passim sive apud Theologos sive apud Canonistas appellantur. Ea pœna, præter suppressionem Libri, sola est inhabilitatio quædam, legalis ad scribendum deinceps: eaq; ipsa quidem, per Judicem declaranda; (*a*) non autem, ante sententiam Criminis Declaratoriam, (*b*) ipso facto contracta. Ac priorem sane partem istiusce punitionis (quamquam non virtute nec authoritate cujuspiam Statuti veri, saltem quod *Valesium*, aut Provincias Germano-Belgicas, Britannicasve, aut Hibernicas obligaret) jam pro virili parte sua, Diffinitorium Generale, id est illius *Tribunalis vestri altioris Vallisolitani* Judices, executi sunt: utpote, Ministris quibusq; Provincialibus, Librorum *Valesij* & *Caroni* undiqua-

(a) *Stat. Gen. Belg.* c. 7. § 6. n. 16.
(b) *Ead.* c. 6. § 9. n. 1.

undiquaque collectionem, transmiſſionemq, ad Miniſtrum Generalem, atq, adeò ſuppreſſionem, injungendo. Poſteriorem exequi, immò vel attentare quidem executionem ejus, obliti ſunt. Neq, alij pòſtea negligentiam eorum tantam, tamq, ſupinam, aut ſententia velut criminis præteriti declaratoria, aut mandato velut futuri inhibitorio, ne quidem aliquando in hanc uſq, diem, ſuppleverunt. Itaq, liber ſum adhuc, non modò ad ſcribendum, ſed porrò ad ſcripta mea quæcumq, imprimendum. Id eſt, non deterior, nec adſtrictior, in ea parte, *Valeſij* conditio eſt, quam alius cujuſlibet Inſtituti Noſtri Profeſſoris. Nam cæteri omnes, æque ac *Valeſius*, Conſtituto illo Generali *Belgico*, de non imprimendis Libris abſq, Superioris licentia obligantur. Quare, ſi cuiquam alij in ullo caſu extraordinario, vel deinceps liceat, vel antehac licuerit, eorum qui Statutum illud condiderunt mentem interpretari: quorſum *Valeſio* in ſimili caſu idem, ſeu quoad futura, ſeu quoad præterita, non liceret? Maximè cum ad culpam, id eſt interioris fori peccatum, vel leviſſimum aut veniale quidem, Conſtitutio iſta neminem in quocumq, caſu liget (c); ubi alias, inquam, nec divina nec humana Jura tenent, decernuntve

(c) *Vide Statuti verba, ſupra* c. 7. §. 6. num. 16.

cernuntve quidquam. In ea quippe nihil neq; ſub præcepto obedientiæ, (immò planè ſub nullo penitus) neq; ſub cenſura quavis injungitur (*d*). Superius verò oſtenſum eſt, Nulla quæpiam alia Jura, ſeu divina ſeu humana, *Valeſium* in Anglia aut Hibernia exiſtentem, imprimentemq; Libros, vel modo obligare, vel hactenus obligaſſe ad licentiam Superioris pro impreſſione habendam. Unde, ni fallor, conſectarium quoq; erit, quod etiamſi vel ab initio quidem *Valeſius* prævidiſſet Superiores ſuos, alioſve quoſlibet, eo impreſſionis Librorum (chartarumq; prædictarum, abſq; Superioris licentia) titulo, dicam aut moleſtiam ipſi creaturos; pœnamve Statuti, ſeu illius *Belgici*, ſeu alterius, ipſum incurriſſe declaraturos, teneretur nihilominus, vel ex ipſa quidem divina lege naturali, ea feciſſe omnia quæ, ſive ſcribendo, ſive imprimendo, edendoq; ac divulgando eadem Scripta, fecerat. Id Procuratorij muneris ratio, id juſtitia & pietas cum Religioni Catholicæ, tum afflictiſſimæ Patriæ ſuæ debita, vel in eo quidem prævisionis aut præſcientiæ caſu, à *Valeſio* exigeret. Ac perſecutionem ſanè vehementiſſimam extinxiſſe: & centum viginti ſacerdotes, ex ergaſtulis diverſarum Hiberniæ Provinciarum horridis (in quibus

(d) *Eid*, cap. 8. §. 10. n. 9.

bus alij beinnium, alij quadriennium, plures quinquennium & ſexennium, nonnulli octennium quoq; & novennium jactuerant) eduxiſſe: Cleroq; reliquo pariter & populo dulcem (qua ante caruerant) libertatem ſpirandi impoſterum nativi aeris, prædia vetera, lares, amicosq; notos inviſendi; & abſq; timore inſequentium eos militum, eundi quocumq; vellent, impetraviſſe: id, in eo etiam prævisionis caſu, à *Valeſio* requireret. Hæc enim omnia *Valeſius*, ejuſcemodi opera ſua, id eſt cum ſcribendo, tum ſcripta ſua Typis evulgando, confeſtim aſſequutus eſt. Quod equidem finis proximus & immediatus erat, quem opellæ ſuæ, in Remonſtratione promovenda impenſæ, præſtituerat.

Quàm verò dejecta, ſqualida, mœrens, deplorata facies rerum eouſq; in *Hibernia*, ſeu tot annos ante, ſeu præſertim ab incæpta crudeli ea poſt Reſtitutionem Regis perſequutione, fuerit; nemo Hibernus neſcit. Certè Eccleſiaſtici, quotquot poſt excidium Gentis reſidui, neq; foris exulaverant, neq; domi adhuc in perſequentium eos militum crudeles manus inciderant, adeoq; nec in carceres conjecti erant, alij, quamquam ij pauciſſimi, qui in urbibus aut oppidis periculo ſuo extremo remanere auſi ſunt, interdiu vel in foraminibus ſubterraneis, vel in anguſtijs quibuſdam parietinis,

abſq;

absq; luce, à semetipsis inclusi morabantur: noctu tantùm pro solatio infirmorum, nunc in hanc formam, nunc in aliam transformati, egredientes. Alij verò, tametsi non tantùm in dies pene singulos, verumetiam in horas haud infrequenter, demigrantes, diffugientesq; ac porrò vagi, errabundi in montibus, & sylvis, & paludibus & petris, specubusq; ac solitudinibus antea inaccessis delitescentes, diu noctuq; nihilominus vestigabantur; quinimò velut feræ, velut animalia quædam humano generi noxia indagabantur, diffugabanturq;. Omnes demum præ fatigatione ac fastidio, ipsam vitàm, quâ Christianis licuit, oderant: quippe ut olim Beatissimus ille Gentium Apostolus, *responsum mortis in semetipsis quotidie habentes.* Laici vero, tam Optimates, quàm cæteri terrarum Proprietarij, quos *Cromvellus* olim, subacta Gente, in angulum quemdam ejus Provinciæ in Occidentali Hiberniæ plaga quæ *Conacia* dicitur, ex alijs omnibus Regni Provincijs transplantaverat; & quorum nonnulli inde, post Restitutionem Regis, visendorum licet amicorum, locorumq; veterum gratia, tantummodò ad breve tempus, egressi erant; edicto severissimo compellebantur ad certum diem regredi: & neq; amplius inde egredi, neq; pontem *Athlonienſem* transgredi: nisi si fortassis vellent,

aut

aut ergaſtulis mancipatos, ſe videre; aut furentium militum gladijs, contis, & ſclopetis, ſe objicere. Quinetiam, qui toto ipſius *Cromvelli* tempore, in oppidis & urbibus quibuſdam remanere permittebantur, mercatores quidam pauci, & opifices nonnulli pauperes, ſeniculiq, & aniculæ, ac infantes; illico tamen poſt Edictum iſtud crudeliſſimum, Vi. Dec. anni 1661. publicatum, abſq, mora cùm proprijs ædibus, tum etiam totis prædictis urbibus, oppidiſq, ejecti ſunt, expoſitiq, Dio, & omni prorſus cum Cœli tum Soli inclementiæ, idq, vel media quidem hyeme rigoroſiſſima: porrò etiam & exuti bonis; utpote ſupellectili ipſorum tenui in medias Oppidorum plateas, ab ijs qui ipſos violenter ejecerant projecta: ne permiſſione quidem Mercatoribus facta, merces ſuas vel ſecum aſportandi, vel alijs divendendi pretio; haud alio ſaltem, niſi quinta parte ejus quod juſtum æſtimabatur; quatuor nempe ſolidis, pro qualibet Anglicana Libra, quæ viginti ſolidos valet. Non Ruſtici ipſi agrorum aratores, non Mercenarij, non diurni quiquam operarij rura incolentes, victumq, ſibi quotidianum in ſudore vultus ſui comparantes, ſub perſecutione iſta non altum ingemuere: nec id pro alijs tantùm; ſed etiam pro ſemetipſis. Quippe diu noctuq, & in tenebris

quidem

quidem æque atq; luce, armatorum Equitum, Peditumq; Manipuli tum Pagos, tum Villas, tum viliſſimas quoq; pauperum Caſas frequentiſſimè circumibant; ſcrutantes omnia loca, etiam penetralia quæq; abditiſſima; idq; Sacerdotum reperiundorum vel cauſa, vel certe pretextu. Sanè ea perpetuo cauſa prætendebatur; uti quæ, terrefaciendæ plebi Orthodoxæ, aptiſſima foret. Ac eò revera ſpectabant Miniſtri Status Maximè, eò præcipuè collimabant, ut quemadmodum *Philiſthæi* olim Dominium Hæbræorum aſſequuti, id curarunt, ne reliquus eſſet vel unus quidem Faber Ferrarius in Iſrael: ſic iſti æyo noſtro, ne quiſpiam, ne vel unus inquam Sacerdos Deo conſecratus, in Sanctorum Inſula remaneret, omni conatu, induſtria, crudelitate ſatagebant. Verùm è cœlo reſpiciens propitium Numen, eorum Conſilia riſit: atq; memorata jam *Valeſij* opera, veluti Inſtrumentali cauſa uſus, triſtiſſimam iſtam Rerum Hiberniæ faciem ſubito in ſerenam transformavit. Siquidem, efficiente illo principaliter qui corda Regum movet; *Valeſio* autem ſollicitante atq; procurante, ejuſcemodi Literæ Regiæ hinc *Londino* in *Hiberniam* ad præfatos ipſos Triumviros, qui paulò ante tàm duram perſecutionem authoritate ſua indixerant, expeditæ ſunt, quibus & mare & venti,

&

& procella furens, & quaſſatio omnis violenta obediverunt; facta ſcilicet per univerſam eam terram velut miraculo quodam, tranquillitate illa magna quæ propediem ſequuta eſt. Enimvero ſtatim à receptis iſtiſce literis Regijs *Dublinij*, Edictum non modò authoritate Regia, ſed eorumdem quoq; Triumvirorum nominibus propriis eidem præfixis (quemadmodum & cæterorum Sanctioris in Hiberniæ Regnō Concilij Regij, pariter ſubſcriptis) in eadem urbe Regni præcipua, Sede Metropolitana ſimul & Pro-Regia, *Dublinienſi*, Emporio Gentis celeberrimo, XVII. Calend. April. An. M. DC. LXII. ſolemniter publicatum, & locis quibuſq; publicis affixum prodijt, quod crudeliſſimi illius ipſorum de perſequendis Catholicis præcedente anno lati revocatorium fuit. Eo namq; etiam in cauſâ captivorum, declarabatur, præcipiebaturq;, Sacerdotes omnes, ratione Fidei Catholicæ aut Ordinationis Sacræ eouſq; ullibi captivos, fore nihilominus ad XVIII. Calend. Junij proximè inſequentis, id eſt intra unum Menſem, liberos: adeoq; & liberum eis fore, vel quocumq; vellent, ire; vel ubicumq; liberet, remanere. Porrò ad hujus Edicti literam, omnia ritè obſervata. Atq; ita demum Remonſtrantiæ, Librorumq; eorum atq; Inſtrumentorum, a *Valeſio* typis

editorum, opera, perſecutio illa Triumvirorum graviſſima, ſæviſſima, extrema finem habuit. Et Catholicus quidem Hiberniæ populus pariter & Clerus quievere. Captivi autem Sacerdotes, poſt duriſſimarum perpeſſionum tot annos longos, emiſſi carceribus, deſideratiſſima libertate potiti ſunt. Dum interea univerſi, id eſt non iſti modò, ſed illi, preces ferventiſſimas votaq; ſua Deo perſolverent: Sacerdotes verò inſuper & hoſtiam incruentam, pro ſalute Benigniſſimi & Optimi Principis *Caroli Secundi*, *Britannici*, *Auguſti*, *Pij*, *Felicis*, *Glorioſi*, ad altaria Dei quotidie immolarent.

XXI.

Verùm quæ hactenus, per occaſionem, etſi loco ſatis opportuno, dicta ſunt, ſive de effectis, ſive de finibus, ſive de meritis etiam, ac motivis quidem urgentiſſimis Librorum, chartarum, Typorumq; meorum quorumlibet: quæq; itidem ante cætera cum de *Victoriano*, tum de *Belgico* Generali, contra Librorum Editores Conſtituto, ſunt præmiſſa: ſi quidquam video, abundè ſunt ad demonſtrandum, quàm in hac etiam altera *Valeſij* cauſa, videlicet Impreſſionis Typographicæ, & Excommunicationis ſecundæ, Patres *Valliſoletani* adeò

adeò nihil neq; bene examinaverint, neq; maturè discusserint: ut ne voluerint quidem videre quidquam; sed luce ipsa meridiana cæcutire, ac densissimas palpare tenebras. Profecto, si non ita voluissent, nec ita planè intellectum suum in obsequium (non Christi Domini, sed) Nuncij illius eorum Præsidis Apostolici captivavissent: ullusne mortalium est, qui crederet eos, etiam in hac altera *Valesij* causa de Librorum editione, quemadmodum & in priori ejus de Contumacia, non modò contra absentem indefensumq; ipsum, nec modo contra non confessum nec convictum ipsum, verumetiam contra nec citatum quidem, nec vocatum, nec ulla ratione monitum, pronunciaturos ita pro Tribunali? & gravissimas tam Ordinis quam Ecclesiæ pœnas in ipsum, repugnante quamvis omni cum divina tum humana lege, decreturos? Nemo est ita male sanus ut crederet.

XXII.

Abblandire igitur tibi nunc, Reverendissime Pater, quantumcumq; velis, Responso tuo isto æquè insigni, atq; breviculo. Eademq; fidentia adhuc, si libuerit, prætendito semper, quod priore ejusdem Responsi parte dicis, Valesij *causam*

ad altius Tribunal devolutam, immò in eo judicatam eſſe. Audies tamen ſemper, ut quemadmodum nulla neq; principalis *Valeſij* cauſæ, ſcilicet Remonſtrationis Hibernicæ; neq; ullius quidem priorum trium acceſſoriarum ejus (hoc eſt, neq; Nationalis ex utroq; Hiberniæ Clero Synodi; neq; Provincialis Fratrum Minorum Capituli; neq; *Jacobi Taaffij*, illius quondam per univerſum iſtocce Regnum Vicarij ſeu veri, ſeu ficti Apoſtolici) nulla inquam expreſſa vel ſpecifica mentio à Judicibus optimis *Valliſoletanis*, in Tribunali illo altiori ac *Decreto* famoſiſſimo facta eſt: adeòq; nullum neq; de illa Principali, neq; de iſtis anterioribus Acceſſorijs tribus, ſeu iſtarum qualibet judicium quodvis, æquum vel iniquum, in eodem Tribunali vel Decreto latum: ita poſteriores alias tres Acceſſorias, eas nimirum quæ tum *Coppingeri* Depoſitionem, tum *Valeſij* & prætenſam contumaciam, & Librorum editionem ſpectant; eaſq; adeò quæ expreſsè vel ſpecificè in eodem Tribunali ac Decreto judicata ullo modo ſunt; judicio tamen haud tantùm injuſto, ſed planè, juxta Sacrorum canonum inſtituta, invalido, inani, irrito, nullo, judicatas eſſe.

Audies Supremos ipſos Catholicæ totius Eccleſiæ per Orbem Judices, ex altiſſimo ſuo Tribunali, diſertis verbis, contra quæcumq;

cumq; ejuſcemodi judicia, in abſentes quæ feruntur, tandundem prenuntiantes. Teleſphorum (*a*), & Eleutherium (*b*): Calixtum (*c*), & Cornelium (*d*); Marcellum (*e*), Damaſum (*f*), Felicem (*g*), Zepherinum (*h*): & Pelagium (*i*) pariter & Gregorium (*k*) Magnum: deniq; Nicolaum I. (*l*), & ipſum quoq; Innocentium III. (*m*) dico. Et hoſce quidem omnes, utpote Beatiſſimi illius *Petri* in Romano Supremoq; Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Solio Succeſſores, neceſſe eſt audire. Canonizatas porrò ſingulorum de iſta re ſententias; adeòq; & (per conſequentiam evidentiſſimam) pro Valeſio judicia definitioneſq; contra *Valliſoletani* tui Generalis Definitorij ſive Judicium ſive Decretum iſtoc inquam in Valeſij cauſa factum iniquiſſimè, partim *Gratianus* Monachus, in *Decreto*, partim *Gregorius* IX. in *Decretalibus*, jampridem Orbi tradiderunt: idq; locis, quæ Marginales Notæ hic oſtendunt; ego autem, in Epiſtola

(*a*) 3. q. 9. cap. *Accuſatori.*
(*b*) *Ead. cauſ. & q. cap. Cavent.*
(*c*) *Ibid.* cap. *Abſentes.*
(*d*) *Ibid.* c. *Omnia.*
(*e*) *Cap. non oportet. ead.*
(*f*) *Cap. Habetur. & cap. Qui. ead. & v. q. 2. cap. Relatum.*
(*g*) 3. q. 9. *Abſente. 2.*
(*h*) *Cap. Abſens. ead.*
(*i*) *Cap. Chartæ. ead.*
(*k*) *Cap. Suſceptiſ. extra. de cauſ. poſſeſ. & prop.*
(*l*) *Cap. Revera. & cap. neceſſe. ead.*
(*m*) *Cap. Inter quatuor. extra. de major. & obed.*

ſtóla mea ad Reverendiſſimum Patrem *Franciſcum Maria Rhini a Polizzo*, ad longum dedi. Quare inpræſentiarum ſufficiat ex omnibus, pauca quædam adducere. *Caveant Judices Eccleſiæ*, inquit Eleutherius in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, *ne abſente eo cujus cauſa ventilatur ſententiam proferant, quoniam irrita erit: imò etiam & cauſam* (id eſt pœnam, inquit Gloſſa) *in Synodo, pro facto, dabunt.* Cornelius autem ad Rufum, *Ep.* 2. *Cap.* 2. *Omnia quæ adverſus abſentes in omni negotio aut loco aguntur, aut judicantur, omnino evacuentur: quoniam abſentem nullus addicet, nec ulla lex damnat.* Felix verò ſimiliter, ad Epiſcopos Galliæ, Epiſt. 2. *Abſente adverſario non audiatur accuſator: nec ſententia, abſente alia parte, à Judice dicta, ullam obtineat firmitatem.* Zepherinus etiam, ad Epiſcopos Siciliæ, Epiſt. 1. *Abſens verò nemo judicetur: quia & divinæ & humanæ leges hoc prohibent.* Sed & conſequentur Gregorius Magnus Duci Siciliæ: *Legali proviſione decretum eſt, tam momenti quàm proprietatis cauſam ſub uno eodemq; Judice cognoſci. Nec nos contra inauditam partem poſſumus definire.* Demum Innocentius III. Patriarchæ Conſtantinopolitano: *Petitionem contra Eccleſias, quas tibi ſubjici poſtulabas, quæ priuſquam Conſtantinopolis Civitas caperetur, Conſtantinopolitano Patriarchæ*

chæ minime reſpondebant, duplici ratione non duximus admittendum. Juris namq; ratio poſtulat, ut in eorum præjudicium, quibus eædem Eccleſiæ ſunt ſubjectæ, nihil ordinemus de ipſis: cum nec citati ſint, nec convicti, nec per contumaciam ſe abſentent. In quibus locis, authoritatibuſq; profectò quoties obverſabuntur tibi eadem ſive lecta, ſive animadverſa, toties etiam (quantumcumq; invito animo & averſa aure) audies, à Pontificibus ijſdem maximis & Beatiſſimis Decretum iſtud veſtrum, Judicium iſtud Collegij veſtri Judicum *Valliſoletanorum*, in Fratris Petri Valeſij & Sequacium cauſa, publicatum, explodi, condemnari, exſibilariq; omnino velut futile, vanum, nihil.

Audies poſt hæc, vel ipſa quoq; noſtri Minorum Fratrum Ordinis Conſtituta Generalia *Barchinone* facta, *Segoviæ* recognita, & noviſſimè in Capitulo *Toletano* confirmata, *Urbanoq;* Papa VIII. approbata cum ſacratiſſimis illis anteriorum Pontificum Maximorum Canonibus, in ea parte, ultrò, quemadmodum certè neceſſe erat, concurrentia, ijſdemq; ſanctiſſimis Regulis Prælatorum noſtrorum omnium colla, perpetuo ſubmittentia: idq; etiam non obſtante *Bonifacij* VIII. privilegio, ſive gratia eidem noſtro Ordini facta, ſcilicet per ſpecialem eam Bullam quæ incipit *Ad*

augmentum, habeturq; præfatarum Conſtitutionum noſtrarum Generalium capitis ſexti paragrapho ſecundo inſerta. Declarant namq; ibidem, Num. 4. Patres conditores, quòd *licet* (iſtius, nimirum, virtute Conceſſionis Bonifacianæ) *non teneantur Prælati ad apices Juris, ut ſunt citationes, Dilationes, ſententiæ interloquutoriæ & definitivæ, & alia plura, quæ non ſunt de ſubſtantia juſtitiæ; non tamen poſſunt Prælati in Actibus Judicialibus ſecundum ſuum arbitrium procedere: cum certum ſit* (inquiunt ijdem Conditores) *lege divina & naturali eos teneri ad ordinem ſubſtantialem Juris.* Ac idcirco mox, velutiq; ſanè conſequentiam prorſus neceſſariam, ne uno quidem interpoſito verbo, ſubjungunt ita: *Ideo ſtatuimus, ut nullus Prælatus contra inauditam partem, vel contra eum qui non fuerit ſufficienter convictus, aut confeſſus*, &c. quæ ſuperius, ex eodem quoq; Statutorum Noſtrorum Generalium Libro, capite, paragrapho, quamquam alio numero, id eſt quinto, citata ſunt.

Audies porrò vel humani generis Conſtituta, Fora, Tribunalia, cum inter Chriſtianos Eccleſiaſtica, Civilia, Criminalia, tum inter Ethnicos cujuſmodicumq; barbara; hic tamen in eumdem omnino ſenſum, cum Beatiſſimis illis Pontificibus Maximis conſpirare. Ac proinde vel ipſum

ſum quoq; Naturæ lumen edocere iſtoc, *viz.* ad ordinem ſubſtantialem Juris, ſeu Juſtitiæ ipſius ſubſtantiam in Actibus Judicialibus obſervandam, requiri neceſſario, ſi non legalem aut formalem quandam abſentis Rei citationem; certè ad minus virtualem. Id eſt, vel monitionem, vel vocationem, vel notitiam, vel intimationem aliquam, ſive verbo, ſive ſcripto, ſive aliquo alio ſufficienti modo factam abſenti Reo; ad comparendum ſcilicet in Judicio, objectiſq; reſpondendum. Audies id ſaltem non modò Juſtitiæ ipſius naturam requirere; ſed Judicij quoq; deſcriptionem. Illa namq; ut omnes confitentur, *perpetua quædam conſtansq; voluntas eſt, jus ſuum cuiq; tribuendi.* Iſta vero paſſim admittitur, ut à *Paulo Lancelo-to** ex æquo breviſſimè atq; rectiſſimè tradita hiſce verbis: *Judicium eſt diſcuſſio Cauſæ, quæ ritè fit in foro coram Judice.* Poſſe verò Jus ſuum Reo tribui, poſſe cauſæ diſcuſſionem *ritè* fieri, abſente Reo, qui numquam, non dico legaliter, ſeu formaliter (formalitate, inquam, Juris) citatus, ſed nullo quopiam alio modo admonitus eſt; ſi dixeris: id certè, contra omnia Jura, divina pariter & humana, ac ipſum quoque rationis lumen dixeris. Idq; porro dixeris, quod (ſi, & ubi inquam

* *Inſtit. Juris Can. L. 3. T. 1.*

quam prævaleret) juſtitiam pariter & Judicium, fidemq, omnem & veritatem, adeoq, & pacem quoq, procul ab hominibus ablegaret: & maligniſſimos accuſatores inſtitueret, ac falſiſſimos teſtes conduceret, atq, corruptiſſimos quoſq, Judices ex orco ſtatim evocaret, qui in Juſtitiæ Tribunalibus per injuſtitiam ſummam dominarentur; qui innocentiam omnem & ſanctitatem ipſam opprimerent; qui confunderent orbem; Aſtrea rurſum ad Superos tranſlata. Enimverò ſi ad judicium in quovis Tribunali pronuntiandum, ſatis eſſet, vel per inimicos non tantùm infenſiſſimos pariter & notiſſimos, ſed & una falſiſſimos, mendaciſſimoſq,; ſeu, quod eodem redit, vel per eorumdem ſive literas ſive Legatos accuſari: (qui tamen ipſiſſimus *Valeſij*, nec *Valeſij* modo, ſed *Coppingeri*, & cæterorum omnium Remonſtrantium Sociorum, ad Tribunal iſtud veſtrum altius, in Definitorio Generali *Valliſoletano*, caſus erat:) et accuſatum ipſum, etſi in longinquis partibus, eſti ad centenas aliquot leucas abſentem, immo ultra terras, & Regna, & vaſtiſſimum mare commorantem, agentemq,, haud neceſſe foret, ulla ratione, ulla via, aut modo admoneri neq, Judicij inſtantis, neq, accuſationis factæ, aut litis cujuſpiam motæ, neq, tantilli ſanè quantillum eſſet intimatio aliqua vel præcepti, vel nutus, voluntatiſve aut ipſius Judicis,

aut

aut Superioris cujuſpiam alterius, ut compareret, edoceri: quotuſquiſq; oro, vir ſapiens aut bonus, quotus quiſq; aut Religionis Chriſtianæ amans, aut zelans patriæ libertatis, adeòq; vel temporalem eam, quæ fingitur, Pontificis Romani ſuper Mortalium omnium totius Mundi colla, non agnoſcens, in tuto eſſet? Immo vel alius hominum, præter nebulones, & furfures, & catervas conjuratorum? Poteſtatem verò quibuſlibet Judicibus aut Superioribus, à Deo, vel Chriſto, vel Eccleſia ejus Catholica datam, quæ ejuſmodi infinita mala ſecum neceſſario vehat; quæ non juſtitiam modò, ſed virtutem omnem, ſed politiam ipſam, & pacem & quietem prorſus tollat; quæq; adeò ſubvertat mundum: an tu revera putas? an agnoſcis tu, *Herinxi* Reverendiſſime? Procul dubio nullus ratione præditus, nemo ſui compos, ſaltem nemo Chriſtianus, pro te, contra Apoſtolum, affirmativè reſpondebit. Ac ita demum ex hoc capite vel *Ordinis* (quem vocant *ſubſtantialem*) Juris non ſervati in decernendo contra *Valeſium*; Decreti, ſeu Judicij Patrum *Valliſoletanorum*, ſcilicet egregij illius veſtri, quo etiamnum *judicatam eſſe Valeſii cauſam* dicis, non modò iniquitas ac tyrannis, ſed invaliditas, ſed vanitas, inanitas, nullitas in omni Jure, ſatis ſuperq; liquet.

XXIII.

Et certè, contra tantam cum Juris tum rationis evidentiam quid objici, quid vel prætendi quidem poſſit, haud video. Neq; enim ſubeſt contumacia ulla hic, adverſum Judices, aut ipſorum Tribunal, cujus inſimulari *Valeſius* poſſet: non prætextus, inquam, aut color, ne leviſſimus quidem alicujus ejuſcemodi culpæ aut peccati, velut aliquando in Tribunal iſtud *Valliſoletanum* à *Valeſio* commiſſi. Ne Judices ipſi, vel in Decreto ſuo iſto quidem, quod tamen (abſq; dubio) Judicij contra *Valeſium* ab ipſis pronuntiati genuina formula eſt, mentionem alicujus contumaciæ, uti contra ſemetipſos commiſſæ faciunt. Nec profecto, ſi vellent, ſive ibi ſive alibi, poſſent facere; niſi abſq; ullo prorſus fundamento, contra veritatem notam & apertam facerent, à conſcientia propria interim redarguti. Scientes videlicet, Primò quod ante Decretum ſeu Judicium illud latum, *Valeſium* ipſi numquam ſive ſcripto, ſive Nuncio, ſive alio quovis modo vel citaviſſent, vel evocaſſent, vel monuiſſent, neq; de comparendo neq; de alia re quapiam. Secundò, Quod neq; ſi voluiſſent, poſſent eum ante, ne ulla quidem imaginabili via, admonere: cum neq; ſediſſent, neq; ſedere

ijs licuiſſet in Capitulo vel Definitorio illo Generali ultra quatuordecim dies; tantillo autem temporis ſpacio in *Angliam* mittere, reſponſumq, inde à *Valeſio* recipere (quanto minus ipſum in perſona propria *Valliſoleti* expectare) nequaquam poſſent. Quare manifeſtum eſt nullam fuiſſe Decreto ei præviam contra ipſos *Valeſij* contumaciam: cum, ut Juriſtæ, ut ipſa etiam utriuſq, Juris Lexica * docent, adeò contumacia omnis, quæ revera talis in Jure eſt, contra citationem, ſive monitionem præviam, perſonamq, adeo, atq, authoritatem ejus Judicis qui reapſe vel citaverat vel admonuerat, debet eſſe: ut nulla cujuſpiam legis aut canonis tranſgreſſio, qua præcisè talis, ne mortaliſſima quidem, nomine contumaciæ veniat. Hoc enim ſolummodo, hoc ſemper, inobedientiæ illius cujuſdam ſpecialis & graviſſimæ peccatum, quod contra hominem Superiorem, authoritatemq, ejus, quam maximè eſt, appellatur. Ab hoc autem, ſive delicto, ſive crimine, fateor, adeò leges, canoneſq, abhorrere, ac id merito quidem: ut quemadmodum ejus Appellatio, *Qui per contumaciam abſens fuit, cum ad agendam cauſam vocatus eſſet, recipi non poſſit*: ita ſimiliter in abſentia ejus, & abſq, nova citatione, & *negotio*

* *Calvin. Verb. Contumacia.*

tio prius ſummariùs perſcrutato, condemnari debeat.

2. q. 6. cap. ei qui. §. Diſinitivam.

Verùm id ab eodem Judice qui vocaverat; non autem ab alio quovis, ad quem fortaſſe poſtea, ſive per Appellationem, ſive aliud Juris remedium, continget vel iſtius ipſius contumaciæ, quæ à priori illo Judice allegatur, à Reo autem negatur, devolvi. Omnis enim lex, canon, conſuetudo, æquitas, ratio docent, ad Judicem, Judiciumq; novum requiri neceſſariò monitionem quoq;, ſive volationem aliquam novam Rei; qua, ſi abſens eſt, à Judicij loco, ad comparendum pariter atq; reſpondendum, admoneatur.

Quamobrem fruſtra pro te, Collegiſq; tuis illis *Valliſoletanis*, in *Valeſij* cauſa, Judicibus, allegabitur hic à quoquam: eos decernendo contra *Valeſium*, in cauſa *contumaciæ* ejus decreviſſe, quæ in Judicio priore alio, quæ in *Belgico* Tribunali, quæ à Reverendiſſimo Commiſſario Patre *Jacobo de Riddere*, à quo appellatum fuit, præſumebatur. Judices novi erant: Judicium novum conſtituebant: quæſtio nova, ut prima ſanè & multiplex, agitari debebat de ipſa illa quæ prætendebatur, contumacia. Videlicet, an vera in ſe fuerit? an tantùm à Judice illo prætenſa? Et, ſi poſterius, utrum bene id? an potius,

tius, ſecundum Jura, male? quandoquidem *Valeſius* tam duabus epiſtolis privatis, quàm duobus etiam Inſtrumentis publicis, Appellationum ſcilicet binarum, Londino intra tempus ipſi pro comparitione præfixum, qua licuit optima via in Belgium tranſmiſſis, ac profecto dudum ante ſententiam Excommunicationis in ipſum declaratam, eidem Riddero citatori in manus proprias traditis, & multiplicia, & juſta & graviſſima quidem impedimenta, ceu excuſationes legitimas, rationeſq; porrò & cauſas tum veriſſimas tum ipſiſſimas, quorſum citationi non modò non pareret, ſed abſq; tam corporalis vitæ periculo maximo, quàm ſpiritualis vulnere ſæviſſimo, nec parere quidem poſſet, ſignificaverat. Atq; adeo ſi ritè procedendum ſibi in Valeſij cauſa novi iſti Judices cenſuiſſent, quærendum ipſis fuerat, de Judicio ultramarino, & loco non tuto, & Excommunicato Judice, ac termino breviori, & tempeſtate tunc temporis ad transfretandum periculoſiſſima, & viatici defectu, ac ære alieno; de legibus Angliæ Hiberniæq; generalibus, & inhibitione Regis ſpeciali; deq; nonnullis adhuc alijs quorum aliqua ſaltem ex æquo atq; priorum ulla momenti maximi erant. Ejuſmodi enim fuerunt ea quæ Valeſius pro ſe (partim in præfatis literis atq; Inſtrumentis,

ſtrumentis, partim quoq; in alio quodam Inſtrumento pariter publico (eo nimirum quod Recuſationem Judicis continebat) & contumaciæ quidem omnis à ſe amoliendæ gratia, adduxerat; atq; velut cauſas non comparendi in *Belgio* & canonicas & neceſſarias Judici citatori ſignificaverat. Quare, etiam multipliciter iiſdem Judicibus novis quærendum hic fuerat, idq; tum Juris, tum facti quæſtionibus, antequam rite poſſent in alterutram partem, vel de contumacia iſta ipſa ſola, *Valeſio* per *Ridderum* objecta, determinare. Ad quæſtionum verò earumdem novarum, ſaltem quæ in facto conſiſtebant, diſcuſſionem juridicam, ecquis dicet non fuiſſe neceſſariam aut ipſius *Valeſij*, aut Procuratoris ejus legitimi præſentiam? Nemo ſanè dicet. Et conſequenter, an quiſquam inficiari queat, monitionem aliquam novam ejuſdem Valeſij (tam procul abſentis diſtantiſq; a Judicij loco) ab iiſdem Judicibus novis, vel ipſorum ſaltem aliquo, debuiſſe præmitti? Vel an quiſquam hoc negare poſſit, qui non planè ignarus eſt, quid ſit, aut legitimè, aut canonicè, aut ullo modo ſive juſtè, ſive etiam (ut loquuntur) validè, ſecundum Jura procedere? Ne quiſquam poteſt.

Neq; ad rem erit, ſi dixeris, *Valeſium* ejuſmodi argumentis eludere poſſe fora, tribu-

tribunalia, Judicia quælibet ultramarina: & correctionem quoq; omnem, ſive in Ordine, ſive in Eccleſia evadere. Priorem enim objectionis hujus extraneæ partem, licet admittam; non tamen capio, quid incommodi ſequetur. Præſertim, ſi per *eludere* aliud non velis quàm quod *declinare* ſignificat: & per judicia quælibet ultramarina, ea tantum intelligas, quæ ſententijs *Valliſoletanæ* & *Belgicæ* in *Valeſium* pronuntiatis, æquiparari valeant: ac deniq; eædem, ſive per omnia ſimiles temporum, locorum, rerum, perſonarum, Judicij, Judicumq; circumſtantiæ ſint. Quid ſi reſtrictionibus neq; totidem, neq; tam ſeveris uterer? Ni fallor enim, ex prioris iſtiuſce partis vel ſimplici & plenaria quidem admiſſione (ſeponendo, ut dixi, malum ſenſum ejus *eludere*) aliud non ſequeretur incommodi, quàm quòd non tantùm canones qui dicuntur univerſales, tamquam utriq; Eccleſiæ communes, verumetiam Occidentales quoq;, ſeu Pontificij & Papales qui appellantur, quippe qui in Occidente ſolo & Eccleſia noſtra *Latina* ſola noti receptiq; ſunt, expreſsè mandant in Judicijs omnibus obſervandum. Nempe, Judicium pro *Valeſij* cauſis, quæcumq;, qualeſcumq;, & quotæcumq; ſint, ibi debere inſtitui, ubi cauſæ ipſæ originem habuerunt: ubi ſive facta, ſive deli-

ēta, quæ ipſi objiciuntur, ſi vera ſint, oportet fuiſſe commiſſa: ubi ex æquo tam accuſatores, & teſtes, quàm accuſatus ipſe Reus, nullo ſuo periculo, nullo incommodo, ſi velint, comparere poſſint: atq; demum, ubi competentes vel ſaltem minus incompetentes Judices tum haberi, delegariq;, tum libere, ſaltem abſq; Nuncij cujuſpiam Apoſtolici præſentis, præſidentiſq; metu, decernere valeant. Ad iſtiuſmodi Judicium canonicum, legitimum, rationabile, æquum, imò in circumſtantijs *Valeſij* neceſſarium, argumenta mea provocare: an Paternitas tua objiciet velut inconveniens?

Et hinc ad ſecundam, ſive alteram objectionis partem reſponſio facilis, neq; minus vera quàm plana eſt. Ab initio quidem, hoc eſt ad primam ipſam ex *Belgio* citationem, obtulit *Valeſius*, ac id ſane orans & obteſtans, perq; epiſtolam ſatis prolixam obtulit Reverendiſſimo citatori, compariturum ſe extemplo libentiſſimè pariter & humillimè hic in *Anglia* coram vel ejusmet vel Delegatorum ejus quorumcumq; Tribunali: modò placeret ſuæ Reverentiæ vel huc in perſona propria trajicere; vel Delegatos hic è filijs ſubditiſq; ſuis, quos liberet, ſive *Anglos*, ſive *Belgas* inſtituere, qui de accuſati, citatiq; cauſis cognoſcerent, atq; ſecundum Jura, quod

quod æquum & juſtum ſive ipſi ſive ipſis videretur, determinarent. Quodq; conſectarium erat *Valeſius* eidem Reverendiſſimo in iſtum finem, ijſdemq; literis obtulit, modò Paternitas ejus tam juſtæ poſtulationi annueret, ſe quoq; Appellationi ſuæ renunciaturum: ſpopondit q; ſanctiſſimè, pariturum ſe judicio ejuſcemodi; quodcumq; demum foret: ſubiturumq; adeò, ac omni cum ſubmiſſione quidem, pœnas quaſcumq; vel Eccleſiæ canonum, vel Ordinis Conſtitutionum; ſi quas tamen in illiuſmodi Judicio, contra ipſum, contingeret pronunciari. Idem poſtea, quod Delegatos attinebat, etiam Reverendiſſimo Patri *Ildephonſo Salizanes*, totius Ordinis per univerſum orbem tunc Miniſtro Generali ſapientiſſimo, ad quem jamdudum à *Riddero* appellaverat, qua humilitate decuit, obtulit: nec tantùm obtulit, ſed inſtantiſſimè oravit, atq; deprecatus eſt. Idem quoq; nuperrimè, quod ſive Delegatos, ſive Arbitros Juris ſpectabat, Tibi ipſi, Reverendiſſime Pater, cum ultimo Maio, quemadmodum hujus epiſtolæ initio dictum eſt, hic *Londini* eſſes, etiam atq; etiam per inſtantiſſimas literas & Secretarium tuum obtuli, oravique. Hoc ne verò eſt *Valeſium* argumentis ſuis vel dumtaxat velle, correctionem omnem, ſive in Ordine ſive in Eccleſia, evadere?

Eſtne ipſum vel collimare quidem eo ullatenus? Quare, non aliud quibuſcumq; ejuſmodi argumentis, aut hic aut alibi umquam Valeſio propoſitum, quàm ex multiplicitate, qualitateq; rerum & circumſtantiarum, de quibus neceſſariò quærendum erat in Judicio novo iſto Valliſoletano, ſi Patres inquam canonicè procederent, inferre primùm, ut profecto monitionem aliquam novam Rei, ab ijſdem Judicibus novis factam, oporteret, judicium iſtud ipſorum, Decretumq; novum, præceſſiſſe. Deinde verò concludere, ut, quoniam nulla ab ipſis, vel ipſorum aliquo, neq; nova neq; vetus monitio Valeſij, adeoq; neq; ulla prorſus contumacia ejus in ipſos, præceſſerat; imò nullus neq; prætextus, neq; vel minimus quidem color ejuſmodi inobedientiæ; id eſt, alicujus in eo vel contemptus tumidi, vel neglectus ſuperbi ipſorum Tribunalis, authoritatiſve: ut inquam, propterea nunc, quod hucuſq; proſequutus ſum, de Ordine ſubſtantiali Juris ab eiſdem Patribus non ſervato, tandem, ex omni parte, demonſtratum maneat. Primum, videlicet, iſtocce Caput, unde Judicij, Decretiq; illius veſtri non tantum iniquitas, verumetiam inanitas evidenter liquet.

Nec aliud reſtat quod adjiciam, vel animadvertam hic, quàm *Innocentij* III. judicium

cium de ſententia in præſumptum quemdam contumacem lata. Id eſt, in ejuſmodi citatum qui, quamvis ante, ſententiam latam, neq; comparuiſſet, neq; Judici ullo modo abſentiam excuſaviſſet; poſt tamen comparens, juſtam abſentiæ ſuæ cauſam allegavit. Habetur in Cap. *Cum Bertholdus. de ſent. & re judic.* Ubi *Innocentius*, Legati ſui Archiepiſcopi *Remenſis* judicium approbando, decernit *prædictam ſententiam nullius eſſe valoris, ſi juſtam abſentiæ cauſam citatus ille coram* Judicibus *oſtenderet.* Et hoc profectò fuit *Innocentij*, illius Juriſtæ conſultiſſimi, expertiſſimi, celeberrimi, æquè ac Pontificis Maximi, de cauſa iſta judicium: & hæc determinatio Juris de quacumque ſimili eſt. Quod cum ita ſit, quidnam obſecro, ſi interrogaretur, ſive de ipſius Ridderi in Valeſium ſententia *declaratoria*, ſive de veſtra Patrum Valliſoletanorum ſententiæ ejuſdem Ridderianæ *confirmatoria*, putare licet ſupremum illum Judicem dicturum fuiſſe? quidve Decretum illud ejus etiamnum determinaviſſe? Neutra ſententia fundata fuit in præſumptione aliqua probabili Juris; ſed utraq; profectò in turpiſſima fictione facti, in puro puto ac malitioſo quidem *contumaciæ* Valeſij commento. Ut jam viſum eſt, Valeſius & per literas privatas, & per Inſtrumenta publica, eidem Riddero jam-

pridem ante ſententiam latam in manus tradita, cum humillimè, tum etiam ſanctiſſimè, invocando ſcilicet Deum in allegatorum teſtem, ſignificaverat, ſe non per contumaciam, neq; per inobedientiam ullam nolle, ſed (præter alias cauſas juſtiſſimas, eaſdemq; multiplices) per impotentiam meram & manifeſtam, præſertim illam ex Inhibitorio Regis procedentem, non poſſe comparere. Itaque, rurſum, quodq; magis immediatiuſq; ad propoſitum præſens eſt, quæro, ecquid opinari licet vel *Innocentium* illum vel citatum iſtum ejus Canonem, de ejuſmodi abſentatione, ſeu non-comparitione Valeſij, per conſequentiam claram ſtatuere? An fortaſſe, quod contumacia, vel in præſumptione tantum Juris, dicenda ſit? Anve potius, quod, quemadmodum revera fuit, impotentia in Jure, & abſentatio quibuſcumq; legibus approbata, dici ac cenſeri debeat? Hoc equidem eſt, non illud, quod omnis recta ratio, quod etimologia vocis, quod leges, quod canones ipſi & Gloſſatores, quodq; conſuetudo & praxis ubiq; gentium Chriſtianarum docet. Atq; ita demum nihil, ne appendicula quidem iſta, illiuſce capitis *de Ordine ſubſtantiali Juris non ſervato*, nihil inquam veluti neceſſarium dictu hic, ne à protervo quidem, deſiderari poteſt.

Qua-

XXIV.

Quapropter nunc ad alterum venio caput, ſed pauciſſimis expediendum. Etſi interim nihil, è poſteriori iſto, minus, quàm è priori illo capite, eadem veritas, id eſt, eadem Judicij, Decretiq; illius Valliſoletanorum Patrum in Valeſij cauſis publicati injuſtitia, malitia, & pudendiſſima quidem nullitas, apparebit. Iſtud enim poſterius complexio eſt ex ambabus illis ſeu cauſarum, ſeu tranſgreſſionum larvis, ob quas tantummodo, ita pene ſupra omnem fidem nequiter, Decreto infamiſſimo, in Valeſij nomen fulminatum atq; debacchatum eſt. Profecto nihil aut in Jure aut in Theologia notius, quàm ſententiam omnem ſive excommunicationis, ſive alterius cenſuræ aut pœnæ Eccleſiaſticæ, ſaltem gravioris, non ſubſiſtere, ſed in utroq; foro viribus carere, nullamq; omnino eſſe, ubi cauſa ob quam fertur, neq; in ſe ſubſiſtit, neq; in judicio liquet. Atqui non modo in Epiſtola mea ad Reverendiſſimum *Franciſcum Mariæ Rhini* Apologetica, inq; ea ſimiliter ad *Haroldum* (quæ impreſſa proſtat) verumetiam in hac ipſa ad Paternitatem tuam, & abſq; ulla quidem contradictionis poſſibilitate cuiquam relicta, cum priorem cauſam, *viz.* contu-

maciæ, quæ mihi objicitur in eo quod peremptoriè citatus non comparuerim in Belgio, nempe coram Judice citatore, Reverendiſſimo Patre *Jacobo de Riddere* Commiſſario Generali Belgico; tum poſteriorem editionis Librorum, ſcilicet contra *Victorianam* Legem factæ; adeòq; & omnes & ſingulas *Valeſij* cauſas proprias quæ in Decreto veſtro exprimuntur (neque enim aliæ ejuſmodi quæpiam in eo præter iſtas duas) fuſiſſime, evidentiſſimè, clariſſimèq; demonſtravi, meriſſimas cauſarum tranſgreſſionumq; larvas, commenta, impoſturas eſſe. Demonſtravi, non tantùm licuiſſe *Valeſio*, ob varia ſcilicet impedimenta canonica, non parere citationibus iſdem Belgicis, nec in ipſo *Belgio* ullatenus comparere: verumetiam, & ob Leges Regni Angliæ generales, & ob Inhibitionem Regis ſpecialem ipſi, etiam diu ante citationes ejuſmodi quaſlibet emiſſas, factam, debuiſſe iſdem eum non parere, debuiſſe eum non illò ire; utpote nequaquam Regno Angliæ egredi, ad tranſmarina aliorum Principum vel Statuum loca trajiciendo. Ubi igitur contumaciæ hic in non comparendo niſi tantùm larva? *Contumax* enim *eſt qui cum*

Vid. ep. 1. ad Harold. pag. 12, 13, *& 1. maximè in Nota Marginali prolixa. Item* pag. 6. *Marg. not. lit. f. ac rurſus* pag. 9. *lit. l.*

cum parere debet, non paret. * Demonſtravi *Victorianam* contra Librorum Editores conſtitutionem, *Valeſio* non fuiſſe neq; eſſe Legem: quippe, quæ nulli Provinciarum Nationis aut Germano-Belgicæ, aut Britannicæ, aut Hibernicæ filio, Lex vel Conſtitutio eſt: adeòq; *Valeſium*, qui Nationis Belgicæ & Provinciæ Hibernicæ, non alterius cujuſquam, filius eſt, pœnis in ea lege contentis non ſubjacere. Belgicum verò de Librorum Editoribus Conſtitutum, cui *Valeſius* agnoſcit ſe ſubjectum, demonſtravi ſimiliter pœnam neq; excommunicationis, neq; Actuum legitimorum privationis, imò neq; præceptionem ullam quæ *Valeſium* ſub reatu culpæ obligaret, continere. Igitur *Valeſij* trangreſſio etiam illa altera, quæ Decreti maligniſſima pariter ac falſiſſima declaratione plectitur, ecquid aliud eſt quàm impoſtura & commentum putum?

* *ff. de re jud. & Gloſ. in cap. prout nobis, de dol. & contum.*

XXV.

Non fuit itaq; veſtrum illud *Valliſoletanum* Definitorij Generalis *Judicium Judicij ſimile*, Herinxi Reverendiſſime, *non fuit: in quo* (ut cum *Cicerone* † loquar) *non modus eſt adhibitus, non mos, con-*

† *Orat. pro Cluentio; ubi in Judicium Junij invehitur.*

consuetudoq; servata, non causa defensa. Vis illa fuit, & ruina quædam atq; tempestas, & quiduis potius quàm judicium, aut disceptatio aut quæstio. Et imperium fuit, potentia, tyrannis; eaq; mera quidem & apertissima; eaq; inquam non modò Nuncij illius vestri Præsidis Apostolici, sed Aulæ ejus imprimis, cujus ille Minister tantùm & os orat, Definitores autem illi servitia. Et aliorum quidem ex illisce ipsis, ex ejusmodi inquam æquissimis, competentissimis, & incorruptissimis Definitorij illius in prædicta causâ conjudicibus, ambitio nota, cæcusq; & furens insularum amor, atq; adeò cùm adulatio tum submissio vilis: reliquorum vel timor, vel stupor, ac turpissima sanè accessio fuit. Quidni enim? *Valesius* erat qui judicabatur: cujusq; causam adeò non oportebat discuti; ut quæcumq; ea fuerit, nihilominus damnationem, id est infamiam, ruinam, destructionem ejus oportuerit pro certo scopo Judicibus proponi, objiciq;, atque ab omnibus unà per fas & nefas peti. Homo nimirum ille nefarius,

Qui jamdudum, ac toties quidem, in *Hibernia*, ab anno 1646. ad excidium usque Gentis, id est ad annum 1652. posuerat in cœlum os suum; videlicet, non modo supremam Romani Pontificis in eodem Regno potestatem eam, quam temporalem

lem voeant, impugnando, aſpernandoq; : ſed ſpiritualem quoque Nuncij ejus Apoſtolici *Joannis Baptiſtæ* Rinuccini authoritatem illudendo, ac reddendo quidem per omnia fruſtraneam.

Qui primus omnium Eccleſiaſticorum, quas idem Legatus Pontificius in Supremum Hiberniæ Confederatorum Senatum, quaſq; in populum omnem Catholicum, eidem Senatui (in cauſa ceſſationis armorum cum Barone *Inchiquinnio*, tunc heteredoxo initæ) obſequentem, cenſuras tum excommunicationis, tum Interdicti fulminavit, concionibus ſuis ad populum, non dico perſtrinxerat, aut traduxerat, nec dico elevarat, infirmaratve, ſed everterat, extinxerat, exaniverat, annihilaverat: ſolus, qui ſcripto editoq; Libro, earumdem cenſurarum & temeritatem infeliciſſimam, & injuſtitiam maximam, & notiſſimam in omni Jure nullitatem demonſtraverat, atq; non Hiberniæ tantùm, ſed Urbi pariter & Orbi patefecerat. Qui in eadem cauſa tertiam, nec tertiam modò, ſed profectò tres integras ſtellarum iſtiuſce Firmamenti Hibernici partes, Epiſcoporum ſcilicet, Clericq; tam Regularis quam Secularis cæteri, poſt ſe pertraxerat: quique ſua & ſociorum opera, trium Regni Provinciarum civitates, oppida, pagos, Comitatus, Provincias, Magnates, Conſiliarios,

ſiliarios, Comitia Regni, Legiones, exercitus, Duces, populum univerſum, contra Sedis Apoſtolicæ Legatum eiq, adhærentem (cum ſolis Ultonienſium Legionibus) *Eugenium O Nellum* Ducem, excitaverat, exaſperaverat, incenderat, armaverat; adeò ut ad horrentia Martis, & fuſionem ſanguinis, & omnia civilis belli mala inter Confæderatos ipſos Catholicos abſq, mora ventum ſit.

Qui propterea, cum exercitus iſtius *Eugeniani*, paulo pòſt (quod neceſſe erat) fugati, fracti, diſſipati, ac ad nihilum pene redacti; tum (quod conſectarium quoque fuit) expulſi mox authoritate publica, ejectiq, è toto regno ad tranſmarinas partes, Apoſtolici illius Nuncij, haud certè minima inter ſuaſorias cauſa, niſi vel præcipua, fuerat. Ita, ſcilicet quidem, ingenio, doctrina, ſtudio, induſtria ſua abuſus, non ob alium finem, uti ferebatur, quàm profectò primùm, ex illa olim Sanctorum Inſula, reverentiam omnem Apoſtolicæ Sedi, Miniſtriſq, ejus debitam auferendi; deinde verò & Gubernij, capitiſq, palam hæretici, rurſum in ea Catholica Natione ſtabiliendi. Qui inter hæc procuraverat & Supremi Confederatorum Hiberniæ Concilij, & Generalium quoq, totius Regni Comitiorum literas ad Reverendiſſimum *P. Petrum Marchantium* Ordinis S. Fran-

ciſci

ciſci tunc Commiſſarium Generalem Germano-Belgicum, eaſdemq, profecto acerbiſſimas, ut pote primùm, querentes graviſſimè de multis Inſtituti ejus per Hiberniam Fratribus, ac præcipue quidem de Miniſtro Provinciali, & Definitorio, veluti ſeditionis, turbarum, ac Rebellionis omnis in toto Regno facibus: deinde verò, & punitionem Eccleſiaſticam eorumdem hominum flagitioſorum, præſertim ab Officijs quibuſlibet depoſitionem; niſi ſi fortaſſis prædictum ſuum Ordinem in *Hibernia* penitus extinctum videre mallet, ab eodem Reverendiſſimo poſtulantes, atq, jure ſuo exigentes.

Qui, intentum ſuum in hac parte aſſequutus; appulſo quam-primùm ex *Brabantia*, ad viſitationem, reformationemq, Ordinis obeundam, Reverendo admodum Patre *Raymundo Caron*, politiam ejuſdem ſui Ordinis Franciſcani Hibernicæ Provinciæ Fratrum, quæ ab anno 1602. privilegio quodam Capituli Generalis Romani, eodem anno, ac (niſi me memoria fallit) ſub Reverendiſſimo Patre *Joanne de Hierro* celebrati nixa, eouſq, vigens, florens, illæſa perduravit, vehementiſſimè concuſſerat: certè tantùm non fundamenta ipſa ejus, etiam omnia cætera, ſubvertiſſe, eruiſſe, ſuſtuliſſe viſus. Qui tam enormia domi, ob anno

1646,

1646, ad 1650. perpetraverat, ut in Capitulo Generali id temporis (id est 1650.) *Romæ* celebrato præter alios, graviſſimi tres iſti contra ipſum articuli, publicè in Definitorio, præſente etiam Eminentiſſimo Cardinale Capituli ejuſdem Præſide *Franciſco Barberino*, exhibiti ſint. 1. Quòd ſermonibus ad Hiberniæ populum, divinam Pontificis Romani authoritatem oppugnaviſſet, labefactaſſet, &, quantum pro virili parte valuit, ſuſtuliſſet: 2. Quòd Librum quemdam hæreſibus refertum ſcripſiſſet, ac evulgaſſet. 3. Quodq; uno verbo, in Hiberniæ Regni, Fideiq; Catholicæ in eodem Regno, everſione, primas habuiſſet.

Qui, circiter annum 1652. (id eſt, poſt ſubactam ex omni parte, *Cromvelli* armis Hibernorum Gentem) facinorum adeo nuper in *Hibernia* patratorum conſcientia nequaquam ipſum deterrente, in Belgio primùm, deinde etiam in *Hiſpania*, & *Madriti*, & coram ipſo quidem Reverendiſſimo *Petro Mannero*, totius Ordinis per univerſum Orbem tunc Miniſtro Generali comparens, non modo auſus fuerat (idq; etiam in conſiſtorio graviſſimorum Hiſpaniæ Patrum frequentiſſimo) declarare ſe, nec citatum, nec vocatum, ſed ultroneum planè, perq; multa licet marium terrarumq; pericula, ad præſentiam illam veniſſe,

niſſe, eoq; fine atq; animo veniſſe, ut quæcumq; in fatalibus illis Hiberniæ controverſijs cum Apoſtolico Nuncio vel prædicaviſſet, vel ſcripſiſſet, feciſſetve, conaretur pro virili ſua parte juſtificare; atq; omnia quidem ſecundum Eccleſiæ Catholicæ Regulas, rite prædicata, ſcripta, facta eſſe oſtendere; alioqui, hoc eſt, ſi deficeret in cauſa ſua, pœnas Eccleſiæ Canonum, Ordiniſq; Statutorum, libentiſſimè ſubiturus: qui, non modo, inquam, in ea præſentia tam ſuperbam veſanamq; animi ſui confidentiam declarare auſus fuerat: verumetiam, neq; favoribus aut promiſſis, neq; terroribus aut minis quibuſlibet, ne arctiſſima quidem per novem ſeptimanas recluſione, à pervicacia mentis obſtinatiſſima potuerit, vel eouſq; tantùm dimoveri, ut ſive una lineola in ſcriptis, ſive uno verbulo viva voce prolato, fateretur ſe in ullis Hiberniæ controverſijs, vel minimum quidem aliquando peccaviſſe; utve, quod minus adhuc eſt, à cenſuris, quibus dicebatur irretitus, vel abſolutionem quidem eam conditionalem, quæ ad cautelam datur, vellet ullo modo aut petere, aut admittere.

Qui ſolus omnium Hibernorum, Nuncio repugnantium, contra tum cenſuras ipſas ejus antedictas, tum abſolutionem quoq; ab ijſdem cenſuris quamlibet, ſive

in

in forma Eccleſiæ conſueta per Delegatos, (illos minirum in ea, quæ circumferebatur, *Alexandri* VII. Bulla deſignatos) impertiendam; ſive per quoſcumque alios, in quavis forma, & ſine ulla conditione, etiam ultro offerendam, ab initio ad finem uſq; immobilis, obſtinatiſſimè perſeveraverat. Qui ejuſmodi hominem, aio, in anteriori illa, quæ tam infelix, tam fatalis univerſæ Genti erat, ſeſe, vel poſt excidium Gentis, deſtructo Regno, Regeq; etiam ipſo adhuc exulante, palam exhibuerat.

Qui, in altera quoq;, ſive poſteriori inquam, ea controverſia, quæ poſt reſtitutum paterno Solio Regem, ac Valeſium ipſum idcirco Hibernici utriuſq; Cleri Procuratorem, & patentibus quidem eorumdem literis inſtitutum; anno 1662. circa Remonſtrantiam Fidelitatis, eodem ſcilicet anno Majeſtati Regiæ præſentatam, infauſtiſſimè ſuſcitata eſt: haud minus, vel ad hodiernum diem continuo, per tot annos & luſtra, inflexibilis, præfractus, pervicax, moleſtus apparuerit. Immò ſanè, qui in iſtacce poſteriori cauſa, multò adhuc magis inobſequentem & intractabilem ſe oſtenderit: idq; non modò inquam, Superioribus Inſtituti ſui quibuſcumq; ſingularibus, etiam Generaliſſimis: nec modò collectis in unum, anno 1663. in Conventu

ventu *Antuerpienſi*, totius Nationis Belgi cæ ejuſdem Inſtituti, præcipuis Patribus: ſed & *Romanæ* ipſi Curiæ imprimis. Ut interim ſileatur, quàm planè deſpectui, quàm omninò flocci, quàm prorſus nihili, cenſuram, ſive Judicium Facultatis Theologicæ *Lovanienſis*, de Remonſtratione illa Hibernica latum, vel in præſentia quidem habeat: quemadmodum certè nimis evidenter conſtat ex ijs quæ tam prolixè contra quatuor præcipua Judicij ejuſdem Lovanienſis Fundamenta ſcripſit.

Qui nequicquam obſtantibus cùm Illuſtriſſimi *Hieronimi de Vecchijs*, ad Burgundiones Belgaſq; Internuncij (eo tempore) Apoſtolici, tum Eminentiſſimi *de Propaganda* Præſidis *Franciſci* Cardinalis *Barberini*, diverſis, acerrimiſq; literis: & alijs quidem ad varios Hiberniæ Eccleſiaſticos; alijs autem *ad Præſtantes Hiberniæ viros*, datis: utriſq; verò tamquam de mandato, menteq; ipſius etiam Sanctiſſimi contra præfatam fidelitatis profeſſionem, ſcriptis: eamdem tamen vindicare, defendere, ac porrò, etiam in *Hibernia* ipſa domi reverſus *Londini*, ſubſcriptionibus novis promovere non deſtiterit: immò diligentius, inſtantius, vehementiuſq; ac protervius multò in iſtam rem, quàm ante, incubuerit.

Qui, ad Reverendiſſimi Commiſſarij Generalis Germano-Belgici, Patris Jacobi

de Riddere citatorias primas, anno 1663. Brulæ in Germania datas, & Londinum, hoc eſt, ad Caronum Londini remanentem, miſſas: etſi per excuſationes alias multiplices, præcipuè tamen per declinatorium fori, viſus eſt reſpondiſſe: ac ita quidem reſpondiſſe: ut profecto, haud ambiguè inſinuaverit, vel Pontificem ipſum Maximum & Beatiſſimum, exortæ ejus circa Formulam Queſtionis incompetentem Judicem eſſe.

Qui, promovendæ Remonſtrationis gratia, ad undecimum Junij, anno 1666. quantumcumq; per literas quoque tam præfati Cardinalis Eminentiſſimi, ad propoſitum novas, quàm Illuſtriſſimi Jacobi Roſpigliosi, Belgarum tunc, poſt De Vecchium illum prædeceſſorem, Internuncij Apoſtolici, alias, etiam quattuor vel quinque diverſas (Romana Curia, ſic nimirum, omni conatu, omni induſtria, omnibus omninò quibus eam decebat argumentis, repugnante, vetante, prohibente) Congregationem nihilominus utriuſq; Hibernici Cleri Nationalem, præcedenti anno, ſua ipſius opera, indictam, Dublinij, Emporio Gentis celeberrimo, Proregiſq; Sede, ad quattuordecim dies tenuerit: evocatis, etiam ex ultramarinis partibus, quotquot exulabant Epiſcopis: appulſo autem Finniborenſi, & Ardmachano: quamquam Fernenſi

nensi ex Gallicia evocato, longisq; itineribus ad prædictam Congregationem properanti, vel necesse fuerit, vel potius ipsimet libuerit, in media via, Parisijs subsistere.

Qui, eodem anno, eodemq; loco, sed altero tamen die atq; mense, utpote 25. sequentis Julij, Capitulum (quod vocant) Provinciale Instituti sui Franciscani, idemque numerosissimum, præsidente Marco Bruno, ex Hispania misso, teneri effecerit: idq; similiter in eundem promovendæ Remonstrationis, doctrinæq; & subscriptionis ejus finem: utpote, qui per biennium proxime lapsum, Visitatores binos, eosdemq; per Commissarium Generalem Belgicum, designatos etiam futuri Capituli Præsides, *Dalaghamum* & *Magium*, à munere suo obeundo, quòd Antiremonstrantes essent, authoritate Regia nixus, impedierit.

Qui, in istocce Capitulo Provinciali, quod sub prædicto Marco Bruno tentum fuit, ubi jam constabat ex scrutinio, *Bernardinum Barrium* in Ministrum Provincialem, *Franciscum Geraldinum* in Definitorum unum, & *Jacobum Darceum* in Custodem, pluralitate vocum ritè electos esse: eo tamen solo nomine, quòd Remonstrantiæ ut subscriberent, neutiquam adduci possent, quodq; propterea velut su-

ſpectæ in Regem fidei audirent; publice & extemplo quidem in ipſa Capitulari domo, contra electionem de ipſis factam proteſtatus, confirmationi eorum interceſſerit: curato inſuper quamprimùm, ut, è Remonſtrantium numero, *Franciſcus Copingerus*, à Prædicto Capituli Præſide coram Univerſis Vocalibus, in Commiſſarium Provincialem, per patentes literas inſtitueretur; Provinciam videlicet adminiſtraturus, dum exorta ſive de electione, ſive de confirmatione lis, coram Reverendiſſimo *Ildephonſo Salizanes* Miniſtro totius Ordinis Generali, aut in *Hiſpania*, aut alibi penderet: curatoq; adhuc, non tantùm ut, abſq; Tabula Capitulari facta, Capitulum diſſolveretur; neq; porrò tantùm ut Superiorum Localium omnium totius Provinciæ Conventuum, qui tum ſexaginta erant, inſtitutio, ſub nomine ſeu titulo Præſidum, ad præfatum Commiſſarium Provincialem *Franciſcum Coppingerum* devolveretur: verumetiam, ut per eumdem, in Reſidentijs ſeù Conventibus quibuſq; præcipuis ſoli Remonſtrantes præficerentur.

Qui, ejuſmodi argumentis & obſtinato animi propoſito, biennium totum per literas ſuas in *Hiſpaniam* ad Reverendiſſimum *Salizanes* Miniſtrum Ordinis Generalem, videlicet in cauſa prædictæ electionis

onis Capitularis *Dublinienſis*, cui ipſe interceſſerat, miſſas, ita egerit, ut per ejuſdem Reverendiſſimi patentes caſſata prius electione *Barrij*, idem *Franciſcus Coppingerus*, Hiberniæ Provinciæ *Vicarius* Provincialis (eo enim jam *Vicarij* novo titulo vocabatur) inſtitutus, ac porrò quidem pro tali in ipſa Provincia declaratus, receptuſq; ſit, quamquam hæc receptio haud contigerit ante annum 1669. quo nimirum patentes iſtæ Reverendiſſimi literæ in Provincia mallatæ ſunt.

XXVI.

Qui præcedenti anno, 1668. *Jacobum Taaffium*, ſcilicet famoſiſſimum illum ſeu verum, ſeu fictum totius Hiberniæ Regni Vicarium Apoſtolicum (certè à Cardinali *Franciſco Barberino*, conſcijs & conſpirantibus tam *Roberto* in Aula Gallicana tunc Apoſtolico Nuncio, quàm *Jacobo Roſpiglioſio* tunc ſimiliter Belgij Internuncio, in Hiberniam vel circumveniendo vel terrefaciendo, quacumq; arte, promiſſis, dolis, minis, *Valeſio*, miſſum, appulſumq;) ad partes ſuas pertraxerit, infatuaverit, inverteritq; penitus ei cerebrum: nimirum, qua procuratorij muneris authoritate valuit, perſuaſo primùm totius Regni cum Regulari tum Seculari Clero, & Superio-

ribus, etiam Epiſcopis ipſis Reverendiſſimis, ex æquo atq; Subditis, eumdem Jacobum, velut authoritate Pontificia ſuper omnes ritè conſtitutum, agnoſcere & recipere. Dehinc ſtatim & Jacobo ipſi, ut Viſitationem Apoſtolicam Univerſæ Gentis, hoc eſt cum Ordinum omnium Religioſorum, tum Diæceſum Epiſcopalium, juxta ſuæ Commiſſionis tenorem, per Delegatos Subdelegatoſq; varios, at è Remonſtrantium numero ad unum pene aſſumptos, inſtituere, exercere, ac intra tertium menſem abſolvere. Denique, & eidem ſimiliter perſuaſo, de Synodo Nationali cogitare; verum non ante indicenda, quàm regreſſis Viſitatoribus, redditaq; à ſingulis Provinciæ ſuæ ratione, ſtatus & conditio Gentis univerſæ, Cleriq; Populiq;, ſatis intelligi poſſet.

Qui omnia iſta, quæ prædicto eidem Patri *Taaffio* Remonſtrantiæ ſolius promovendæ gratia perſuaſit; per homines ſibi addictiſſimos & fidiſſimos adamuſſim exequenda curaverit: excepto tantùm, quod indictionem Synodi ſpectabat; præveniente, ſcilicet, omnem ejus in ea parte ſollicitudinem, Romanæ Curiæ diligentia in expediendis, ad rumorem primum prævaricationis *Taaffij*, literis, quæ non modò ipſum ex Hibernia revocarunt; ſed perſonam illam Vicarij, quam ſex menſes jam in

Hibernæ

Hiberniæ Regno induiſſet, ipſi detraxerunt; idq; planiſſima inficiatione cujuſpiam poteſtatis, authoritatis vel juriſdictionis in alios ei, ſive per Bullam, ſive alio quovis modo unquam, à Sede Apoſtolica factæ.

Qui, poſthæc confeſtim priores ſuas literas, arrogantiæ plenas, ad Illuſtriſſimum Dominum *Airoldum*, id temporis in *Belgica* Internunciatura præfati Domini *Roſpigliosi* Succeſſorem, dederit: ſignificantes nimirum, ut, occaſione ex prædicti Patris *Taaffij* rebus, tam ijs quæ veræ, quàm alijs quæ confictæ eſſent, accepta, propoſuiſſet virum quemdam egregiè probum, doctum, gnarumq; omnium quæ in Hibernia ſciri poſſent (& quantumvis Remonſtrantem, Sedis tamen Apoſtolicæ obſervantiſſimum) veluti Procuratorem ſuum, plenè inſtructum, *Bruxellas* ad Dominationem Illuſtriſſimam deſtinare; modò non ingratum id Illuſtriſſimæ ſuæ Dominationi fore, ex reſponſo ejus intelligeret: utq; miſſionem iſtam eo fine deſignaviſſet, ut, de *Valeſio* pariter & ſoèijs ejus omnibus, quod attineret ipſos, etiam in quacumq; vel recentiori, vel antiquiori, hoc eſt, ſive illius Taaffij, ſive ipſius Remonſtrantiæ, ſive ea, quæ longè prior cæteris erat, cenſurarum Rinuccini cauſa, per ejuſmodi virum Procuratorem Dominationi ſuæ Illuſtriſſimæ, perq; Dominationem ſuam Pontifici Maximo & Beatiſſimo, pleniſ-

ſimè, ut ſperabat, ſatisfaceret: nempe oſtendendo, nihil Valeſium, nihil cæteros ipſi adhærentes, in ulla communium earumdem controverſiarum, nihil inquam, neq; in Scripturam Sacram, neq; in Traditionem Chriſtianam, neq; in leges quaſlibet, ſeu divinas, ſeu humanas, nec denique in rationem rectam peccaviſſe; quod eaſdem cauſas (aio) vel earumdem ullam attineret.

Qui poſt ſemeſtrim alium, tametſi mutatis Aulæ Anglicanæ & Miniſtris & rebus; dejecto ab Hiberniæ gubernatione Ormonio; quodq; conſectarium erat, Valeſio quoq; ex Hibernia in Angliam revocato; ad præfati ejuſdem Illuſtriſſimi *Airoldi* reſponſum, quod jampridem *Dublinij*, ante receſſum ſuum receperat, novis literis ex Anglia replicando, ijſdem (præter alia quædam audaciſſima) inſeruerit, quæ obedientiam cœcam derideret, exſibilaret, deſtruerent, ac funditus quidem ex Ordine pariter & Eccleſia tollerent.

Qui, jamdudum ante, id eſt anno 1665. in epiſtola quadam ſua prolixiori, Londino Bruxellas, ad Illuſtriſſimum D. *de Vecchijs* miſſa, cum eodem pariter & Eminentiſſimo Cardinale *Franciſco Barberino*, ob amborum literas contra Hibernicæ illius Remonſtrantiæ cum ſubſcriptionem, tum doctrinam ſcriptas; intolerabili libertate uſus ſit: non ſolum exprobrando ipſis ea

quæ

quæ ita ſcripſerant, verum in ipſos, in Romanam Aulam, inq; adeò Pontificem ipſum Maximum & Sanctiſſimum refundendo omnia quæ deinceps Hiberni mala paterentur; immò & perſecutiones & afflictiones univerſas omnium quorumcumq; Britannici Imperij Catholicorum, ſi quæ rurſus in cauſa fidei aut Religionis ſive in Hibernia, ſive in Anglia, ſive in alia iſtius Imperij parte orirentur: aut ſi quæ rurſum ab hominibus injuſtis, Deo tamen juſto permittente (vel in pœnam forſitan detrectati illius ipſius ſacramenti, quod maximè à Catholicis Principi ſuo legitimo præſtandum eſſe, cum lex tum ratio, & Evangelium Chriſti, & omnis Theologia recta docet) in ipſos, in Catholicum nomen ipſum, velut coronæ Regiæ infidum, edicerentur, atq; inundarent.

Qui, propoſitiones oblationeſq; illas, quas præfatus idem Vir Illuſtriſſimus *Hieronimus de Vecchijs* Belgij Internuntius, anno precedente 1664. dum in Belgium ex Gallia per Angliam incognitus rediret, in Domo *Sommorſetana* Reginæ Palatio Londini, preſentibus etiam R. A. D. *Patricio Gimneo* nunc *Tullenſi* in *Burgundia* Abbate, & *Raimundo Carono* (jam aliquot annos defancto) ipſi inter colloquendum expoſtulandumq; fecit, tantùm non contempſerit. Alteram, Quod Sanctiſſimus Dominus, per Bullam ſpecialem, ſub excommunicatione

municatioñe latæ ſententiæ & interminatione Gehennæ, &c. Univerſo Hiberniæ Clero præciperet, fideles poſtea Regi fore. Alteram verò (& ſi inquam prior iſta non arrideret) Quod Sanctiſſimus idem & Beatiſſimus Pontifex Maximus eos, atq; eos tantum Epiſcopos & Archiepiſcopos Hiberniæ daret, quos Rex ipſe, & Ormonius Regni iſtius Pro-rex, tamquam regimini ſuo fideliſſimos, nominarent; cum poteſtate inſuper Apoſtolica eiſdem Prælatis per Bullam quoq; Specialem, facta, cæteros quoſcumq; tam ſeculares quàm Regulares Eccleſiaſticos, Regiæ Majeſtati vel revera infidos, vel utcumq; ſuſpectos, ex eodem Regno ad ultramarinas aliorum Principum Ditiones ejiciendi; modò tamen Remonſtrantiæ illius, aut alterius ſimilis ſacramenti, neq; ſubſcriptio neq; præſtatio à quoquam deinceps requireretur. Qui oblationes iſtas, inquam, & in ſe æquiſſimas, & ad præfenſum Remonſtrantiæ finem acquirendum aptiſſimas, ſi non deſpexerit certè conditionem anſiexam rejecerit, impugnaverit, arguerit̃q; vel in præſentia quidem ibi, velut iniquam: electo ſic diſcordiam Gentis, gentiliumq;, civiumq; ſuorum domi continuare, quàm in ea cauſa Romanæ Curiæ aut Miniſtris Apoſtolicis morem gerere.

Qui eorum quæ hactenus rememorata ſunt intuitu (quibus etiam, ut vulgo dicitur,

tur, & Sacerdotum quinq; vel ſex Regularium incarcerationes, & Epiſcoporum quorundam exilia, & Antiremonſtantium omnium timores, anguſtiæ, vexati vacillanteſq; animi accedere poſſunt in cumulum:) quique adeò incredibili pene, per novennium totum, inobedientia, contentione, audacia, vehementia, libertateq; cum in dicendo tum in ſcribendo, ſive ad promovendam ſive ad defendendam illius damnatæ Formulæ cauſam, ita demum Romanæ Curiæ patientiam læſerit, ita Miniſtros Apoſtolicos exacerbaverit, Airoldumq; imprimis: ut, nacti demum opportunum illud tempus mutatarum in Anglia rerum hominumq; (quod tamdiu ſupprimendæ iſti ejus Remonſtrantium factioni, ne ulterius malum progrederetur, expectabant) neceſſarium judicaverint, Primùm, & *Coppingerum*, indicta licet cauſa (imò nulla prorſus præter iſtam Remonſtrationis prævium) per patentes Eminentiſſimi *Franciſci Barberini* literas, Provincialatu Ordinis in Hibernia deponere; iiſdemq; literis *Gennorum* quemdam in Vicarium Provincialem & quinque alios in Diffinitorium novum inſtituere, ex Antiremonſtrantium Fratrum numero zeloſiſſimos. Deinde *Veleſium*, Londini tunc exiſtentem, authoritate Commiſſarij Genelis Belgici, *Jacobi de Riddere*, verùm ad

Airoldi

Airoldi Internuncij mandatum, citari, excommunicari, denunciariq. Demum verò & Archiepiſcopos quatuor, Epiſcoposq, novem aut circiter, præter nonnullos quoque tum Diæceſum aliarum vacantium Vicarios (quos dicunt) Apoſtolicos, tum Ordinum quorumdam Regularium Provinciales Præpoſitos una creari: Univerſos utiq, Antiremonſtrantes fidos: atq, adeò homines, *Valeſij*, *Coppingeri*, omniſque eorum partis ſuppreſſionem, infamiam, ruinam, exterminationem curaturos.

Qui, *Coppingerum* & *Gennorum* quod ſpectabat, nequicquam æſtimata ejuſmodi, ſive illius depoſitione, ſive hujus inſtitutione, per Cardinalem Protectorem Ordinis facta; literis ſuis Londino ad eumdem *Coppingerum* adhærenteſq, datis, perrexerit novas in *Hibernia* turbas ciere: effeceritq, ut prætextu Appellationis, quàm à Cardinali ad Pontificem Maximum Romanamq, Sedem *Coppingerus* equidem ſemel atq, iterum, ubi dictas patentes viderat, receperatq, interpoſuit, ille Provincialatus officium, muniaq, omnia, ut ante, erga omnes qui provocationi ad Pontificem interpoſitæ deferebant, exerceret: ac inde quidem diſtractiones ſcandalaq, multa domi in Provincia emergerent; foris autem vel *Airoldum* ipſum Internuncium, *Bruxellis*, quærelæ ac difficultates iſtæ ad

aliquot

aliquot menſes mirum in modum divexarent.

Qui, quod ſeipſum, in illa nempe Romanorum Miniſtrorum ira vindictaq; attinebat, ad *Ridderi* citationes, ſententiamq; declaratoriam quæ ſequuta eſt, ea reſponſa dederit, eaq; declinando Judici foroq; ejus argumenta, cum literis ſuis privatis, tum Inſtrumentis publicis, altero Recuſationis, Appellationiſq; altero inſeruerit, quæ ad politiam, poteſtatemq; omnem, non modo Inſtituti ſui & cujuſlibet quoq; Religioſi, ſed Eccleſiæ etiam Catholicæ, Pontificiſq; adeo ipſius Maximi & Beatiſſimi, in externo foro, haud dico eneruamdam, ſed evertendam, auferendam, annihilandam penitus, apta, nata, accommodata, imprimis eſſent.

Poſtremò, qui tamquam cæterorum Coriphæus, primum locum meruerit in eo inſigni elogio noſtri Ordinis Fratrum Hibernorum, utiq; Remonſtrantium, quod in ſempiternam rei memoriam, Decreti illius veſtri Generalis *Valliſoletani* præfatio ſuppeditat nobis in hæc ipſiſſima verba: *Non ſine maximo dolore, & proborum omnium lamentis intellexit Capitulum Generale ſcandala orta in Regno Hiberniæ opera Fratrum Petri Valeſij, & Franciſci Coppingeri, & paucorum ſequacium: qui Dei timore poſtpoſito, & proprij Inſtituti immemores, ſpretis ſuorum Superi-*

Superiorum ſalutaribus monitis, & contempta ſancta, quam ſolemni voto ſpoponderant obedientia, citra omne fas, ſacra profanis, & monaſtica civilibus, dicto & ſtricto confundentes, tam dedecoroſis maculis ſuam Nationem, Provinciam, & Religionem babefactarunt, ut ſanctè viventium Fratrum lacrimis, vix abſtergi valeant.

Verum enimverò, ſivè omnia & ſingula de *Valeſio* hucuſq; commemorata, cum circumſtantijs, exaggerationibuſq; ſuis iſtis univerſis, vera ſint, nec ne: ob ea tamen eorumdem præcipua, quorum alia manifeſtè ſub manu ſigilloq; ejus apparent; alia verò ex impreſſis ſub ejus nomine Libris evidenter conſtant: ob ea, eorumdem quæ ipſe adeò non negat, ut ipſa veluti ſua, & juſta quidem, ſancta, religioſa, chriſtina, paratum ſe in judicio quovis legitimo ſeu canonico defendere, præ-ſe ferat: tu Reverendiſſime Pater, Voſq; cæteri in cauſa mea Aſſeſſores *Valliſoletani*, (fas enim mihi ſit ad Collegium Veſtrum ſemel hic ſermonem meum convertere:) Vos inquam ſanctiſſimi & juſtiſſimi Judices, apud vos in anteceſſum ſtatuiſtis, cum homine iſto nefario, ſceleſto, impio, refractario, non lege, non canone, non ſtatuto, non ſcriptura divina, non humana conſuetudine, non juſtitia, non æquitate, non ratione procedendum; ſed authoritate,

thoritate, potentia, vi, quacumq; judicij ſpecie ipſum, per fas & nefas, opprimendum; ceu deſpoticæ nimirum in Eccleſia gubernationis peſtem. Quodq; in anteceſſum ita apud vos conſtituiſtis, ſequuto mox judicio illo veſtro decretorio perfeciſtis, declaraſtis, evulgaviſtis, typorumque opera diſperſiſtis per Europam. O Judices interim verè Junianos! O judicium vel Ethnicis quidem abominandum! O Diffinitores Ordinis Seraphici! O Petri Succeſſoris Nuntium illum qui dominabatur vobis.

XXVII.

At quoniam, ut opinor, quemadmodum in ſuperioribus, primùm de Judicij iſtius *mòdo*, id eſt, *ordine Juris omni* in eodem prætermiſſo; dehinc de ambabus confictiſque illis cauſarum larvis: ita demum de veriſſima genuinaq; & unica quidem ejus cauſa, etſi in multiplices ramos diſperſa; adeoq; & de Judicio ipſo toto, ſatis animadverſum eſt: videre nunc porrò ac diſpicere ad eam ſive collectionem, ſive aſſertionem tuam de *foro*, fortaſſe pretium erit. *Cauſa veſtra* (inquis) *ad altius tribunal devoluta, immò jam in eo judicata, deſtitit eſſe fori mei.* Planè hic locus alter eſt, *Harinxi* Reverendiſſime, in quo ego vehe-

vehementer aut peritiam, aut acumen, aut certè probitatem & conſcientiam tuam deſidero. Vel enim evidentia tanta cum juris, tum facti, quantam hactenus productam videre licet, convictus tandem ipſe manus dabis, & confitebere judicium iſtud veſtrum Decretorium, in cauſa mea *Valliſoleti* latum, non modo iniquum, ſed irritum & nullum, ſecundum omnia jura eſſe: vel contra diffiteberis; affirmabiſq; adeò ipſum per omnia, veluti juſtum, ratum, firmum, fixum, ut remaneat oportere. Si primum: jam per teipſum pro me res confecta erit. Quod enim in omni jure nullum eſt, effectum nullum juris in condemnatum habet: ac propterea, neq; privationem judicialis fori cujuſcumque, nimirum quo alioqui Reus vel Appellans, pro commodo ſuo liberè, ſi vellet, poſſet uti. Sin alterum: habebis rurſum adverſantia tibi Pontificum Maximorum Placita ipſa Decretalia. *Innocentij* & *Alexandri*, utriq; Tertij & Quarti, aſſertionem tuam erroris condemnabunt. Lege Decretales *Gregorij* Noni, & Sextum *Bonifacij* Octavi Librum, Locis in Margine citatis *. Vide etiam, ſi placet, *Gloſſam* quæ ſubjungitur.

* Clemens III. cap. cum in Eccleſia 38. extra. de Appellat. ſub fin. ibi. *Alioquin ipſum ad præfati Epiſcopi audientiam remittat.* Et Gloſ. ibid. in verb. Alioquin: *Id eſt, ſi appellatio non ſit legitima, remittitur.*

titur ad illum, à quo appellavit, ut procedat in causa, cum appellavit à gravamine, vel quod exequatur sententiam, quam ipse superior confirmavit. Et sic est optimum argumentum, quod Judex appellationis, qui confirmat sententiam quam alius tulit, non debeat ipsam mandare executioni, sed primus.

* Et Innoc. III. cap. ut debitus. 59. extra. de Appellat. sub fin. ibi. *Etsi minus rationabiliter eum appellasse constiterit, illum ad inferiorem remittat,* &c. & rursus cap. cum speciali. 61. eod. tit. circa fin. ibi. *Sed si appellans in ejus probatione defecerit, ad eum, à quo ipsum malitiose appellasse constiterit, remittatur.*

* Et Innoc. IV. cap. Romana. 3. §. fin. de Appellat. in 6. *Cum autem ad Remensem Archiepiscopum ab audientia Suffraganei sui, super aliqua fuerit ante sententiam appellatum : idem Archiepiscopus (postquam de appellatione cognita constiterit, eam minus rationabilem extitisse, causam ad eumdem suffraganeum remittere non postponat.*

* Et Clemens IV. cap. cum appellationibus. 5. eod. tit. in 6. *Si Judex inferior appellationem minus legitimam non admittat, eam appellatore nihilominus prosequente, superior de ipsa cognoscens causam ad priorem Judicem (juxta sanctiones canonicas) sine difficultate remittat.*

Tum considera appellationem meam & fuisse à gravamine extrajudiciali factam, & tamen nec fuisse à *Riddero* admissam, nec à Judicibus *Vallisoletanis* approbatam; sed rejectam ab utrisq;, & velut illegitimam (si non verbo, facto saltem abunde) condemnatam. Deinde nota expressionem istam Clementis Quarti, *juxta sanctiones*

Canonicas. Deniq, ſpecialiter iſtud Gloſſatoris *optimum argumentum* (ſic enim ipſe loquitur) obſerva, *quod Judex Appellationis, qui confirmat ſententiam quam alius* (nempe inferior Judex) *tulit, non debeat ipſam mandare executioni, ſed primus*. Et fatere tandem, quod *Valeſij* cauſa, etiamſi ea, quocumq, velles modo, in altiori illo Tribunali *Valliſoletano* fuiſſet judicata, nondum idcirco *fori tui* eſſe deſtitiſſet. Tu quippe, *Riddero* jam defuncto, ſucceſſione ordinarij muneris & officij, Judex ille inferior es, ad quem de jure cum Decreti illius *Valliſoletani*, tum *Ridderianæ* ipſius ſententiæ in *Valeſium* executio ſpectat.

Nec, niſi incaſſum, dixeris hic, ſententiam excommunicationis trahere ſecum executionem, atq, in incontinenti (ut loquuntur) operari. Ut enim de ſententia juſta tantùm, axioma iſtoc intelligitur: ſic etiam de interno foro tantùm. Ne juſtiſſima quidem excommunicatio effectum habet, aut in externo foro operatur, dum in eodem non obſervatur. Quare cum *Valeſium* audias neutrius ſententiæ, id eſt neq, *Belgicæ*, neq, *Hiſpanicæ*, obſervantem: numquid muneris tui, numquid inquam Commiſſarij Generalis *Belgici*, utpote immediati ejus Prælati Generalis ordinarij, non eſt in eum ſive pro contemptu ſive pro neglectu animadvertere?

tere? Hoc autem, si justè fiet, necessariò subjiciet rursus cognitioni foroq; tuo externo eamdem ipsissimam causam, quæ nunc à te dicitur destitisse fori ejusdem tui esse. Necessario enim requiret, rationes, si quas Valesius habet inobservantiæ suæ, à te audiri. Neq; nisi frustra quoq; hic objeceris, ex Decreto eodem Vallisoletano paragraphum istum, *& denuò per sanctam obedientiam, in virtute spiritus sancti, & sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ, ipso facto incurrenda, ac privatione perpetua actuum Legitimorum præcipit tam dicto Fratri Petro Valesio, quàm Fratri Francisco Coppingero, ut intra spatium sex mensium ab hujus Decreti intimatione compareant coram Reverendissimo Ministro Generali Ordinis, rationem reddituri omnium quæ ipsis objiciuntur.* Bene consistunt, patiunturq; mutuam & simultaneam sui existentiam ista duo: videlicet, quemquam à majori Superiore vocatum esse ad respondendum omnibus quæ ipsi objiciuntur: &, eumdem, quousq; vocationi huic cum effectu parebit, subesse foro inferioris Prælati intra cujus territorium habitat; subesseq; inquam eidem foro, etiam quoad executionem ejus judicij quod etiamnum ante vel confirmaverat, vel quocunq; modo in ipsum pronuntiaverat ille ipse Prælatus major. Ubi enim, oro, incon-

ſiſtentia, ubi repugnantia iſtarum rerum eſt? Quid? An non ita oportere eſſe, vel ipſa ratio naturalis dictat? niſi fortè velis ſubordinationem debitam, niſi ſubjectionem, & prælationem, niſi regiminis omnis præſervationem id non exigere. Quid? an non iſtud maximè, & abſq; ulla quidem contradictione aſſerendum eſt, cum vocatus nequit, cum non licet ipſi neq; per humanas neq; per divinas leges ad majorem illum antiſtitem proficiſci? cum ne ipſo quidem minoris Prælati territorio (ſed quid aio?) cum ne tertia quidem ejus territorij parte egrediendi aut jus, aut fas, aut poteſtas ipſi eſt? Fruſtranea igitur paragraphi iſtius, è decreto ſumpti, objectio erit hic? Quid? an non præterea conſtat, iſtam ipſam Decreti illius partem, ex alio quodam, licet diverſiſſimo, capite, jamdudum deſijſſe *Valeſium* obligare? An non jampridem officio authoritateq; omni Diffinitorium iſtud generale Valliſoletanum abijt, defunctumq; eſt? An non, vel inde quidem, *Valeſium* ab ea ad Miniſtrum Generalem profectione, præceptoq; eam injungente, abſolutum eſſe liquet? Injunctio illa rationem habuit præcepti purè temporarij, & nullo modo legis: cum Diffinitorium Generale abſq; Diſcretorio non poſſit legem ferre. Præcipientis autem officio expirante, præcepta

ejus

ejus omnia expirare, quamvis gratiæ ab eo conceſſæ maneant, nemo in controverſiam vocat. Quare etiamſi (veritate repugnante) gratis darem, quòd injunctio iſtius paragraphi *Valeſium* pro tempore, id eſt ſexennio, Capitulum Generale ultimum præcedente, fori tui ſeu beneficio ſeu electione ac libertate privaviſſet, ſi eo tempore *Valeſius* cupiſſet vel putaſſet è re ſua eſſe eodem uti: poſt Capitulum tamen hocce noviſſimum, ullo tempore haud ita foret. In vanum itaq; feceris hic paragraphi præceptiq; illius mentionem. Accedit quòd neq; ibi, neq; alibi in toto *Decreto* fiat reſervationis cauſæ ad tribunal Miniſtri Generalis vel minima quidem mentio, neq; ulla prohibitio ne impoſterum Superior Generalis immediatus, nempe Commiſſarius Belgicus de ea cognoſcat. Deniq; videris ipſe mihi hic, aut tamquam conſcius falſi, aut tamquam veri dubius, certè velut cautus & anxius, aſſertioni tuæ iſti de foro tuo, alteram quæ de loco eſt ſubſtituere. Scilicet, ni vehementer fallor, cupiebas vel alterutra vel utraq; momentum novum priori tuæ excuſationi illi, quam in congreſſu cum Legato habito fundabas, adjicere. Volebas tacitè hujuſmodi quæſtionem inſinuare, Quorſum oblatis per Secretarium tuum, ex parte licet authoritateq; tua, in tractatu mecum

nito factis; quorsum promissis aut policitationibus quibuslibet, sive de colloquio privato, sive de judicio aut arbitrio publico mihi concedendo stares; cum neq; fori tui causa mea amplius esset, nec, si esset, non statutum fixumq; foret, nequaquam eam hic discutere? Tantundem certè verba tua ista genuina, ijs quæ præcessere juncta, significant. *Causa vestra* (inquis) *ad altius tribunal devoluta, imò in eo judicata, destitit esse fori mei: & ut esset, utiq; hoc in loco nequaquam discutienda.* Ubi quoniam de eo solo Commissarij Generalis Belgici foro quod externum est, videris loqui ac respondere: permitte, obsecro, afflictum ac pene exanimatum esto tuo responso filium, paullisper conqueri ac expostulare tecum. Quid enim? esto destitisset causa mea externi tui fori esse, an idcirco neq; ad internum forum tuum spectaret? Vel, an ulla forsitan Valesij causa sit, quæ fori hujus non sit? Commissarius enim es cum plenitudine potestatis in utroq; foro super omnes Provinciarum harum Borealium Fratres. Et externi fori judicia, per quoscumq; etiam te majores, ac in quibuscumq; quidem subditorum tuorum causis lata, nequaquam easdem causas à foro tuo interno eximunt aut excludunt. Rationem habent singulæ aliam qua externum respiciunt, aliam verò

rò qua internum. Quapropter, nec momenti nec argumenti quidquam addet excuſationi tuæ priori, quod ais hic de foro. Non tractatum Secretarij tui mecum, à frande: nec oblationes, pollicitationeſq, tuas à dolo: non diſceſſum tuum ab injuſtiſſima indignitate: nec deniq, epiſtolam tuam ab inſinceritate, injuria, ſimulatione maxima vindicabit. Eo argumento numquam excuſabis te, quod & colloquium privatum, quod obtuliſti, ſubterfugeris, & omnem *Valeſij* ad te acceſſum declinaveris. Poterat ille ſolatium interni tui fori deſiderare: poteras tu ejuſdem ei beneficium impertire, etiamſi interim, poteſtate ad pronuntiandum de cauſa ejus in externo foro, privatus eſſes. Ac, ut paucis dicam, poteras etiam eo caſu, humiliter petentem in foro pœnitentiali vel abſolvere quidem à cenſuris ad cautelam: relictum nihilominus, in priori ſtatu, quod ad externum forum attineret: hoc eſt, obligatum reſpondere in iſto, ſi & ubi Miniſtro Generali placeret, Valeſioq, ipſi poſſibile & licitum foret.

XXVIII.

Ita profecto vel prædeceſſor tuus, de quo ſupra toties, ille ipſe Reverendiſſimus *Jacobus de Riddere*, erga meipſum

ſeſe olim geſſerat. Anno enim 1652. ubi poſt excidium Hibernicæ Gentis, deſtructamq; penitus hoſtili rabie Provinciam totam domi, atq; Provincialem ipſum *Franciſcum Suillevanum* à *Cromvelli* Militibus interfectum, ultro me in Belgium, atq; ad præſentiam illius Reverendiſſimi Viri, utpote Superioris mei tunc Generalis immediati, contuliſſem: ubi controverſias omnes infelices, quæ ſive inter Rempublicam ipſam Hibernorum Catholicorum Fœderatam & Nuncium Apoſtolicum, ſive inter diverſas partes Franciſcanæ in eo Regno Familiæ contendentes emerſerunt, ac ſexennium quidem totum eouſq; perdurarunt, Paternitati ſuæ in Conventu *Antuerpiano* retuliſſem: ubi ſingillatim omnia, cum facta tum ſcripta, & prædicata, cenſuraſq; etiam multiplices tam ſuſpenſionis & interdicti, quàm excommunicationum variarum, quæ mihi objiciebantur, aperuiſſem: ubi reſponſiones meas ad objecta ſingula dediſſem, rationeſq; ipſas genuinas quæ me moverunt atq; induxerunt, non modo ad non acquieſcendum, ſed profectò repugnandum præceptis, cenſuriſq; quibuſcumq; iſtis: ubi expoſuiſſem, idcirco me ad Paternitatis ſuæ præſentiam veniſſe, ut quoad iſta omnia, quodq; inquam aut Ordinis aut Eccleſiæ externum forum attinebat, judicio ejus vel abſol-

absolvendus vel condemnandus starem; &, si causa caderem, pœnas cum Sacrorum Canonum, tum Ordinis constitutionum, ut par erat, subirem: ubi, illo ad hæc respondente, quòd Reverendissimus *Petrus Manero* totius Ordinis Minister Generalis in Capitulo Generali *Romano* (quo, scilicet nuperrimè, electus erat in Ministrum) controversias omnes Hibernicæ Provinciæ ad tribunal suum ab inferioribus quibuslibet evocaverat, subjunxissem nihilominus atq; oraviſſem, ut quandoquidem infortunio meo res ista externi fori sic se haberet, dignaretur tamen quod in potestate sua erat, interni sui ipsius fori gratiam mihi facere; videlicet, cum absolvendo me in isto foro ad cautelam à censuris quibuscumq;, tum similiter ad cautelam dispensando mecum in omni irregularitate quavis: ubi addidissem, id me humiliter petere, non quod equidem mihi conscius essem me aliquando in controversijs illis quidquam contra vel divinas vel humanas leges, vel conscientiæ meæ ipsius dictamen peccavisse; aut censuram, pœnamve aliam Ecclesiasticam, revera (secundum canones) incurrisse: sed, quod (in isto saltem interiori foro quandoquidem, nulla amplius contendendi causa esset; nimirum subacto jam universo Regno, destructisq; adeo ijs pene omnibus

ex

ex utraq; parte qui contendebant) vererer nihilominus divini illius diſtrictiq; Judicis examen, utpote in cujus conſpectu omnes juſtitiæ noſtræ velut pannus menſtruatæ ſunt: ubi quoq; & iſtud adjeciſſem, nempe, quod externum Reverendiſſimi ejus Miniſtri Generalis forum, ſive tribunal, etſi in *Hiſpania* diſtantiſſimum, attineret, me paratum, vel ad primam quidem vocationem (imò fortaſſis ante vocationem ullam, prima opportunitate habita) ad Hiſpanicum iter me accingere: ac, per Dei gratiam ante illud ipſum Reverendiſſimi Patris *Mannero* tribunal comparere; defenſurum ſcilicet illic, ſeu in externo illo hominis foro, quæ mihi ſecundum hominem videbatur, tum juſtitiam cauſæ, tum innocentiam mentis meæ: ubi deniq;, illo rurſus ad iſta reſpondente, ſibi nequaquam videri, me aut abſolutione, aut diſpenſatione ulla ejuſcemodi indigere; ego nihilominus inſtitiſſem, urſiſſem & pro majori quidem ſpiritus animiq; mei tranquillitate, Paternitatem ſuam vehementer obſecraviſſem, dignaretur vel infirmitati meæ tantillum condeſcendere: ille haud ulterius diſtulit, neq; excuſavit, ſed abſq; mora petitioni meæ aſſenſus eſt. Eaq; propter Secretario ſuo, qui tum forte præſens erat, confeſtim juſſit, parumper mecum in aliam cameram ſecedere,

ſecedere, & quam cupiebam in foro interiori abſolutionem pariter & diſpenſationem mihi, utramq; ſcilicet ad cautelam tantùm, impertire. Quid? an curam ejus paſtoralem, an paternam fraternamve ejus tunc erga me charitatem hic ſtitiſſe putes? Ne putes. Nam & humaniſſimè per tres dies tractavit me ad menſam ſuam in refectorio: & in Eccleſia, diviniſq; officijs, etiam ad altaria Dei, communicavit mecum religioſiſſimè: ac utrumq; quidem fecit, etiam in præſentia Reverendiſſimi Patris *Bonaventuræ Mihan*, Collegij illius Fratrum noſtrorum quod *Lovanij* Divo Antonio Paduano ſacrum eſt guardiani, contrariarum licet mihi in Hibernia partium Sectatoris; quales & cæteri pene omnes noſcebantur eſſe qui ſub cura ejus tum in eodem Collegio degebant. Quid? quod inſuper & cætera quidem omnia quæ à viro eo Reverendiſſimo tunc deſideravi, haud gravatè ſtatim conceſſerit? Locum Recollectionis, pro tempore ſcilicet quo in *Belgio* morarer, quem elegi ipſe, Conventum Dunkerkanum: licentiam regrediendi in Hiberniam, quamprimum mihi ipſi poſt ſextum menſem libuit: obedientiales honorificas, miſſionemq; ampliſſimam in regreſſu: poteſtatem deniq; ſingularem nominandi atq; conſtituendi quos mihi ipſi liberet decem

in

in Provincia Missionarios; quòd nimirum ea tunc post excidium Gentis, Ministriq; Provincialis occisionem, omni prorsus capite pariter & Regimine destituta esset. Ac ita quidem Reverendissimus ille Prædecessor tuus Ridderus, eo anno 1652, fori sui interioris voluntarij humanitatem, charitatem, indulgentiam, solatium, erga me exeruit, extenditq;: tametsi eodem tempore, ob inhibitionem speciatem ipsi ante per Ministrum Generalem totius Ordinis factam, nihil planè in foro contentioso, aut pro tribunali externo, de cautis meis potuerit determinare.

Immane quantum, *Herinxi* Reverendissime, tu ab exemplo isto prædecessoris tui, cum Valesio agens, abijsti! quantum recessisti! quantum degeneraſti! Et ille quidem venienti ad se *Valesio* humanissimè occurrit, osculandam manum præbuit, ulnis suis eum complexus est, adventumq; sospitem gratulatus, benedictionem patris ei impertivit: tu eumdem in hospitio tuo sæpius, & prolixe quidem præstolantem te, neq; alloquio, neq; aspectu dignabaris: immò hospitium tuum etiam altera nocte declinavisti; migravisti aliò, ne ab eo videreris. Ille, cum causas suas omnes, causarumq; earundem omnium rationes, tum quæ pro ipso, tum quæ contra ipsum faciebant, referentem patientissimè pariter

ter ac benigniſſimè audivit: tu, recepta ejus epiſtola, promiſiſti quidem quod ab eo rogabatur, pro tribunali & coram arbitris eum audire: obtuliſti quoq; in anteceſſum (immò & rogaviſti) privatum cum ipſo colloquium: ſed promiſſa oblataq; omnia poſthabuiſti. Ille in omnibus paterno amore & germana fide cum eodem ſemeſtri toto, ut deinceps multos annos quidem, conſtantiſſimè egit: tu fallaciſſimo tractatu lactaviſti eum vana ſpe per biduum; at tertia die palam eluſiſti, & non modo omni ſpe, ſed omni prorſus de probitate tua, quam preconceperat, opinione bona deieciſti. Ille in Belgio commorantem protexit, recreavit, fovit; ex Belgio repatriantem, licentia, literis, facultatibus munitum honorifice dimiſit: tu hoſpitij mutatione, tu inopinato abitu & quaſi fuga, tu deniq; epiſtolio cum ſimulatione tum injurijs referto, quem jamdudum aqua & igni interdixeras, eumdem licet in aliena Provincia deliteſcentem, deſolatum, afflictum, miſerum, ac idcirco vel ad tuum ipſius tribunal pro juſtitia confugientem, infamiæ ultimæ etiam ibi denuò ſubjeciſti, adeòq; nomen ejus rurſum apud Catholicos iſtic jugulaviſti, perfodiſti, interemiſti, profectò quantum in te erat. Planè diſſimilis homini ei quem prædeceſſor tuus idem Reverendiſſimus, præfato anno 1652.

in

in *Valeſij* prioribus graviſſimiſq, iſtis cum Provinciæ tum Regni Hibernici controverſijs, in exemplum tibi ſeſe præoſtenderat.

Quod ſi alium poſtea hominem, ſi perſonam aliam eidem prædeceſſori viſum fuerit in alteris, id eſt, poſterioribus, *Valeſij* rebus induere: qualem fateor ipſum anno 1663. ac deinceps uſq, ad 1670. in cauſa Remonſtrationis induiſſe: ut ejuſce mutationis ratio in propatulo eſt: ita mutationem ipſam, quamquam alioqui in ſe injuſtiſſimam, nihil tamen pro te hic facere, æquè manifeſtum eſt. Ac primùm ſanè, quod mutationis rationem ſive cauſam ſpectat, *Marchantius* Ridderi prædeceſſor necdum, anno priori illo, ſeu 1652. diem ſuum obierat: immò id temporis valuit, viguit, floruit ſenecta vegeta, eſtimatione ſumma, virtute pari, conſtantia prope divina, authoritate cum apud cæteros *Belgas* irrefragabili, tum apud *Ridderum* ipſum præcipua. Et hic vir tantus equidem, non modò integerrimus, verum etiam diligentiſſimus, in controverſijs illis ipſis Hibernicis omnibus quæ præceſſerant, Valeſij fautor & patronus ab initio, ad finem uſq, dum vixit, fuit. Unde & per *Valeſium* ipſum, *Gandavi* eum inviſentem, literas dedit non perſonæ tantùm ſed cauſæ ipſius eximiè commendatitias ad

Rid-

Ridderum, quibus & iſtud quoq; inſeruit: *Valeſium* in quæſtionibus iſtis quibuſlibet adeò non profecto pœnam, non vituperium, non reprehenſionem ullam meruiſſe, ut, inter provinciales ſuos univerſos & laude, & præmio & honore dignum ſe imprimis exhibuerit. Deinde & illud *Ridderum* movit, quod Supremi Fæderatorum Hiberniæ Concilij ad *Innocentium Decimum* à Nuncio ac cenſuris ejus appellatio, tum adhuc Romæ penderet indeciſa: cauſæ autem omnes *Valeſij*, è controverſijs quæ Nuncium inter & Concilium Regnumq; iſtud interceſſerant, dependerent. Immò, & ejuſdem appellationis defenſionem, illud ipſum fuiſſe facinus, crimen, peccatum ingens, quod tamquam irremiſſibile adverſarij ejus perſequebantur. Præterea, quod ex omnibus, quæ tum *Valeſio* crimini utcumq; vertebantur, nihil eſſet quod vel directè, vel indirecte quidem ipſius *Romani Pontificis* ſuprema quævis aut ſpiritualia, aut temporalia jura, ſive ea quæ paſſim in Scholis Catholicorum, ſive quæ non ita paſſim in ipſis admittuntur, perſtringeret, niſi ſaltem per conſequentiam valde remotam & obſcuram. Poſtremò, quod neq; à Romana Curia, vel Miniſtris Apoſtolicis, neq; vel ab ipſo Ordinis noſtri Miniſtro Generali, qui tum erat Reverendiſſimus *Petrus Manero*, quidquam

quam contra ipsum adhuc, emanavisset.

Ac ejusmodi quidem anno 1652. Valesij rerum conditio & opinio apud *Ridderum* erat. Anno autem 1663. multò aliter. Nam & jamdudum præstantissimus ille & sanctissimus *Valesij* patronus *Petrus Marchantius* ad meliorem vitam evolaverat. Et sub idem pene tempus, ab *Innocentij* successore *Alexandro Septimo* subreptitiam eam, falsisq, relationibus refertam Bullam (qua cum inter alia idem *Innocentius* dicitur appellationem supradictam rejeciſſe; tum idem quoq, Alexander videtur authoritatem commento isti addidisse; nimirum, quatuor Episcopos Delegatos instituendo, qui in forma Ecclesiæ consueta Fœderatos antedictos à censuris illis Nuncij absolverent) qui Valesio adversabantur, Hiberni exules Romæ, impetraverant. Et alia quædam controversia ut posterior, sic apud Romanæ Aulæ proceres, Ministrosq,, immò & Sanctissimum ipsum Dominum, prioribus illis quæ cum Nuncio *Rinuccini* habebantur multo exosior, damnabilior, execrabilior, jam emersérat. Utpote illa Remonstrationis Hibernicæ: quæ, absq, ambagibus, absq, fuco, aut involucro, disertis verbis potestatem quamcumq, Romano Pontifici ad deponendos Reges attributam negat, & abjurat. Jamq, adeo

tum

tum Miniſtri Fratrum Noſtrorum Generalis, & Apoſtolici apud Belgas Internuncij, & ipſius etiam *Franciſci Cardinalis Barberini* literæ, tum *Facultatis Theologicæ Lovanienſis* cenſuræ, tum dirarum quoq; fulminumq; in *Valeſium* minæ, & commoti quaſi Numinis in eum fama, ad *Ridderi* aures manuſq; tandem pervenere. Taceo & literas eas alias & molimina quoq; ea alia omnia, quæ poſt annum 1663. à Romana Curia, Miniſtriſq; Apoſtolicis uſq; ad 1669. citationemq; primam *Valeſij* per *Ridderum* anno eodem iſto factam prodiere. Illud tamen haud ſilebo, ut, poſt omnia, eodem quoq; anno 1669. Illuſtriſſimus *Airoldus*, in Belgio tunc Internuncius, *Riddero* præceperit *Valeſium* ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda citare: utq;, non comparentem denunciare excommunicatum, ſimiliter eidem injunxerit: ne hili quidem æſtimata vel Recuſatione Judicis, vel appellatione, aut excuſationibus exceptionibuſq; illis canonicis, quas *Valeſius* interpoſuerat. Et iſta quidem omnia *Riddero* cum argumenta eſſent fixi Romanis propoſiti Remonſtrationem pariter & Valeſium per fas & nefas perſequendi: ille, quantumvis alioquin Vir bonus, verebatur cum potentia tanta luctari: humaniq; aliquid idcirco paſſus, ne Commiſſariatus

ſui dignitatem, atq; authoritatem; quam tot annos jam ſuper tot Provincias & Regna quidem obtinuerat, unius *Valeſii* cauſa perderet, *Airoldo* in omnibus morem abſq; dilatione geſſit: hominemq; adeo, ſeu perſonam in poſterioribus iſtiſce controverſijs induit multum ab ea diverſam quam in prioribus præ ſe tulerat. Quamquam verò ſic, iſtiuſce mutationis *Ridderi* germana ratio in propatulo ſit: necdum tamen video, quid mutatio ipſa, ſive in ſe injuſta, ſive juſta, imò nec etiamſi juſtiſſima foret, conferre poſſit Paternitati tuæ hic. Externi tantum fori effectus erat qui conſequebatur contra me proceſſus. Quid hoc ad internum, de quo in præſentia ſermo eſt? Ac Ridderus quidem in externo ſuo tribunali, *Airoldum* metuens, declaravit contra me: numquam tamen ab interni ſui conſolatione excluſit me. Tu in altero tuo foro, ſanè quantum in te fuit, vulneraviſti me ad mortem: & alterius tui fomenta ad recuperandam vitam negaviſti mihi. O Commiſſarium in utroq; foro cum plenitudine poteſtatis! O Sacerdotem Dei cum viſceribus miſericordiæ! O verè proximum, & Samaritanum pium! O demum te, qui (in opinione tua ipſius) me, dum iter faceres de *Hieruſalem* in *Hiericho*, à latronibus deſpoliatum, vulneratum, ſemivivum relictum, projectumq;

etumq, ſecus viam videns, compaſſione mortus non pertranſiſti, ſed appropians alligaſti vulnera mea infundens oleum & vinum! qui impoſuiſti me in jumentum tuum, duxiſti in ſtabulum, & curam mei egiſti! qui deniq, altera die proferens duos denarios, dediſti eos ſtabulario dicens: curam illius habe: & quodcumq, ſupererogaveris, ego cum rediero reddam tibi!

Sed fac, per *forum* hic non intenderis aliud quàm externum. Fac, non hoc ipſum universè, quoad omnia iſtius fori munia volueris. Fac ſignificaveris tantùm, quod non abſq, Miniſtri Generalis notitia & conſenſu prævio liceret tibi vel per teipſum, vel per Arbitros, Delegatoſve cauſam meam rurſus pro Tribunali judicare: multo minus, quòd in ea *Valliſoleti* non judicatum ſit, decernere: atq, adeò Judicium, ſeu Decretum illud Valliſoletanum non modò reſcindere, ſed in omni jure invalidum, irritum, nullum ab initio fuiſſe, declarare. Fac præterea, conſenſum iſtum Miniſtri Generalis neq, in genere, neq, in ſpecie, adhuc eo tempore communicatum tibi ab eodem Miniſtro fuiſſe. Eſto hæc omnia, inquam. An idcirco, precor, conſectarium erit quòd neq, licuerit tibi tunc, ſaltem per Delegatos, *Valeſij* expoſtulationes, querelas,

excusationes, exceptionesq, audire? aliorum testimonia ibi ubi haberi poterant, sive pro, sive contra causam ejus, recipere? Instrumentum authenticum de omnibus confectum literasq, tuas unâ, ad præfatum Ordinis Ministrum mittere? deniq, ijsdem literis consensum ejus, ad judicandum rursus, ac de novo in eadem causa pronuntiandum, deprecari? Hæc autem universa ut ad externum forum attinere scis: ita non modò licuisse, verumetiam debuisse à te fieri cum hic esses, non ignoras. Lusisti ergo cum respondisti causam meam destitisse esse fori tui. Sed nimirum, quæ prædecessorem tuum Ridderum anno 1670. à priori sua in Valesij rebus justitia dejecerunt: quæ teipsum pariter & Collegas tuos Vallisoletanos paulo post eodem anno ijsdem in rebus dementarunt: Romanorum authoritas, potentia, nutus, favor, odia, minæ, & timor amittendi, & amor conservandi acquisita, & ambitio plurium absq, modo aut fine concupiscens: eædem rationes denuò te in eadem causa prorsum effascinaverunt: ac eo desperatius quidem id, quo & propinquior tibi visa est *Iprensium* Insulæ gloria, & funestior adeò negata Romæ tui ad eam nominationis confirmatio. Cæterùm, illa cum tot annos ante Paternitati tuæ plenis velis naviganti cynosura fuerit: haud magnopere miror,

miror, iteratum istud conscientiæ tuæ naufragium ad causæ meæ scopulos, intueri. Quò enim ambitionis œstrum non impellit? quò non tyaræ splendescentis cupido furens rapit?

XXIX.

Sed age; videamus tandem effugium tuum ultimum. *Ac ut esset*, inquis, *utiq; hoc in loco nequaquam discutienda.* Eia, quàm vellem prima die & hora tractatus cum Secretario tuo habiti deposuisses ita larvam! neq; aut viri illius boni opera, aut credulitate mea deinceps fuisses abusus! Verùm hoc putabas è re tua non fore. Verebaris ut sacrorum canonum tum authoritate tum ratione, statim te Valesius, si ita respondisses, replicando confunderet. Ac rectè quidem istud apprehendisses, nisi plane hospes & peregrinus sis in Ecclesiastico Jure: aut Valesium forte putavisses ignorare quæ ad causæ suæ defensionem necessaria essent. Nam ecquid, obsecro, in Jure notius, quàm causarum judicia ibi oportere fieri ubi causæ ipsæ ortum habuerunt? Ubi facta quæ in judicium vocantur, vel fuerunt, vel dicuntur saltem fuisse commissa? Ubi non modo accusatores & accusati, sed & testes quoq; in utramq; partem, si tamen ulli pro utraq; parte in re-

rum natura sint, haberi possunt? Vide, si placet, Marginalem notam, ex epistola mea ad Haroldum, illa quæ typis data jamdudum est, desumptam. In qua nimirum & Conciliorum Maximo-

Prudentissimè enim justissimeque providerunt (*nempe Concilij primi & magni illius* Nicæni *Patres*) quæcumque negotia in suis locis, ubi orta sunt, finienda; *quemadmodum Synodus* Africana *ducentorum & septendecim Episcoporum, inter quos S.* Augustinus *erat, ad Cælestinum I. Romanæ Sedis Episcopum scribens, jamdudum animadverterat, monueratque,* (u) *Hiem providerunt pariter & ipsi quidem Pontifices Maximi & Beatissimi* Fabianus, Stephanus, Sixtus, Hadrianus, Damasus, *apud* Gratianum 3. q 6. (x) *&* q. 9. (y). *Quibus ex Libro Decretalium* Gregorianoe *adjungi potest* Innocentius III. *in Concilio Gen. Lat.* (z) *Neque profecto sine ratione, neque absque manifesta necessitate, neque non velut æquum pariter & justum* (a) *providerunt ita Patres, nimirum* agere illic unumquemque causam suam ubi crimen dicitur esse admissum, ubique adire & accusatores habere & reos sui criminis posse, *ut sanctissimus etiam* Cyprianus, *diu ante Concilium ad id, um* Nicænum *loquutus est* (ep. 50.) *affirmans insuper, ita Statutum esse omnibus. Quod si explicationem hujus Statuti rationum*

(u) Concil. African. cap. 105. in epist. Synodica ad Cælestinum; apud Binium Conc. Tom. 1. pag. 978.

(x) Cap. Ibi. c. ultra. c. si quis. Cleric. c. Qui crimen. c. Peregrina.

(y) Cap. Nec extra. (z) cap. nonnulli. de Rescript.

(a) Conformia Decretis illis sunt statuta Generalia Ordinis Minorum Provincijs Belgicis accommodata. cap. 6. §. 1. & 2. & cap. 7. §. 14. num. 1. & 2. & sequentibus.

onem quærunt citatores mei: audiant rursum præfatos Concilij illius Africani *Episcopos, ad* Cælestinum. Aut quomodo ipsum transmarinum judicium ratum erit, ad quod testium necessariæ personæ, vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis, adduci non poterunt? *Sic illi veteres* Africani: *inter quos (ut jam ante dixi)* Augustinus, *& (quod nondum dixi) velut ejusdem Synodalis Epistolæ (in qua hæc) non subscriptor modò, sed & scriptor & dictator, utvisum doctus.* Ep. ad Harold. pag. 19.

rum, & Pontificum Romanorum de hac re decreta, & conformia quoq; ipsis Nostri Minorum Ordinis constituta legas. Quæ cum extra omnem controversiam, ita sint: eccur, Herinxi Reverendissime, si causa mea fori tui tunc esset, nequaquam tamen hoc loco discutienda foret? Numquid non Londinum, numquid saltem alicubi in Imperio Britannico, seu in Anglia, seu in Hibernia, seu in utraq; locus ille est in quo ea dicuntur commissa, quæcumq; mihi objiciuntur? Imò numquid Urbs hæc ipsa Londinensis Regia locus ille ipse determinatus est, ubi contumaciam eam cujus insimulor, quæq; sola, & non alia quævis offensa, per Ridderum excommunicatione perculsa est, necesse erat fuisse commissam? Cur itaq; hic Londini cum esses, ista saltem contumaciæ mihi impositæ causa nequaquam discutienda foret?

XXX.

Non eſt terra Catholica, inquis. Certè reſponſum iſtud videntur verba tua ipſius genuina iſta, quæ abſq; medio ſequuntur, inſinuare. *In ditione autem Catholica, ſi arbitrium meum requiras, præſto ero, dum & tu præſto ſis.* Ergo, in ſententia tua, canones ſacratiſſimi diſtinctionem ſive interpretationem iſtam patiuntur? Ergo neque in Africa, *Feliciſſimi:* neq; in Hiſpania, *Baſilidis* & *Martialis:* neq; *Martialis* alterius in Gallia: neq; in Oriente, apud Antiochenos, *Pauli Samoſateni* cauſa diſcutienda fuit? Ditiones iſtæ, ut cæteræ omnes Romani Imperij tunc, paganæ erant: tantum abfuit, ut eſſent Catholicæ. Ac in ſententia tua quidem, neq; Epiſcopis & Concilijs Orthodoxis, qui Schiſmaticos, Hæreticoſq; iſtos condemnarant, incumbebat cauſas eorum diſcutere. Quid Concilium *Agathenſe* referam, ſub *Alarico* Rege Viſigothorum Arriano celebratum? Quid *Toletanum* ſecundum, ſub eodem Rege habitum? Quid illa ſex Romana, ſub *Theodorico* Rege itidem Arriano, quæ tenta ſunt? Quid multo plura quæ in Oriente ſub Imperatoribus partim Iconoclaſtis, partem Monothelitis, *&c.* convenerunt? Quid tot & tanta quæ jamdudum ante ſub

Con-

Conſtantio cum in Oriente tum in Occi dente, illiuſq; ad nutum congregata fuiſſe legimus, commemorem? Profecto Ditiones in quibus habebantur non erant tum in tuo ſenſu Catholicæ. Ac de *Conſtantij* quidem tempore ſcimus à *Hieronimo* dictum, quod *ingemuit Orbis terrarum, ſubito ſe videns factum Arrianum.* Quare ſecundum interpretationem diſtinctionemque tuam, ne in ulla quidem earumdem Synodorum incumbebat Patribus qui conſederant, de cauſis quibuſcumq; pro tribunali, aut foro contentioſo, judicare: hoc eſt, neq; eos, qui ſecundum canones noxij probabantur, punire: nec revera innoxios, de manu ſive calumniantium accuſatorum, ſive corruptorum Judicum, judiciorumq; iniquorum, liberare. Quid? An non equidem conſequenter dices, quod Eccleſiæ Antiſtitum per trecentos primos Æræ Chriſtianæ annos neq; officij, neq; muneris, neq; obligationis cujuſquam fuerit, pro vel contra Reum, quod ipſis æquum atq; juſtum videretur pronunciare? An non ſaltem de Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatiſq; cæteris tam Sæcularis quam Regularis Cleri univerſis, quotquot inquam ullibi ſub Imperio Britannico, ſeu in Anglia, Scotiaq;, ſeu in Hibernia, vel poſtremo vel præcedenti ſæculo, ab ipſo quidem infeliciſſimi Schiſmatis initio creabantur,

bantur, neceſſe eſt idem dicas? atq; adeo & idem omnino de Commiſſarijs illis noſtri ipſorum Seraphici Ordinis, Provinciarumq; Angliæ & Hiberniæ Viſitatoribus, qui ad triennia ſingula, cum poteſtatis plenitudine etiam in utroq; foro, inſtituuntur: an non ſimiliter conſectarium eſt, ut aſſeras? Et tamen nihil certius, quàm non modo foris per Europam reliquam, Aſiamq; & Africam, Synodos & Epiſcopales & Orthodoxas, tum in Eccleſia primitiva ſub Gentilibus, tum in ſæculis quæ ſequebantur ſub Hæreticis Regibus atq; Imperatoribus: verumetiam domi apud nos ipſos hic in Imperio Britannico, ac noviſſimis quidem iſtis à mutata Religione ſæculis, cum Epiſcopos, tum Superiores quòq; Regularis Cleri, multo aliter divinos Eccleſiarum canones intellexiſſe. Niſi ſi fortaſſis judicia quæ in foro contentioſo exercuerunt, ac ſententiæ quas in eodem protulerunt, certiſſima hujuſce rei argumenta non ſint. Quid? quod tuipſe hic in *Anglia*, & hic *Londini* quidem, non ſemel memoria noſtra juriſdictionem in externo foro ſuper fratres Inſtituti tui exercueris? Ac primùm ſanè id, poteſtate delegata: videlicet, cùm ante nonnullos annos, Definitor Generalis (non autem Belgij &c. Commiſſarius adhuc) exiſtens, à Riddero miſſus fuiſti huc Provinciæ

vinciæ hujus Visitator & Capituli Præses: Iterum verò nuperrimè, cùm ordinaria jam Commissarij Belgicæ Nationis potestate fretus, etiam ut ante in persona propria, Capitulum Provinciale Anglorum Fratrum, in hac ipsa urbe Regia denuo celebrasti.

Ac profecto nisi in eum modum, id est pro foro contentioso, ubi res postularet, functione sua uti, incubuisset Ecclesiarum & Ordinum Prælatis: reliquisset Deus Ecclesiam suam absq; disciplina: & ut nocentium improborum absq; pœna, sic innocentium oppressionem absq; remedio. Prælati verò nisi potestatem sibi à Deo & Ecclesia datam, eodem modo exeruissent: utiq; mercenarios, non pastores sese exhibuissent. Quid? An non divinus ipse Paulus, ad Timotheum scribens, atq; de exteriori hoc Ecclesiæ foro præcipiens, ab omni prorsus Ditione, non modo Catholica, sed vel Christiana quidem abstrahit? *Adversus Presbyterum* (inquit) *accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus. Peccantes coram omnibus argue: ut & cæteri timorem habeant. Testor coram Deo & Christo Jesu, & electis Angelis, ut hæc custodias sine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando.* Ac certe, usq; ad trecentesimum annum post hæc præcepta

1 Tim. v.

præcepta Pauli Timotheo data, nullibi Gentium, in toto orbe, ſaltem Romano, fuit vel una quidem ſeu Catholica ſeu Chriſtiana Ditio. Deniq; apud ſtultos & protervos, & imperitum vulgus fac eluſeris utcumq; verba canonum: rationem tamen canonum, quæ & ſempiterna eſt pro omni Eccleſiæ Statu, & univerſalis pro omni totius orbis terrarum loco, haud ulla Sophiſtice, haud impudentia ipſa, aut tergiverſatione quapiam, ullus hominum pro te evadere poteſt. Certe numquam interrogationi Patrum Africanorum ad *Cæleſtinum* Romanæ Eccleſiæ Pontificem factæ (quam ſuperius in Marginali nota dedi) vel tu ipſe quidem reſpondere quibis: numquam valebis eam aut ſolvere aut declinare, Valeſium ad Ditionem tuam Catholicam invitando. Etenim non obſtante ditionis tuæ iſtius Catholiciſmo, *judicium ipſum tranſmarinum quomodo ratum erit, ad quod teſtium neceſſariæ perſonæ, vel propter ſexus, vel propter ſenectutis infirmitatem, multis alijs intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt*? Ac ſane iſta ut ipſiſſima quidem verba ſunt quibus interrogaverunt Africani *Cæleſtinum*, & cum eodem de iſtiuſmodi judicij tranſmarini injuſtitia expoſtulaverunt: ſic *Italia*, ſic *Roma* ipſa, quamtumcumq; aliàs & ſancta & Catholica, locus

ille

ille ipſe tranſmarinus eſt, contra quem ijdem tanto numero ducenti & ſeptemdecim Africani Patres velut dijudicandis *Afris* inidoneum, incompetens, iniquum exceperunt: Quid? An ſi momento huic tanto adjicerem illa alia, & plura & fortiora quidem adhuc (ſi tamen fortiora queant eſſe) exceptionum capita, adverſus ejuſcemodi ultramarinum in Ditione tua Catholica de cauſis meis judicium? Si inhibitionem Regiam iſtinc? Si locum illinc ex multiplici capite intutum? Si Judicibus ipſis ne judicium quidem ibi de rebus meis fore liberum? Si, jamdudum quoq;, & de incidentali contumacia, per *Ridderum* pariter & *Airoldum*, (ut nihil nunc de te ipſo dicam) & de principali ipſa Remonſtrationis cauſa, tum per Theologos *Lovanienſes*, tum per Congregationem *Antuerpianam*, tum per Internuncios etiam omnes Apoſtolicos Belgij à *De Vecchio* ad præſentem uſq;, præjudicatum fuiſſe ibi? Deniq;, ſi eumdem planè ibi & præcipuam partem ad agendum contra me, & præcipuum tamen (immò & reapſe unicum) Judicem ad cenſendum de me, idq; profectò in ſua ipſius perdilecta cauſa, fore? Si iſta inquam adjicerem; haberes vel tu ipſe forſitan, Reverendiſſime Pater, quo iſta quoq; tela, vel omnia collectim, vel ſeorſim ſingula,

aut

aut frangere aut retorquere poſſes.

XXXI.

At tamen capio te, *Herinxi* Reverendiſſime. Non erat è re tua (ſcilicet, ne Romanos maximopere offenderes: atq; adeo vel repulſam omnimodam, vel dilationem certe plurimam & longiſſimam *Romæ* in impetranda Bulla confirmatoria nominationis ejus quæ adeo nuper tui per Catholicum Regem pro *Iprenſi* Epiſcopatu facta erat, patereris:) non erat inquam è re tua vel judicium vel arbitrium Valeſio dare quod ratum eſſet: nullum ſanè quod vel eſſentialia ipſa Judicij ullo modo haberet. In ejuſmodi quocumque victorem fore *Valeſium*, rectè prævidiſti. Ac ideo noluiſti eum ibi cauſam ſuam agere ubi Crimen ejus dicitur admiſſum: ubi quemadmodum vel Judices vel arbitri convenire, audire, conſiderare, judicare; ſic & accuſatores, & teſtes, & Reus ipſe, & omnes quidem ex æquo liberè ante Judicem vel arbitros comparere poſſunt: ubi demum & teſtimonia ea omni exceptione majora haberi valent quæ *Valeſium* à contumaciæ cujuſvis crimine, in momento vendicent, ipſoq; ſole clarius oſtendant, quàm immeritò, quàmq; per calumniam & impoſturam utiq; contumax audierit.

audierit. Quale equidem judicium non concedere, nec permittere, licet ab initio apud te constituisses: animadvertisti nihilominus è re tua fore, nebulas & caliginem prætextuum quorumcumq, speciosorum, præsertim verò istius *Catholicæ* tuæ *Ditionis*, insipientium oculis dum fugeres offundere: nimirum abitioni tuæ isti, utpote haud minus teipso indignissimæ, quàm injuriosissimæ mihi, apud ipsos excusandæ.

Eodem respexere ista quæ tam cautè subjunxisti mox: *Si arbitrium meum requiras, præsto ero, dum tu præsto sis.* Quasi verò arbitrium tuum ego unquam in vita mea requisierim? Judicium quidem vel arbitrium à te, sed aliorum qui authoritate seu potestate tua ipsis facta de causis meis canonice & legitimè judicarent, requisivi, immò oravi & obsecravi. Tuum ipsius petere, numquam vel in mentem mihi venit. Præjudicio enim illo Vallisoletano, tute indignum pariter & incapacem reddidisti, qui in causis meis quibuscumq, vel tamquam Judex vel tamquam Arbiter postea sederes. Cui injustitiæ quamquam in se alioqui maximæ & gravissimæ, cum tamen tu post tot annos iterum, hic Londini adeo nuper, incredibilem pene aliam adjeceris; atq, tum tractatione, tum abitione, tum epistola tua demum imposueris colophonem: absq, dubio

dubio vel alios decipere, vel placere tibi irrisione mei voluisti, dum ista scriberes de arbitrio tuo à me requirendo. Quare id scias velim, quòd si quocumq; rerum eventu contingat: si providentia quapiam extraordinaria Numinis: si prohibitione Regia hinc, ac inde quidem periculis universis, quæ aut animæ aut corpori, aut vitæ aut libertati meæ, tandiu jam insidiata sunt, cessantibus: si testibus ipsis, qui necessarij erunt sese offerentibus ad iter transmarinum: si monitionibus expressionibusq; debitis causarum omnium in specie quæ mihi in judicio objiciendæ sunt, præcedentibus: in ista conversione rerum atq; hominum, certè magis exoptanda quàm expectanda, si contingat inquam, ut ego & sacrorum canonum juri, & constitutionum Ordinis æquitati, & rationis quoq; naturalis dictamini, nuncio misso, arbitrium vel judicium novum, ceu prioris judicij istius Vallisoletani revisionem rescissionemq; peniturus, in *Ditione* tua *Catholica* præsto sim: ne tamen tu, Reverendissime Pater, vel tamquam Judex, vel tamquam Arbiter præsto sis, pro virili parte contendam atq; satagam. Certè recusabo te in Arbitrum vel Judicem, dum licuerit mihi per canones, non dico suspectum, sed jam abundè notum & manifestum hostem recusare.

Interim

XXXII.

Interim libet considerare quod proximè in tua epistola sequitur: *Nec, literæ securitatis omnimodæ decerunt accedere cupienti.* Ac ut tu ipse (Herinxi Reverendissime) vel melioris fidei, vel candidioris animi & propositi hic esses, quàm fueris in tractatu nupero, pollicitisq; & oblatis illis adimplendis quæ mihi inter tractandum Secretarius tuus fecerat: numquid nihilominus non manifestum est, subesse te ad nutum Internuncio illi Apostolico qui Bruxellis degit? Profectò sive ille jurisdictionem in te habet, nec ne, haud poteris Ecclesiasticum ullum, eo invito, ullibi inter Belgas protegere. Quanti verò apud Internuncios Bruxellenses, immò quanti apud ipsorum Dominos Directores, purpurati cœtus Romæ proceres, momenti erunt literæ securitatis ejuscemodi quæcumq;, vel Apostolica quidem authoritate concessæ, quanti inquam apud utrosque, ubi è re sua violationem fidei, quantumvis omnimodæ, quantumvis publicæ, existimabunt esse? haud ignorare potes. In Conventu *Bruxellensi* tuo, & sub cura & potestate tua etiamnum detinetur ibi, quem probe scis argumento novo posthac alios, fore, quàm flocci, quàm nihili faciant seu

rum Internuncij, seu Congregationis de Propaganda Fide Cardinales, hujuscemodi literarum (etsi contra ipsarum Gentium jura) violationem. Et profectò, nisi valde me conjectura mea fallit, in Annalibus ac Historijs olim, & post eorum mortem quidem, quos, ad injustitiæ suæ cumulum in Haroldi, Copingeri, cæterorumq; Fratrum Hibernorum Remonstrantium causa, non puduit ita Sanctissimæ Apostolorum Sedis authoritatem labefactasse, exemplo: ad propositum satis memorando Vir ille idem perdoctus & Religiosus erit. Venerabilem Patrem *Thomam Haroldum*, Instituti nostri & Provinciæ Hiberniæ filium, Sacræq; apud Gallos jampridem Theologiæ lectorem emeritum atq; jubilatum, dico.

XXXIII.

At quoniam rei ipsius, factiq; adeo insignis Historiam, si non Reverentiæ tuæ, saltem posteritati commendare, præsertim erit in ea recensenda, paulisper immorari libet. Haroldus, ad annum *Domini* 1669. aut circiter, ex Gallia in Patriam reversus, quando maximè circa Remonstrationem inter Ecclesiasticos efferbuit illa disputatio, eidem Fidelitatis professioni subscripserat: eamdemq; deinceps pro virili pro-

promoverat. Ad annum vero 1669. emergente ſcilicet ex patentibus novis Eminentiſſimi D. Franciſci Cardinalis Barberini controverſia altera nec minus nova, veritatem ac juſtitiam in hac etiam parte ſequutus, pro Vicarij Provincialis R. A. P. *Franciſci Copingeri* ab iisdem patentibus ad Pontificem Maximum appellatione non modo ſteterat; ſed labantem alioqui appellantium partem cum exemplo & verbo, tum etiam prælo, contra præfatarum patentium authoritatem male canonicam, egregie ſuſtentaverat. Deinceps autem, uſq; ad annum 1672. & prædicti Belgarum Internuncij Apoſtolici, & novorum Prælulum, nempe Archiepiſcoporum Epiſcoporumq; Hibernorum, id unice ſatagentium quod ipſorum nuperæ creationis Romæ præcipuus finis erat, ut numerum Remonſtrantes, adeoq; & doctrinam ipſam Fidelitatis Regi in temporalibus debitæ, prorſus extinguerent, conatibus ita obſtiterat, ut de ſucceſſu optato planè deſperarent, dum ille domi remaneret. Ad hæc nihilominus nemo hominum de juſtitia, religione, fide Romanæ Curiæ Miniſtrorum, ubi ſemel recte informati eſſent, eo vel melius vel ſanctius cogitare: nemo minus quidquam doli mali aut fraudis in loco ſancto aut vereri aut ſuſpicari quidem. Denique proſequutionem iſtiuſce appellationis per *Copin-*

gerum ab Eminentiſſimo Cardinale ad Pontificem M. & Beatiſſimum factæ, nullus eo ardentius deſiderabat: atq; adeo aut iter in perſona propria tranſmarinum ire, aut præſentiam ejus Illuſtriſſimi Belgarum Internuntij adire, ſcilicet appellationem proſequuturus tamquam Copingeri Procurator, nemo vehementius cupiebat. Et hæc & illa quidem, cæteraq; omnia quæ ſive doctrinam, ſive pietatem, ſive conſtantiam, virtuteſq; alias viri attinebant, quoniam *Airoldo* Belgij Internuncio, utpote rerum quoq; Hibernicarum a Sancta Sede curam tunc habenti, identidem ſignificabantur: eapropter ille eidem Illuſtriſſimo haud indignus cui hac arte veſtra, id eſt, oblatione ſimili literarum ſecuritatis omnimodæ, imò verò & amneſtiæ ſeu indemnitatis plenariæ, imponeretur, viſus eſt. Itaq; ex mandato ejuſdem Illuſtriſſimi Romanæ Curiæ in Belgio Adminiſtri, D. *Airoldi*, & per manus quidem Reverendiſſimi *Oliverij Plunket* Archiepiſcopi *Armachani*, totiuſq; Hiberniæ Primatis, in manus ei traduntur ejuſcemodi literæ. Sileo incitamenta reliqua; ſpeciatim verò deſiderium iſtud ingens videndi cognationis ſuæ veteris inſignem virum, quod *Airoldus* præ ſe ferebat; conjectura ſcilicet ab eodem Illuſtriſſimo de communitate ſtirpis (ni fallor *Danicæ* aut *Normannicæ*)

ex

ex propinquitate agnominum *Airoldi* & *Haroldi*, vel equidem facta, vel equidem ſimulata. Impræſentiarum ſufficiet (præter literas quas vocant *obedientiales*, in margine datas *) præfatæ ſecuritatis formam hic inſerere. Erat enim in hæc ipſiſſima verba. *Nos Oliverius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Armachanus, Metropolitanus ac, totius Hiberniæ Primas, Reverendo admodum Patri Thomæ Haroldo Lectori Jubilato Ordinis Seraphici, ſalutem in Domino ſempiternam. Cum ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Airoldum Internuncium Apoſtolicum proficiſci intendas; virtute Apoſtolicæ authoritatis nobis ad hunc effectum conceſſæ, declaramus, Te, ſi quid, quod forte Sedi Apoſtolicæ diſplicuit, com-*

* Nos Oliverius Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Armachanus, Metropolitanus, ac totius Hiberniæ Primas, Reverendo admodum Patri Thomæ Haroldo Lectori Jubilato Ordinis Seraphici, ſalutem in Domino ſempiternam. Authoritate Apoſtolica, nobis ſpecialiter communicata, tibi facultatem & obedientiam impartimur etiam abſque obedientialibus literis tuorum Superiorum Seraphici Ordinis, trajiciendi in Flandriam ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Dominum Airoldum Internuncium Apoſtolicum, ad peragenda negotia tibi communicanda per eumdem Illuſtriſſimum Internuncium. In quorum fidem his ſubſcripſimus ac portatile noſtrum ſigillum affigi curavimus Dublinij hac die 20. Januarij 1672. *Oliverius Armachanus*, &c.

miseris, plenam habere omnium condonationem, ita ut in foro externo propter transacta in Regno Hiberniæ à nullo molestari aut in judicium vocari possis. In quorum fidem his subscripsimus, ac portatile nostrum sigillum affigi curavimus Dublinij hac die 20. Januarij 1672. Oliverius Armachanus, *&c.*

Et Haroldus quidem, receptis istisce literis Amnestiæ, ut erat nequaquam suspicacis genij, sed aperti & simplicis fidentisq; adeo animi absq; felle vir, ac nihil minus verens quàm exosa Deo pariter & hominibus quibuscumq; bonis aut æquivocatione aut mentali quapiam reservatione, astuve aut dolo eversum eas iri, protinus in Belgium trajiciens, coram præfato Illustrissimo D. *Airoldo* Bruxellis se sistit, nimirum, ut rebatur, *Copingeri* appellationem extemplo prosequuturus. Verum quæ inopinatò per Ministrum illum Apostolicum, vel in congressu quidem primo, haud obscure significata: quæq; in alijs postea congressibus, primorum octo mensium intervallo habitis, multo adhuc apertius indicata: & quæ deinceps ad presentem usq; diem sequuta sunt, quæve inquam seu ab eodem Internuncio, seu à Congregatione de Propaganda Fide, seu ab utrisq; perpessus est non modò iniquissima, sed longe molestissima, ostendunt profectò, ac veluti in sole meridiano sub intuitum

intuitum cujusq; non voluntariè cæci ponunt, quàm prædictarum literarum, etsi tum Apostolica authoritate, tum Primatiali manu sigilloq; concessarum, aut indemnitati aut securitati omnino frustra innixus sit: quàmq; nec justitiam, nec religionem, nec fidem inter Ministros ipsos sanctæ Sedis, in ista inquam justitiæ per appellationem *Copingeri* postulatæ causa, ullo modo reperent. Sanè fidem datam fefellerunt omnes, adeoq; & *Haroldi* confidentiam in *Loco Sancto*, ex omni parte prorsus fraudaverunt. *Airoldus* ipse, Internuncius ille Belgij, quamquam solicitator pariter & invitator ejus ex Hibernia in Belgium præsentiamq; suam præcipuus, utpote cui Hibernicæ Ecclesiæ haud minus quam Belgicæ cura specialis tunc à Pontifice Maximo commissa erat, in omnibus & singulis cum ipso velut *Copingeri* Procuratore, adeoq; & prosequutore hujus, fraudulenter egit.

Ac primùm sanè, vel in ipso principalis hujus negotij limine. Ubi scilicet ab *Haroldo*, quaq; decuit instantia quidem, humillimè supplicatum ei fuisset, ut, quoniam sibi propter legitima cum ætatis provectæ, tum valetudinis imbecillæ, tum etiam pauperiei, seu defectus expensarum, impedimenta, probabile neutiquam videretur, se longissimum ad Urbem iter superare posse,

dignaretur ſua Dominatio Illuſtriſſima ſupradictam *Copingeri* Appellationem faſciculo ſuo incluſam ad Cardinales *de Propaganda* mittere, literiſq; etiam ſuis Beatiſſimi Patris in ea cauſa ſecundam canones judicium impetrare: ubi inquam ita ſupplicatum ei fuiſſet, tantum abfuit ab aſſentiendo, ut confeſtim reſponderit, neq; Appellationem ipſam mittendam, neq; Procuratorem ſeu proſequutorem ejus admittendum, niſi primùm de reſipiſcentia, pœnitentia & palinodia ejus, idq; propriæ manus refixione conſtaret; ſeu, quod tantundem eſt, niſi primùm de retractatione condemnationeq; per eum, idq; propria manu ſubſcribente, facta, cum impietatis tum ſacrilegij iſtius horrendi, quibus in Hibernia olim damnatæ Formulæ ſubſcribendo ſe obſtrinxerat, haud minus evidenter liqueret.

Deinde verò ubi, poſt colloquia varia, tandem, ſerò licet, ab *Haroldo* animadverſum, qualiter credulitate nimia in piſcantium rete, venantiumq; laqueum ſeſe temerè conjeciſſet: neq; evadendi quapiam via alia quàm iſta, ſi tamen iſta refixionis, vel ſpem vel ſpeciem ullam, ne minimam quidem, apparere: ac propterea, ſeu quo nimirum vexatio tot annorum graviſſima, ne etiam æterna foret ſatageretur; antedictæ Formulæ, qua licuit, renun-

renunciatum ab eo fuiſſet vel propriæ quidem manus reſixione: attamen, poſt omnia, Internuncius ille nec renuntiationi arridere, nec favere appellationi, nec promiſſorum memor eſſe voluit; idq, nulla alia apparente cauſa, quàm quòd *Haroldo* clauſulam hanc (aut ſaltem, quod ſubſtantiam aut ſenſum attinet, hujuſcemodi) *Salva ſemper fidelitate mea in temporalibus Regi debita*, Retractationis ſuæ formæ vel inſerere vel adjicere libitum eſſet.

Præterea ubi nihilominus rurſum, & ſingulariter, & egregiè quidem *Haroldo* illuſerat. Quippe cum ei perſuaſiſſet, ut propriis literis, ad Vicarium Provincialem *Copingerum*, Bruxella in Hiberniam datis, eumdem efficaciter moneret oblati, promiſſiq, novi, ab Internuncio facti, videlicet ſi pendente Capituli Provincialis, quod inſtabat, ſuſpenſione ab eodem Internuncio facta, *Copingerus* ab officij ſui executione ceſſaret, fore ut non modò ipſe *Copingerus*, verumetiam quotquot ei parebant hactenus, tamquam appellationi ejus à Cardinale ad Pontificem interpoſitæ innixi, poſtea majoribus cum favoribus tum honoribus, vel in ipſo illo Capitulo; decorarentur; nimirum ut iſtud ipſum, appellationis cauſa prius *Romæ* deciſa, celebrari contingeret. Enimverò quam primum *Airoldus* ita, quod non ſolum intendera

derat, ſed maximopere concupierat, obtinuiſſet, nempe Ceſſationem *Copingeri* ab officio Provincialatus exequendo; ſtatim, id eſt nulla prorſus dilatione facta, neq; ulterius deciſione litis (quæ pendebat Romæ) expectata, & ſuſpenſionem ſuam antedictam revocavit, & alterius partis Fratres, hoc eſt Intruſores manifeſtos, ad Pſeudo-Capituli Provincialis celebrationem animavit, immo inſtruxit, impulit, præcipitavit, quamquam cætèra currentes ultrò; ne mentione quidem aut ipſius Copingeri, aut cæterorum partis ejus interim in Pſeudo-Capitulo iſto habita; certe niſi dedecoroſa. Tantùm aberat Illuſtriſſimus hicce Pontificis Maximi Internuncius à curando, ut, ſecundum oblata, promiſſaq; illa ipſiuſmet nuperrima, & ex ore quidem proprio ejus Bruxellæ ab Haroldo ipſo excepta, viri abundè creduli majoribus ſeu favoribus ſeu honoribus decorarentur. Atq; ita quidem Airoldus fidem Haroldo datam ſanctè obſervarat; ſcilicet quemadmodum Sanctæ Sedis Adminiſtrum & in Belgio Ablegatum decuit.

Quod autem Eminentiſſimos de Propaganda Fide Cardinales attinet; ut illud ſileam, quòd ab illis ceu directoribus unicis in toto hoc negotio, uti etiam in aliis quibuſlibet Internunciaturam iſtam quæ concernunt, adeoq; ab eorum non

tantum

tantum verbo, ſed nutu, Airoldus dependebat; iſtud certè nemo inficiari poteſt quod ipſimet Eminentiſſimi Domini literis ſuis ad eumdem Internuncium datis ſignificaverant, cujuſq; extractum ille Patri Haroldo dederat. Sic autem ſeſe ad verbum habet Extractum iſthoc.

Judicium Sacræ Congregationis
de propaganda Fide,
de rebus Patrum Copingeri & Haroldi.

In Copingerio illud compertum eſt potiſſimum, à viro verè reſipiſcenti diſerepare, quòd etiam nunc mandatis Patris Geanor reſiſtat, cum hactenus in ſuum Superiorem recipere illum noluerit; imò ſe, in Provincia Limiricenſi, ubi nunc degit, Vicarium Provincialem jactitare, Guardianos eligere, & alia præſtare, quæ ſunt muneris Superioris Generalis unius Provinciæ, non deſiſtat. Quæ omnia non ſunt viſa veræ reſipiſcentiæ argumenta.

In Haroldo non probatur omnino modus ſuæ ſubmiſſionis; ex ipſo enim non apparet quod verè illum pœniteat errorum ſuorum. Primò quia ipſe non prætendere id videtur, ut ſe ſubmittat, ſed velle potius, quod egit, tueri:, tamquam omnino innocens, non verò reus; Et tamen ejus Libelli examinati accuratè comperti ſunt alicui cenſuræ ſubjecti. Secundò, quia ejus retractatio captioſa eſt admodum, & artis plena; qua de re in aliquibus monitus, tamen ſenſus ſuos tueri voluit.

Ubi

Ubi advertere licet primò, Judicium iſtud neq; eſſe neq; dici poſſe Judicium quod vocant *Juris*: quoniam nec pro tribunali, nec à Judice quoquam in cauſa, ſive Ordinario, ſive Delegato pronuntiatum. Ad ſummum itaq; ejuſmodi judicium eſſe, quod vocant *Diſcretionis*, quali nimirum & alijs quibuſlibet hominibus de re quapiam licet, non ex authoritate aut poteſtate juris, ſed rationis vel opinionis propriæ dictamine, prout viſum fuerit, pronuntiare; etſi interim ligato nemine contra quem pronuntiatur. Secundò, & quocumq; nomine veniat, non cauſæ iſtorum Patrum per appellationem devolutæ, ſed rerum, & rerum quidem vel ab iſta cauſa planè alienarum, vel ſane de quibus queſtio nulla fuit, judicium eſſe. Tertiò, ne mentionem profecto vel minimam, ſive directam ſive indirectam, expreſſam aut tacitam, iſtius cauſæ in hoc judicio reperiri; adeòq; nihil ad rhombum. Quartò, ſine fundamento ſupponere, Patres eos (Copingerum & Haroldum) reſipiſcere debuiſſe, videlicet (ni fallor) quod Remonſtrationi ſubſcripſiſſent; quodq; inſuper Appellatione nixi priora munia exercere non deſtitiſſent. Nam in altero, Legum Divinarum præceptioni; in altero autem, Sacrorum canonum inſtituto & ſemetipſos & facta ſua conformaverunt. Quintò,

tò, Copingerum, non Generalis cujuſpiam officij, quale nullibi umquam aſſumpſit, ſed Provincialis jure, quod merito continuavit, ea feciſſe tam in Provincia *Limiricenſi*, quam alibi quæ fecerat. Eaq, propter Eminentiſſimos DD. quod eum attinebat, haud rectè informatos. Sextò, Haroldi Retractationem neq, ullo modo captioſam eſſe, neq, artis plenam, ſed religioſam & planam: quippe quæ clariſſimis verbis ut Formulam Remonſtrationis, ſive fidelitatem profitendi exoſam Romanis formam retractaverat: ita ſubſtantiam ipſam profeſſionis factæ, intactam nihilominus & per omnia ſalvam remanere voluerat. Septimò, & conſequenter quidem, ex hiſce ipſis animadverſionibus conſtare, quàm non revera iſti Patris *Haroldi* retractationi, ſed huic Eminentiſſimorum Dominorum de rebus PP. *Copingeri* & *Haroldi* judicio, captionis atq, artis conveniat ratio.

Denio, utroſq,, ſeu Internuncium & Cardinales unà ſine dubio concurrentes, quod ſpectat; Ubi tum judicium iſtud Sacræ Congregationis de Propaganda Fide, tum quæ præcedebant ſequebanturq, Haroldi facta, quemadmodum ſuperius data ſunt, pro merito ſecum Haroldus ponderaviſſet: ubi ſatur jam Romanæ Curiæ Miniſtrorum, ſatur juſtitiæ, religionis, fidei

fidei illius quæ Hibernos Remonſtrantes in *Loco Sancto* manet; detractiſq; adeo, ſquamis oculorum, plane & clarè perſpexiſſet, fruſtra ſe ulterius cauſam eam appellationis proſequuturum, quam Purpurati Patres ne audiendam quidem, certe non pro tribunali, ullo umquam tempore audiendam, apud ſe ſtatuerant: ubi idcirco à tua ipſius Reverentia, ut nimirum Commiſſario Generali Belgico, literas quas vocant *Obedientiales* licentiamq; abeundi in *Galliam*, atq; ibidem in Provincia S. *Mariæ Magdalenæ* ſub poteſtate Miniſtri Provincialis commorandi, quippe deinceps Deo & ſibi vacaturus, obtinuiſſet: ac demum, ſed poſt biennium aliud commorationis apud *Bottendalienſes*, anno 1674. ubi in platea publica *Bruxellenſi*, locum in curru, qui Pariſios ibat, conducturus (quippe podagricus & æger) jam jam fuiſſet: haud ignoras tu ipſe, Pater mi Reverendiſſime, quid ei contigerit.

Certè quemadmodum ex mandato Domini illius Internuntij, D. *Falconerij*, qui *Airoldo* ſucceſſerat, authoritateq; illorum Sacræ Congregationis *de propaganda Fide* Cardinalium, ibi palam apprehenſus; inde ad *Airoldum* ductus; tum ab eodem, aut certè per interpoſitam Guardiani Bruxellenſis perſonam, *Obedientiales* antedictas, ſeu licentiam tuam parentibus literis ſigillo,

loq, Magno Ordinis conceſſam atq, munitam, oſtendere juſſus; ac oſtenſis quidem in præſentia ſpoliatus; deniq, ſtatim ad Conventum qui ſub tua Paternitatis cura & Regimine Bruxellis eſt, amandatus, ibidem loci Vir grandævus & æger abſq, honore, abſq, ſolamine, inter eos quorum linguam non noverat, immò cum affecta ſæpenumero vel ad mortem quidem valetudine, quodq, intollerabilius adhuc innocenti & ingenuo viro eſt, non modo velut captivus; ſed velut criminalis, velut inobediens, velut refractarius & quid non præterea? jam triennium integrum detentus ſit, haud neſcire poteſ.

Præterea ſcis, non aliud *Haroldi* reapſe crimen (uti neq, ipſius *Coppingeri* aliud) eſſe, quàm quod naturali ſuo Regi abrogare nolit, qua in ipſo eſt, obedientiam quamlibet ab Hiberniæ populo in temporalibus debitam: atq, adeo neq, crimen ejus aliud reapſe eſſe, quàm quod *Caroli* II. *Britannici* ſive titulo ſive juri cuicunq, legitimo ad *Hiberniæ* Regnum renunciare nolit. Nec enim acumen tuum hactenus, ut Lectoris in Belgio jubilati, effugere potuit, idem reapſe vel crimen vel non crimen eſſe, Nolle obedientiam ab Hibernica Gente *Carolo* II. *Britannico* debitam abrogare, ac Nolle ejuſdem Caroli

ſive

ſive titulo cuicumq; legitimo ſive juri ad *Hiberniæ* Regnum renuntiare. Et illud iſtud, & iſtud illud, ſaltem ab Hiberno Remonſtrante declaratum, nec reapſe aliud quidpiam infert.

Dico notanter, *ab Hiberno Remonſtrante declaratum*; ut reminiſcare denuò, tantum abeſſe vel ipſius illius Remonſtrationis Hibernicæ Formulam (quam adeò exoſam Romani habent) à profitendo *in ſpiritualibus ullis* obedientiam Regi debitam eſſe; aut Regi vel jus vel titulum quemcumq; legitimum ad Hiberniæ ſpiritualia adminiſtranda competere; ut ne minima quidem mentio *Spiritualium* quorumlibet, & conſequenter neq; poteſtatis ſeu juſtæ ſeu uſurpatæ, neq; obedientiæ aut debitæ aut indebitæ, in *Spiritualibus* inquam, ullibi in ea ſive formaliter ſive virtualiter aut per conſequentiam ullam, fiat. Quare neceſſariò ſequetur idem reapſe prorſus utramq; nolitionem vel crimen vel non crimen, eſſe & neutrum, ut ab Hiberno Remonſtrante profectum ſive declaratum, aliud quidpiam importare.

Quin & illud inſuper conjectarium erit, *Haroldum* vel in præſentia quidem *Bruxellis*, haud ob aliud pati, quàm quòd antedictæ Clauſulæ illicita retractatione nolit reapſe profiteri, *Carolum* II. *Britannicum* nullo jure aut legitimo titulo Hiberniæ Regem

Regem eſſe, adeòq; nec alio modo Regem quàm quo *de facto* quiſpiam in quavis alia mundi parte eo nomine audit, audireq; poſſit qui *temporalium* pariter & *ſpiritualium* uſurpator tyrannuſq; purus putus eſt. Sanè ut nullus hominum jure vel titulo quovis legitimo aut eſſe aut appellari poteſt Rex: neq; ulla in univerſo orbe Gens alicui tamquam Regi obedientiam profiteri poteſt, niſi in ordine vel ad *ſpiritualia* vel ad *temporalia* jure Regio per eumdem adminiſtranda: atq; ut neq; *Haroldus*, cæterive Remonſtrantes hinc, neq; Miniſtri illi Pontificij inde, aut poteſtatem Regis cujuſcumq;, vel maximè legitimi juſtiſſimiq;, aut obedientiam ſubditorum ejus, extendere ſe ad alia quàm temporalia ſola agnoſcunt: ita, eumdem qui ab iiſdem Miniſtris *Bruxellæ* etiamnum, & idcirco tantùm patitur, quòd, in retractione ſua Formulæ, obedientiam in temporalibus Regi debitam, ſalvam fore velit, eundem inquam reapſe pati quòd *Carolum* II. *Britannicum* nullo jure ſeu legitimo titulo *Hiberniæ* Regem profiteri abnuat, neceſſe eſt ſequatur. Profecto, niſi ſi fortaſſis Miniſtros illos adeò inſanire quiſquam opinetur, ut ei quem ipſi faterentur jure ſeu legitimo quovis titulo Regem eſſe, obedientiam in iis quæ temporalia ſunt à Subditis non modò non præſtandam, ſed

puniendam quoq; ſi præſtatur curent, oſtendantq; inſuper & de facto punitam & in præſentia quidem adhuc puniri; *Haroldo* videlicet in ſcenam & exemplum adducto.

Cæterùm conſequentiæ iſtæ, quamquam revera ex connexione rerum & obviæ & juſtæ atq; neceſſariæ ſunt, ut ſint nihilominus quomodocumq; aut qualeſcumq; velis; illud, cum poſt, tum ante omnia, quod hujus loci intentum eſt, ex præmiſſis, hoc eſt hiſtoria nudâ facti abundè, & abſq; contradictione quavis poſſibili, demonſtratum eſſe conſtat. Nempe, Illuſtriſſimos atq; Eminentiſſimos D D. Romanæ Aulæ Miniſtros, Internuncium Bruxellenſem & Cardinales de Propaganda Fide, in omnibus & ſingulis quæ *Haroldo* promiſſa erant, fidem datam fefelliſſe, violaviſſe, contempſiſſe (niſi & irriſiſſe quidem) penitus. Utra pravarum artium effugio? An æquivocationis? An mentalis reſervationis? Anve potius propoſiti ſive diſſimulationis ab initio, ſive mutationis poſt ſequutæ; Ipſi viderint.

Mea quod hic tandem intereſt animadvertere, Alterum eſt, haud magis *Haroldi*, *Copingeri*, cæterorumq; Remonſtrantium fato, quam prædictorum Aulæ Pontificiæ Miniſtrorum opprobrio accidiſſe, ut præfatæ, quas tu ſecuritatis omnimodæ, ego plenariæ

plenariæ Amneſtiæ literas voco, nec defuerint cupienti, neq, tamen patienti, vel hilum quidem proſint. Alterum verò ejuſcemodi literas nihil minus rectè quàm ſecuritatis aut amneſtiæ literas vel à te vel à me appellari; quippe quæ revera muſcipulæ falſitatis, laquei malitiæ, retia, illicia, tendiculæ ſunt, quibus nimium piè vel crediili vel incauti & imprudentes capti, in foveam Romanorum cadunt: foveam illam tyrannicæ poteſtatis Miniſtrorum, foveamq, adeò unde non eſt redemptio; certè non niſi in manu forti & excelſo extentoq, brachio, aut aliquo ei non diſſimili quod impræſentiarum Chriſtianiſſimi Regis Gallorum eſt.

Quapropter, Herinxi mi, oblatione tua iſtiuſcemodi literarum ſecuritatis Valeſio facta, incaſſum niteris. Neq, Valeſium ipſum illicis, neq, cauſam ejus apud alios labefactas: ſaltem apud nullos quibus vel Haroldi fatum aliquando innotuerat, vel aliorum eadem arte & ab eadem Curia illaqueatorum hiſtoriæ lectæ ſunt.

XXXIV.

An autem in articulo proximo, qui reſponſionis tuæ ad rationes meas extremus eſt, felicior, fortiorve ſis, reſtat videre nunc. *Quod autem* (inquis) *allegetur ra-*

tio Status, quasi fas ideo non foret Regno egredi, frivolum apparet in viro Religioso: quotusquisq; enim legibus his alligatus, etiamnum Nobilis aut Princeps reperitur; qui licentiam tantisper exeundi seriò petitam non obtineat? Verum & hic quoq; animi tui candorem vehementer desidero, Præsul Reverendissime. Planè cum ista Secretario tuo dictabas, non poteras vel in eo ipso quidem Epistolæ illius loco ad quem respondebas, non animadvertere, ut *Valesius* latentem hic suppositionem tuam, plenè, in antecessum, obstruxerit, præverterit, everteritq;. Locum illum novisti ita se habere: *Id enim hic scire Paternitatem tuam Reverendissimam convenit, Quod expresso Regiæ Majestatis præcepto, dudum (hoc est, quadriennium vel quinquennium integrum) ante citationes, sive priorem anni* 1669. *sive posteriorem anni* 1670. *ad me ex Belgio datam, inhibitum fuerit cum Valesio tum Carono, obedientiam ullam citationibus præceptisve ad ultramarinas partes, extra Regis Dominia, evocantibus præstare. Illud præterea, Deo ipso teste, hic affirmavero, & Paternitatem tuam monuero, quoniam hoc similiter te scire convenit, nempe Inhibitionem istam Regiam, quod Valesium attinuerat, invito quidem & maximopere reluctanti factam; utpote qua poterat sive sua ipsius propria, sive aliena potentium amicorum opera,*

ra, & eo quidem ipso tempore quo facta fuerat, & per quinque integras hebdomades antè, licentiam trajectionis in Belgium à Majestate Regia sollicitanti. Et tamen tu (Reverendissime Pater) ut huic loco respondeas, absq; ratione, absq; fundamento ullo videri vis supponere, Numquam *Valesio* licentiam tantisper è Regno egrediendi *seriò* petitam. Scilicet; quasi crederes *Valesium* & conscientiæ & æstimationis suæ adeo prodigum, ut etiam invocato in testem omnisciente Deo, idq; scripto pariter & prælo palam, neq; semel tantùm id, sed multoties quidem ab anno 1663. auderet Majestati Regiæ quod nequaquam erat imponere. At nemini Reverentia tua in hac parte imponet. Nemo Paternitati tuæ credet, *Valesium* adhuc eò insanisse. Præterea, supersunt adhuc qui testes omni exceptione majores sunt, Quòd *serio* mecum per quinque septimanas Illustrissimus D. de *Aubigni* Cognatus Regis & Magnus Reginæ Eleemosinarius, eamdem à Rege licentiam mihi, in Belgium proficiscendi, enixè sollicitarit. Quippe qui eo ipso tempore ad Cardinalitiam dignitatem aspirans, rogatus per literas ab Illustrissimo *Hieronimo de Vecchijs*, tunc apud Belgas Internuntio, negotium istud promovere, vehementer cupierat *Valesij* in Belgium transitu Romanæ Curiæ gra-

tiam aucupari. Immò ſanè, neq, Excellentiſſimo ipſi *Ormoniæ* Duci, *Hiberniæ* Proregi, adhuc memoria excidit, qualiter mea ipſius tunc, in eâ re, cum importuna tum continua ſollicitatione, ipſummet, quamvis cæterà averſiſſimum, ad aſſentiendum nihilominus tandem, qua in ipſo erat, pertraxerim. Deniq; rurſus in conſpectu omniſcientis Dei vivi ac veri juro, nihil me (quod meminerim) in vita mea umquam ante, vel dolentiùs quidem excepiſſe, quàm inhibitorium iſtud Regiæ Majeſtatis Decretum: quod, ceu reſponſum ad petitionem meam, idque poſt tam ſeriam diuturnamq, ſollicitationem, in Concilio Regis Secretiori ordinatum, Illuſtriſſimus idem D. de *Aubigni* quantumvis & ipſe quidem anxio id animo, coactus tamen eſt authoritate Regis, *Valeſio* pariter & *Carono* ſignificare: videlicet, Ne Regno *Angliæ*, quoquam terrarum, extra fines Britannici Imperij, auderent ire. Quibus inſuper ſi adjecero, ut poſtridie *Valeſius*, per eumdem Dominum de *Aubigni* ad Cancellarium illum totius Angliæ Magnum accerſitus, ab eodem Cancellario velut primo Sacræ Majeſtatis Adminiſtro, acerrimè, atq, in ſpiritu vehementi quidem, exceptus fuerit: plura fortaſſe dixero quam non modo ad propoſitum abunde erit, ſed Reverentia tua libens

audire

audire velit. Enimverò ſtatim ut comparui, non quo ſolitus erat blando & affabili, ſed irato ac indignabundo vultu pariter & voce in hæc verba erupit. *Ecquam Pater Valeſi hominem in te habemus? An diſcretum? An prudentem, uti hucuſq; putabamus? Immo potius inſanum. Qui ſalvo conductu, neſcio quo, aut Internuncij Belgici, aut Gubernatoris Hiſpanici, in laqueum atque præcipitium certum volebas te conjicere. Quid? Quod neq; ſalvi conductus Imperialis olim Conſtantiæ à Patribus violati hiſtoria vetus, neq; tuarum ipſius Madriti perpeſſionum memoria recens terrebat te. Quod ne animadvertebas quidem, ut cauſam tuam, quæ modo eſt, oporteat infinitis pene gradibus Romanæ Curiæ exoſiorem eſſe priori illa, pro qua nihilominus haud ita dudum perpeſſus es; adeoq; & eamdem Romanam Aulam oporteat nunc non modo iratam, nec modo exaſperatam, exulceratamq;, ſed incenſam, ſed intentam penitus ad perdendum te. Quid? Quòd neq; reputabas, ut in ſupremam perdilectæ eorum tyrannidis arcem involaſſe, nemini unquam hactenus, qui in ipſorum manus incidit, impunè fuerit: neq; apprehendebas controverſiam tibi nunc cum illis eſſe, quibus maximopere in prætio eſt Diverbium: Dolus, an Virtus, quis in hoſte requirat? Hominem verò ita rerum ſuarum omnium, quas mortali cuilibet vel naturalis ipſa ratio imprimis di-*

ctat habendas cordi, negligentem; adeòq; tum libertatis tum salutis vitæq; suæ prodigum, nos discretum, prudentemve posthac existimabimus? Per Deum immortalem, si quocumq; modo rursus in manus eorum deveneris, actum de te erit. Eundem errorem non errabunt illi denuo, liberum aut incolumem dimittendo te. Neq; umquam tu aut Angliam aut Hiberniam videbis denuo, muniare licet salvis quibuscumq; conductibus. At Clementia Regia, ut sperare licet, fatum isthoc prævenit, consultius de te statuendo, quàm tu ipse cupieras. Et hæc quidem inter multo plura ille.

Quibus sive Reverentia tua assentiatur, sive non, perinde erit. Satis superq; dicta sunt ante, quæ homini cuiquam, non voluntarie præpossesso, intentum suadeant, persuadeantq; prorsus; hoc est, per Valesium à Majestate Regia licentiam in Belgium trajiciendi *serio* petitam. Ubi tamen advertere licet, *Valesium*, ad ejuscemodi licentiam sive seriò sive non seriò petendam, nullo jure, divino vel humano, fuisse obligatum, ne postea quidem quàm citatus erat. Aliunde suppetebant ipsi, quemadmodum ex superioribus liquet, & multiplicia & clarissima quidem argumenta, quæ, secundum sacrorum canonum institutiones, ipsum à comparendo in partibus ultramarinis, abundè excusassent, etiamsi

amsi inquam inhibitio Regia numquam interceſſiſſet.

Cæterùm an è ſola iſta ſuppoſitione falſa, nimirum licentiæ non ſerio petitæ, an verò etiam è principijs quibuſdam Theologiæ tuæ ex æquo male ſuppoſitis, Reverentia tua dicit, Rationem Status, ſeu, quod tantumdem hoc loco eſt, Inhibitionem Legis pariter ac Regis, atq; obedientiam utriq; (in ijs quæ juriſdictioni Regiæ ſubſunt) præſtitam allegare, frivolum apparere in viro religioſo: haud ſatis mihi ex verborum tuorum involucro conſtat. Illud ſcio, quòd neq; Gentium Apoſtolo, Paulo, neq; expoſitori ejus clariſſimo & ſanctiſſimo, cui cognomento *Os aureum* eſt, obedientiam in ejuſmodi rebus Majeſtati Regiæ viros etiam quoſlibet Religioſos vel præſtare vel præſtitam allegare, videatur frivolum. Non illi, cum ad Romanos ſcribit, *omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus oportere ſubditam eſſe, idq; non ſolum propter iram ſed propter conſcientiam*, &c. Non huic, ubi *neq; ſacerdotes, neq; Monachos quidem viros tuos Religioſos immò neq; Apoſtolos, neq; Evangeliſtas, neque Prophetas, neq; alium quemvis ab iſta ſubjectione immunem quocumq; privilegio reddi*, facundiſſimè & Chriſtianiſſimè docet. Ac ut innumera alia ejuſcemodi ad propoſitum

Rom. 13. 1
Chriſoſt. ibid. Serm. xiii.

ſitum loca, in Scripturis Sanctis veteribuſq; Patribus nota, præteream, video in ipſo Jure noſtro Pontificio, haud *frivolum*, ne in Epiſcopo quidem, Metropolitani ſui indictione, ad Synodum citato, apparere, quod abſentiæ ſuæ excuſandæ cauſa *rationem* tuam *Status*, i. e. præceptionem vel inhibitionem Regiam pro ſe alleget. Immò vidiſti ipſe, vidit *Belgium*, agnovitq; *Roma*, citatos ex Belgio Romam, non ita pridem, ſed anno circiter abhinc duodecimo, ac citatos quidem ab ipſo Pontifice Maximo, Archiepiſcopum *Mechlinienſem*, *Gandenſemq;* Epiſcopum; nec alio ſe argumento reapſe quàm inhibitione Legum pariter & Regum à parendo excuſantes, nihil tamen in ea parte quod *frivolum* erat allegaviſſe. Quod ſi in *viro* tuo *Religioſo*, ſtrictè nimirum ſumpto, id eſt Inſtituti cujuſpiam Regularis viro, inſtantiam cupis; primùm remitto te ad *Statum Venetum*. ubi anno 1606. non unus nec alter, ſed Milleni, etiam tui ipſius Fratrum Minorum Ordinis, viri Religioſi erant, qui Pontificis Maximi *Pauli* V. ſententijs cum excommunicationis tum Interdicti repugnantes, neq; aliam pro ſe rationem afferentes, quàm, quæ ipſis facta fuerat, Senatus ſui Inhibitionem; a nullo tamen Superiore, à nemine prorſus (ſaltem à nemine extra parvum iſtud Papæ Territorium quod in Italia

Italia eſt commoranti) rationem iſtam apparuiſſe in ipſis *frivolam.* Dehinc remitto te ad integras tredecim *Nationis Gallicæ* Provincias, quarum Miniſtri Provinciales & Cuſtodes; quamquam & Indictione Generali, & præcepto Regulæ noſtræ ſpeciali *, eoq; ſub pœna quidem peccati mortalis obligante, aſtricti (haud minus quàm cæteri per Orbem Miniſtri Cuſtodeſq;) Capitulis omnibus Inſtituti ſui Generalibus tamquam Vocales intereſſe, à Noviſſimo tamen Capitulo Generali quod *Romæ* hoc ipſo anno ultimo 1676. in feſto Pentecoſtes tentum fuit, abſentaverunt ſeſe omnes univerſim, neq; pedem unum eo profecturi extra *Galliam* poſuerunt; quippe *rationem* tuam *Status,* hoc eſt Regis Chriſtianiſſimi *Ludovici* XIV. Inhibitionem, neq; aliud quicquam, in excuſationem ſui allegantes. In quibus tamen, etſi (etiam in ſenſu tuo ſtricto) *viris* utiq; *religioſis,* quod ita ab ipſis allegatum erat, neq; præfati Capituli Patribus qui convenerant, neq; Cardinali Eminentiſſimo qui eidem præerat, neq; Pontifici ipſi Maximo qui ſupra omnes eſt, apparebat in ipſis *frivolum.* Deniq; ut infinita alia exempla intento noſtro hic deſervientia, quæ paſſim (extra Ditiones Pontificias, Italiæ parva parte

* *Reg. S. Franciſci.* cap. viii.

parte circumſcriptas) reliquæ Orbis Chriſtiani Provinciæ miniſtrant, ſileam, remitto te (Herinxi Reverendiſſime) ad teipſum ſemel. Statue ſemel & te Valeſij, & Carolum Catholicum Caroli Britannici loco. Imaginare te Gulielmum Herinx Commiſſarium Generalem Belgicum Iprenſemq, Electum, ab una parte iſthinc vel Edicto Generali vel ſpeciali mandato Regis tui Catholici ſubjacentem, quo nimirum ſub Majeſtatis læſæ pœna vetatur tibi è Flandria (quoquam terrarum, ſaltem extra Imperij Hiſpanici fines) egreſſio; ab altera verò parte illinc, vel à Pontifice ipſo Maximo & Beatiſſimo Romam peremptoriè citatum, idq, (ut moris eſt) ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœna ipſo facto incurrenda. Porrò & ſuppone ſemel te (quod in iſto caſu indubiè foret) excuſantem te Pontifici Maximo *ratione* tua *Status* allegata. Ac permitte demum à te peti, An frivolum in te, *viro* utiq, *Religioſo*, appareret, quod ita allegares? Sed hæreo nimis in re alioqui per ſe clariſſima.

XXXV.

Ad interrogationem tuam, etſi poſt hactenus dicta ſuperfluum ſit reſpondere; ne tamen cauſeris quicquam prætermiſſe non

non animadverſum, Reſpondeo, videri mihi hic, Reverentiam tuam voluiſſe (quemadmodum Sagæ ſolent) nebulam obſcurando ſoli excitare. Sed operam ludis. Eſto enim concederetur, nullum omnino Laicum, neq; Principem, neq; Nobilem, immo ne plebeum quidem eſſe, qui licentiam peregrinandi, non autem ſubjiciendi ſe judicio exterorum cauſa, ſeriò petitam non obtineat: hincne conſectarium erit, Eccleſiaſticos eos paucos quibuſcum, ideò tantum quòd agnoſcunt Regem Supremum ſuum in temporalibus de jure Dominum, ingens Romanæ Aulæ controverſia eſt, quiq; proptera jam per multos annos ab eadem Aula mirum in modum divexati, modò autem & vocati, citatiq; in Belgium, cupiunt eo trajicere, nimirum in judicio ſive Tribunali Pontificio illic reſponſuri, eos inquam à Majeſtate Regia licentiam, quantumcumq; ſerio petitam, obtenturos? Næ tu Herinxi Reverendiſſime, dum ita colligis, toto cœlo erras. Diſparata ſunt quæ conjunguntur ita. Immò tanta eſt utrimq; rerum ac effectuum diſparitas, ut obtentam illam Laicis licentiam nihil prorſus incommodi (ſaltem ex rei ipſius natura) conſequatur: iſtam vero Eccleſiaſticis obtentam (ſupponamus enim ſemel, jam obtentam) plurimum. Niſi ſi fortaſſis neq; iſtam obtinenti

nenti, dolendum ſerò non erit, in prædicta cauſa *Bruxellis* coram Judice ſeu Miniſtro Pontificio comparuiſſe: neq; eamdem concedenti, infauſtum, infelix, indignum maximè, velut maximè contra ipſius Majeſtatis Regiæ dignitatem, non videbitur eſſe, id ut foret, licentia Regia permiſiſſe. Taceo quòd hoſpitem ac peregrinum, in ea etiam quæ *Angliæ* Tribunalium omnium quotidiana praxis eſt, interrogatio tua te oſtendit. Nihil hic frequentius, nihil notius, quàm quotidie penè ad unius privati hominis, ad unius vel creditoris vel litigatoris cujuſcumq; inſtantiam, contra adverſarium de fuga è Regno ſuſpectum, exire mandatum illud ſeu Inhibitorium Regium quod ab effectu & fine vocant *Ne exeat Regno.* Numquam verò non modo non privatum, ſed neq; Nobilem neq; Principem, iſtjuſmodi Inhibitorio ſubjacentem, obtinere licentiam poſſe, niſi primùm Actori, ſecundum Leges Regni ſatisfiat. Ac ut omnia paucis complectar, occurrit illud Oratoris, *Quid verba audiò cum facta video?* Jam ante vidimus, ut de *facto* hic, jamdudum conſtiterit; ſeu ut petitam quantumcumq; *ſerio* licentiam iſtam prò *Valeſio*, ne cognatus quidem Regis obtinere potuerit; etſi interim nonnihil ſua ipſius intereſſet, in ea parte apud Majeſtatum Regiam

am prævalere. Quorſum igitur, ex alienis & nihil concludentibus contra *factum* notum argumentando, aerem inaniter feris?

XXXVI.

Atq; ita demum ſuperatis omnibus Reſponſi tui ſeu momentis ſeu anfractibus, reſtat videre nunc ut addis colophonem. *Itaq; miſerere animæ tuæ*, (inquis) *& canos in pace deduc ad Sepulchrum. Spondere auſim nihil nocumenti, ſed multum gloriæ apud Deum & homines acceſſurum, oblitteratis præteritis, ſi mente ad bonum compoſita, obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ (ut de Eccleſia nihil dicam) memor, ad ſinum meum paternum convolaveris. Deus ſcit quod non mentior. Illum rogare non deſinam, ut non declinari deinceps ſinat cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Memor eſto unde exciderit, & pœnitentiam age.* Scilicet parænetice, in ſpeciem quidem; at ſecundum rerum veritatem, artificioſè, injurioſè, impertinenter. Nimirum ex præmiſſis undiquaque falſis (quales eas eſſe, demonſtratum eſt) infamiæ jugis characterem cupiens ad finem epiſtolij tui Valeſio inurere. Quapropter etſi bonum & ſalutare conſilium tuum iſtud, *animæ meæ ut miſereär*, agnoſco libens:

bens: nequeo tamen non videre, ut apparet neq; bene, neq; pertinenter quidem hic, aut illatum aut *Valesio* datum. Quanto autem liceat ipsi tum pertinentius tum justius quoq; Paternitati tuæ nunc reponere vulgatum illud, *Medice cura teipsum*: haud amplius patiuntur in medio esse quæ hucusq; observata sunt. Quare, Pater mi Reverendissime, à canis meis, deductioneq; mea eorumdem in pace ad Sepulchrum, converte paululum cogitatus tuos ad teipsum, Vide an non etiam incanueris ipse. Et si sic; ut tua quoq;, immò vel maxime quidem tua interfit, per Valesium te, de teipso in pace ad Sepulchrum deducendo admoneri. Sin minus; ut verendum tibi valde sit, nempe ob injustitiam tuam, & Vallisoletanam, & Londinensem, & quæ sequuta sunt sive ex hac sive ex illa, sive ex utrisq; reliqua omnia in viros pauperes innocentes, viros fratres tuos Religiosos, & Valesium imprimis, atq; ob impœnitens cor tuum, ne te justissimus universorum Judex in dimidio dierum tuorum ad tribunal suum vocet. Verùm, ut & ego rursus ad me revertar, planeq; & sincere aperiam Reverentiæ tuæ quod introrsum sentio, ceu meipsum in præsentia spectans: Protestor coram Deo & electis Angelis ejus, Quod pro intellectu quem ille dedit, seu (quod idem est) pro syntereſi, conscientia, apprehensione, captu meo qualicumq; nec-

dum

dum videò, ut doctrinis veſtris a-catholicis in praxi conſentiens, poſſim aut animæ meæ ut debeo miſereri, aut canos meos ut oportet in pace Chriſti deducere ad Sepulchrum. Nec tamen interea diffiteor me jamdudum animadvertiſſe, ut contra poſſim in pace mundi vobiſcum habita dies meos complére. Immò illud quoq; in eadem Dei præſentia ſanctiſſimè profiteor, me omnino pacem iſtam veſtram hactenus, illi quæ ſupra omnem ſenſum eſt, poſt habuiſſe vel ea equidem ceu unica, aut ſaltem præcipua ratione motum, ne nimirum condemnante me vel conſcientia mea propria quidem, neceſſa io expectandum mihi poſt omnia eſſet ad Inferos deſcendere, eò ſcilicet *ubi vermis eorum non morietur, neq; extinguetur ignis.*

Quæ cum ita ſint, quorſum (oro) ſpondere auſis quæ tu hic? quorſum iſtæcce tua vanitatis verba, *Nihil nocumenti, multum gloriæ, obliteratis prioribus?* &c. Quorſum conditio mox annexa, cum *Obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ (ut nihil* dicas *de Eccleſia)*; tum *convolationis ad paternum tuum ſinum?* Quorſum inquam ſeu illa ſeu iſta, oro? An fortaſſis, ut aucupem illum in apologo S. *Joannis Damaſceni* * imitere? Verùm, ut ejuſcemodi au-

* *Hiſtor. Barlaami & Joſaphati.*

cupium ne ſuſpicari quidem de Reverentia tua liceat. Atq; in præſentia ut concedam potius, & ſponſionem illam, & conditionem iſtam, & quæ ſequuntur alia hic ad ultimum uſq; epiſtolij tui verbum, ex interno animi tui ſenſu, bona fide, abſq; dolo malo, abſq; fraude quapiam ſive æquivocationis, ſive reſervationis cujuſlibet, Secretario tuo dictata. (Id enim appellanti ad ſcientiam Dei quod non mentiaris, neſcio cur non concedam modo.) Ut concedam quoq; nunc, In poteſtate tua ipſius fore tum *priorum obliterationem*, tum *paterni tui ſinus* oſtenſionem, abſq; dependentia qualibet ab alijs te majoribus qui regunt te. Porro etiam, quâq; rem præſentem ſpectat, ut concedam, Neq; periculum ullum, aut internæ aut externæ mutationis in teipſo à bona fide ad malam, fore: adeòq; nec Haroldi fatum, nec Tractatus tui Londinenſis fraudem præjudicio eſſe ſponſioni tuæ hic. Ut concedam (inquam) hæc omnia nunc; interea certe nihil video quod animam meam coram tremendo illo animarum Judice liberet. Quando nimirum aperientur, evolventur, examinabuntur Libri. Quando diſceptantibus invicem cogitationibus unuſquiſq; è Libro conſcientiæ propriæ judicabitur. Quando neq; Commiſſarij Belgici, neq; Internuntij Apoſtolici, nec Romani

mani Cardinales, neq; Pontifices ipſi Maximi pro Valeſio reſpondebunt. Sed ipſum ſolum, nudum, patrocinio alio quàm conſcientiæ ſuæ deſtitutum, oportebit pro ſe reſpondere. Demum quando & mihi & tibi & quibuſcumq; alijs, apparebit non modò Sapientis præmonitum, *In cogitationibus impij interrogatio erit*; ſed & Apoſtoli documenta, *Omne quod non ex fide eſt, peccatum eſt*; &, *non ſolum qui talia faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte*, quàm indubie vera ſunt. Itaq; rurſus oro, quorſum hæc tua ſive ſponſio temeraria, ſive conditio fallax? quorſum verba vanitatis utrobiq;?

Sap. 1. 9.

Rom. 14. 23.

Rom. 1. 32.

Fruſtra es *Herinxi* Reverendiſſime. Non ſponſionum, neq; conditionum quarumcumq; lenocinio, ſed rationum pondere, reſpondendum utiq; ac perſuadendum erat. Et *Valeſius* quidem tum factis tum rationibus luculentiſſimis, & divinis pariter & humanis legibus, & canonibus Eccleſiarum, & Franciſcani Ordinis Conſtitutis, & ipſa quoq; Seraphici Patris *D. Franciſci* Regula, quam utrimq; vovimus obſervare, intentum ſuum oſtendit, aſſeruit, evicit, confirmavit: idq; non tantùm varijs ad *Ridderum* illum (bonæ memo-

riæ) prædeceſſorem tuum ſeu privatis literis, ſeu publicis Inſtrumentis: nec tantùm alijs poſtea ad Reverendiſſimum Patrem *Franciſcum Maria Rhini* (totius Ordinis Miniſtrum in Capitulo Generali *Valliſoletano* factum) quas dederat literis: immò nec ea ſolummodo quæ deinde ad Patrem *Haroldum* & data pariter & impreſſa jamdudum fuit Epiſtola ejus Prima: ſed & duplicibus jam ad teipſum quæ ſcriptæ ſunt. *Herinxius* autem Reverendiſſimus, quamquam facta illa, canones, leges, conſtituta, Regulam, rationes, non poterat antehac, ſaltem in Epiſtola iſta ejus ad Haroldum ſcripta, evulgataq; typis, non legiſſe jamdudum, ad ea tamen omnia ne verbum quidem reponit. Altum de omnibus in epiſtolio tuo ſilentium: nempe quemadmodum Prædeceſſoris fuit, ac Romanæ Curiæ Miniſtrorum moſq; ſtiluſq; eſt, ubi nequeunt objectà diſſolvere. Et officio quidem tuo, in hac parte, ſatisfactum a te videri vis, quod ſolutionis, inſtructionisq; loco *ſpondere auſis nihil nocumenti, ſed multum gloriæ*, & cætera quæ ſequuntur. At immane, quantum voluntas tua rurſum hic impingit! Nihil hic de te videtur minus, quam artificio iſto te, vel in minima quidem parte, officio tuo ſatisfeciſſe. Præterquam quod Valeſij judicio, in omnibus & ſingulis multo aliter

ſe

ſe res habent, quàm Paternitas tua hic vel ſpondere primùm auſit, vel poſtea cupit inſinuare. Adeo Valeſius *nihil nocumenti, ſed multum gloriæ* ex conditione adjecta, ſenſuq, tuo ejus, ſi ipſe morem gereret, acceſſurum ſibi, non videt: ut contra videat ingens nocumentum, & nihil gloriæ neq, apud Deum neq, apud homines, orturum inde. Alterum quippe, ſive nocumentum, quod ſpectat, cum *vermis ille qui non morietur, & ignis qui non extinguetur*, tum quæſtio hæc ipſius Domini Salvatoris, *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* occurrit identidem cogitatui ejus. Alterum verò, ſive gloriam quod ſimiliter attinet, ni fallor, Apoſtoli ad Corinthios de ſe prædicatio, quæ ſit Chriſtiani hominis gloria, ſufficienter ipſum ad monet. Nam *gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia carnali, ſed in gratia Dei, converſati ſumus in hoc mundo, abundantius autem ad vos.* Quare ut detrimentum illud animæ nemo mihi perſuadeat *nihil nocumenti* fore: ita gloriam hanc Chriſtianam, veracem, permanentem, quæ jam triginta ſex totos afflictionis meæ annos (ab incœpta ſcilicet inter Hibernos priori illa cum Romanæ Aulæ Miniſtris, circa

censuras Illustrissimi *Joannis Baptistæ Rinuccini*, controversia) ad hunc usq; diem me & comitata & consolata est, non facile patiar, pro fallaci, evanida, mundana ista quam tu *spondere ausis*, commutatum iri. Cujusce commutationis quo minus sit periculi, scias velim, omnino constitutum apud me esse, nequaquam amplius experiri quàm paternus mihi finus tuus foret, qui Reverendo Patri *Haroldo* eumdem abundè jam experto nec paternus nec fraternus est. Ut nihil interim de periculo certo corporis, nihil de libertatis (ejusce aio quæ Religiosum virum deceat) per totam vitam reliquam amissione, dicam.

Veruntamen speciale quiddam, adhuc supereſt, quod non tantùm conscientiæ bonæ & gloriæ veræ plurimùm interest ne contingat; sed præterea longe maximi in se momenti est, quodq; adeò præterire neq; debeo neq; volo. Nimirum, ut è Valesij *ad paternum sinum tuum convolatione*, id ist (reapse, in sensu tuo) è Valesij indignissima, viliſſima, turpissima submissione, retractatione, palinodia, non modò Hiberni omnes quotquot sive olim in prioribus, sive nuper in posterioribus Hiberniæ controversijs pro justitia, hoc est obedientia, fidelitateq; Regi debita, perstiterunt, sed Catholici omnes, cujatescumq;

teſcumq, & ubicumq, ſunt per Imperium Britannicum late diffuſi, haberent quod merito quidem in memoria viri, idq, tam ante quam poſt mortem ejus, averſarentur, execrarentur, abominarenturq,. Nam convolatio iſta, factum iſtud perfidiſſimæ ſubmiſſionis meæ, & patriotas, fratres, ſocios illos meos univerſim, qua vivos, qua defunctos, quaq, inquam in me eſſet, iniquiſſimè damnaret: & eoſdem rurſus, unaq, cæteros Catholicæ Fidei per tria Regna profeſſores, planè ſuſpectos & inviſos cum Eccleſiæ tum Statui Anglicano redderet. Immò ſane, Conſiſtentiam nullam fore inter ſalutem hinc incolumitatemve Regis aut Regni à Romana Communione alieni, atq, hinc Libertatem (ſeu à pœnarijs legibus immunitatem) ejuſce fidei profeſſorum quorumlibet, ſaltem ſacerdotum, probaret, ijſq, certo perſuaderet quorum in poteſtate eſt rogata lege novâ etiam Catholicos omnes tollere. Profectò ijſdem viris præpotentibus, Comitiorum hujus Regni Generalium tam in Domo Supera quam Infera ductoribus, ex illo (ſi contingeret) *Valeſij* facto, in promptu foret argumentum hocce. 'Si 'de quoquam è tota tribu ſacerdotali, Re'ligionem Romanam in cæteris non ab'jurante, præſumendum foret, quod in 'profeſſione fidelitatis atq, obſervantiæ,

'illius ſaltem quæ in temporalibus Maje-
'ſtati Regiæ debetur, perſeveraret ad finem
'uſq; is maximè *Valeſius* eſſet. Utpotę qui
'experimentum ſui longè maximum per lu-
'ſtra ſeptem dediſſet: infinitas interim vex-
'ationes, moleſtias, perſecutiones, pericula
'omnis generis in *Hibernia*, *Hiſpania*, *Bel-*
'*gio*, *Anglia*, conſtantiſſime & fortiſ-
'ſime ſuſtinendo. Atqui ille ipſe poſt
'omnia tandem Pontificiæ Aulæ vel faſ-
'cino vel potentiæ ceſſit. Ille ex Anglia
'in Belgium, & ultroneè quidem, exceſſit.
'Ille Miniſtro Pontificio ibi nuper ſe ſub-
'miſit. Ille fidelitatis profeſſionem Regi
'toties vel impreſſis quidem Libris factam,
'retractavit, abjuravit, condemnavit. Ille
'uno verbo palinodiam turpem cecinit.
'Quare ut fruſtra nobis expectare licet,
'quempiam poſthac iſtiuſce gregis um-
'quam, in fidelitate ſive Regi ſive Regno
'debita perſeveraturum uſq; ad finem, niſi
'abjurata palam in omnibus Romana com-
'munione: ita conſiſtentiam ullam fore
'inter ſalutem noſtram hinc, & hinc illo-
'rum inter nos libertatem abrogatione
'pœnariarum legum, fruſtra conabuntur
'vel ipſi vel alij nobis perſuadere.

Et hoc revera ejuſcemodi argumentum foret, cui non video qualiter in rerum circumſtantijs ævo noſtró ſatisfieri poſſet. Nec profecto alijs, quàm plane ignaris eorum

rum omnium quæ toties à reſtitutione Regis, præſertim anno 1661. in Domo ſupera Parliamenti hic, de conſiſtentia pariter & libertate ſeu abrogatione illa pœnalium Legum, publicè in utramq; partem diſputata ſunt, dubium eſſe poteſt, Zelatores omnes prædictarum Legum, eoſdemq; adeò libertatis dictæ impugnatores acerrimos, non modò auidiſſimè arrepturos, urſuroſq;, ſed & vehementiſſimè quidem amplificaturos idem prorſus iſtocce argumentum; ſi fortaſſis inquam ullo tempore poſthac, quod cupis, in ſenſu tuo contingat, Valeſium ad *paternum ſinum tuum convolare.*

At favente Deo bono Valeſius, in animam ſuam, iſtuc facinoris impij non committet. Maculam iſtam ſenectuti ſuæ non inuret; ne *Hoſij* quidem illius magni *Cordubenſis* lapſu * in excuſationem ſui adducto. Non cives, non gentiles, non ſocios, neq; vivos neq; defunctos, dementia iſta contriſtabit. Non quibuſlibet per Imperium Britannicum Romano-Catholicis, in eo quod juſtum eſt allegando, contradicet. Neq; hos, neq; illos affliget, miniſtrato Adverſarijs novo eo telo quod *Herinxius*, qui non compatitur *ſuper afflictionem*

* *Vid. S. Athanas. ad ſolit. pag.* 651. *Et Fauſtinum & Marcellinum in Libel. prec. pag.* 14. *Edit. Oxon.*

nem Joſeph, miniſtrandum ipſis reapſe vult. Atq, ita (Reverendiſſime Pater) vel ſpeciale quidem illud ſufficienter expreſſum habes, quo (etiamſi aliud non foret, ut plurima ſunt) unà cum Valeſio tandem clariſſimè videas, nec videas modò, ſed agnoſcas, *Nihil gloriæ, ſed multum nocumenti cum apud Deum tum apud homines, acceſſurum ei fuiſſe*, ſi in ea re geſſiſſet Paternitati tuæ morem.

XXXVII.

Igitur nunc ad ſuggillationem tuam mei, ſive mentis & memoriæ meæ, venio. Quò enim inſeruntur conditioni tuæ iſtæc, *Mente ad bonum compoſita*, &, *Obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ (ut de Eccleſia nihil dicam) memor*, niſi ad ſuggillandum me, tamquam hactenus & à bono averſum, & obedientiæ illius quàm Ordini Franciſcano & Eccleſiæ Catholicæ debeo, inmemorem? At ne hic quidem proficis. Compoſitio iſta, impoſitio cæca: & bonum iſtud, apertè malum: ac obedientia à te intenta hic, falſo utiq, ſic dicta, ſed vero nomine Inobedientia pura puta; adeòq, non virtus, ſed vitium & crimen ingens, idq, reapſe cum in Religionem Seraphicam, tum in Eccleſiam Catholicam; quippe quæ non modo contra diſciplinam Ordinis,

Ordinis, & Eccleſiæ canones, & Regulam Sancti Franciſci, ſed & contra Evangelium Domini, & lumen ipſum rationis, eſt. Equis enim inficiabitur, alius modi obedientiam eam eſſe, quæ Inferiori contra Superioris mandatum præſtatur? Aut Superiorem alijs quibuſlibet Superioribus, etiam Eccleſiaſticis, ubicumq; degunt, vel cujateſcumq; ſunt, Belgæ, Franci, Hiſpani, Itali, &c. Regem in ſuo Regno, quoad perſonas hominum ſibi ſubditorum, non eſſe, audebit quis aſſerere? Aut Eccleſiaſticos, ipſos Regni, non facto pariter & jure ſubjectos Regi, num quis tueri volet? Nemo equidem, aut Gallus, aut Hiſpanus, aut Siculus; nemo Venetus, Alemannus, Neopolitanuſve, aut Mediolanenſis; deniq; nemo Belga, niſi ſi inſaniat; ne tu ipſe quidem. Quare neceſſe eſt, ut obedientia iſta, cujus immemoriæ *Valeſium* hic inſimulas (ſi præſtaretur, inquam, ſive prædeceſſori tuo *Riddero*, ſive Succeſſori ejus *Herinxio*, aut Patribus *Valliſoletanis*, aut Cardinalibus de Propaganda, vel ipſi quidem Pontifici Maximo & Beatiſſimo) pura puta, non modò erga Religionem Seraphicam, ſed Eccleſiam, atq; conſequenter Deum ipſum immortalem, inobedientia foret. Quippe quæ (ut rationes alias præteream nunc) contra expreſſam injunctionem Regis, in re ſeu cauſa

causa temporaria, corporea, civili, personali, subjectaq; adeò jurisdictioni ejus, qui in Regno suo, *solo Deo minor, omnibus mortalibus major est*, præstaretur.

Verum enimvero quoniam suggillatio tua hic, quoad materiam, (in qua nempe obedientia vel inobedientia foret) indefinita est ac generalis: & quoniam axioma Juristarum istud, *In generalibus versatur dolosus*, haud libenter vellem Paternitati tuæ objicere: descendamus paullisper ad particularia, si placet. Edisce quæso (Herinxi Reverendissime) ubi, quando, in quo, seu in qua materia umquam, Valesius, *mente ad bonum* non *compositâ, obedientiæ* sive erga Religionem Seraphicam, sive *erga Ecclesiam Catholicam debitæ*, immemorem se ostendit? Ad propositum verò ut respondeas, cavebis ea referre quæ ipse de meipso profiteor ultro. Videlicet, 1. Inhibente Rege, non comparui in partibus ultramarinis. 2. Vetante Religione, non refixi manum. 3. Censuris iniquissimis restiti; patrocinante mihi (inter alia) canone etiam Pontificio, eoq; multiplici quidem. 4. Ac veritate Facti apertissima, pro me suffragante, quod contra me Statutum illud Victorianum falso allegastis, exufflavi, explosi, exsibilavi. In istis enim quatuor principalibus articulis ultroneè fateor me non modò nullam

nullam Superioribus, ſive Regularibus, ſive quovis alio nomine Eccleſiaſticis, obedientiam præſtitiſſe; verum etiam affirmaſſe, quod & affirmo rurſus nunc, affirmaboq; ſemper, nullam ipſis in ejuſmodi rebus & circumſtantijs vel à me, vel à quoquam alio fuiſſe hactenus, eſſe modo, aut deinceps aliquando fore debitam. An verò in alia quacumq; materia, cauſa, re Valeſius umquam vel mandato vel beneplacito Superioris ſui cujuſcumq; Eccleſiaſtici non obedierit, Reverentia tua, ſi poſſit, edoceat nunc. At quorſum à te peto quod impoſſibile tibi erit? Nam *Valeſius* etſi (à pueritia, ſeu à decimo tertio ætatis) jam circiter quadraginta ſeptem annos in Religione, ſexaginta in Eccleſia, ac triginta ſex eorum in affiduis, maximis, publicis controverſijs vixerit: nihilominus, quod interea temporis aliquando, vel in una Inſtantia quidem, obedientiæ illius, quæ revera vel Romanis Pontificibus, vel Superioribus Ordinis (hos enim & illos reſpective Paternitas tua hic Religionem Seraphicam & Eccleſiam vocat) debetur, pretenditurve debita, immemorem ſe oſtenderit in alijs quibuſcumq; rebus quàm ſolis ijs in quibus per Supremi omnium Superioris æterni Dei mandata non modo non obediendum, ſed contradicendum & reſiſtendum erat, non dela-

delatores, non adversarij, non inimici, non hostes ejus quantumcumq; cætera capitales, insimularunt eum umquam. Quare insinuatione tua subtili ista, operam omnino ludis. Planè quemadmodum paucos illos quibuscum Valesio res erat, sive Instituti Franciscani Superiores subordinatos, sive Romanæ Petri Cathedræ Pontifices Maximos, nemini sanæ mentis Reverentia tua persuaserit, aut Religionem Seraphicam aut Catholicam Ecclesiam esse: ita eandem vel Religionem vel Ecclesiam docere, istjusmodi obedientiam, qualem à Valesio seu illi seu illi hactenus requisiverant, qualem tuipse requiris modo, nullus hominum alterutris debitam evicerit.

XXXVIII.

Quæ omnia quidem adeo clara, liquida, manifesta sunt, ut mirari subeat quorsum Paternitas tua, ad me in causa mea rescribens, *obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ* memoriam ita facit, ut immemoriam ejus mihi apertè satis exprobret. Profecto haud æquum erat existimares Valesium, aut nescire non alius cujuspiam Legis vinculo se quàm solius Voti sui proprij, obligatum ad illiusce Instituti Superioribus obediendum vel in ulla omninò re

re vel cauſa inquam. Aut ignorare votum quodcumq; non modo *vinculum iniquitatis* non eſſe, ſed quatenus Deo factum & gratum, voventemq; ligans, *de meliori bono* ut ſit, neceſſe eſſe. Aut Regulæ *S. Franciſci*, ad cujus obſervantiam eodem ſuo proprio ſolemniq; voto ſe aſtrinxerat (aut ſuper eamdem Regulam, aio) neq; Pontificum Romanorum *Nicholai* III. & *Clementis* V. Declarationes, neq; Doctorum Ordinis veterumve Recentiorumve, non *Quattuor Magiſtrorum*, inquam, non *Cardubæ*, non *Marchantij*, nec ſimilium quorumlibet aliorum Expoſitiones legiſſe umquam. Aut Regulam ipſam aliquando non conſulere, Aut non meminiſſe quot & qualia ſunt ejuſdem Regulæ præcepta (ſive Formalia, ſive Inhibitoria, ſive præcepti vim habentia, ſive equipollentia præceptis: quo ſcilicet modo diſtinguuntur vocanturq;. Aut non ſcire omnia in univerſum viginti quinq; & non plura eſſe, ad quorum obſervantiam Fratres, cum ſub mortalis peccati pœna obligantur, tum à Superiore cogi poſſunt cenſuris etiam, pœniſq; alijs quibuſlibet Eccleſiaſticis. Aut non advertere, ut inter ea omnia Regulæ noſtræ præcepta, immò ut neq; inter conſilia, neq; in verbis quibuſcumq; ejus, à principio ad finem, non modò nihil ſit quod Articulos eos

quat-

quattuor, paulò antè recenſitos, agnitoſq; vel in minimo tangat, quodve inquam obedientiæ ſeu Religioni Seraphicæ, ſeu Eccleſiæ (vel quod tantundem eſt Superioribus alterutrius) debitæ, immemoriam mihi vitio vertat: verumetiam plura quæ perſonam, animam, cauſamq; meam univerſam ab inobedientiæ cujuſvis nota puram omnino reddant. Aut non recognoſcere, ejuſçemodi eſſe vel hæc ipſa quidem Patriarchæ noſtri Sanctiſſimi verba (licet ea ſint quæ præ alijs Regulæ verbis obedientiam maxime injungant) *Præcipio firmiter Fratribus ut obediant ſuis Miniſtris in omnibus quæ promiſerunt Domino obſervare & non ſunt contraria animæ ſuæ & Regulæ noſtræ*: & rurſus in fine Regulæ iſta, *Sanctum Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti, quod firmiter promiſimus, obſervemus*: immò, & ante omnia ſanè, in ipſo Regulæ principio illa, *Regula & vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet, Domini Noſtri Jeſu Chriſti Sanctum Evangelium obſervare*, &c. Aut non diſpicere ut, quemadmodum è priori loco apparet, neq; in ijs quæ contra animam aut Regulam, neq; in alijs quæ ſupra vel præter

Regul. S. Franc. cap. x.

Cap. xii.

Cap. i.

præter eamdem Regulam ſunt, quamvis alioqui majoris perfectionis hæc nonnumquam poſſint eſſe, Patriarcha Seraphicus nolit filios ſuos ad obediendum Miniſtris ſuis alligare: ſic è poſterioribus, id eſt, ſecundo & tertio laudatis Locis, manifeſtè liqueat, eumdem Regulæ noſtræ Beatiſſimum Authorem præcipere Fratribus univerſis, Sanctum Domini Noſtri Jeſu Chriſti Evangelium obſervare; velint nolint interim ſeu Miniſtri ſeu quicumq; alij Superiores. Aut non videre porrò, ut Evangelij partem faciant cum reſponſa illa ipſius Domini Salvatoris, nempe (alterum ad Phariſæos & Herodianos in Matthæo) *Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo* Mat. 22. 21. (alterum in Joanne ad Pilatum) *Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper*; Joan. 19. 11. tum præcepta hæc in epiſtolis Apoſtolorum ejus, videlicet Petri iſtuc, *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam*, &c. ac iſtud quoq; Pauli, *Omnis* 1 Pet. 2. 13, 14, 15.

Rom. 13. 1, 5. *anima potestatibus sublimioribus subdita sit non solum propter iram sed etiam propter conscientiam*, &c. Aut similiter non considerare, ut quemadmodum in ipsa nostra Seraphici Patris Francisci Regula ne iota unum (aut unus apex) reperiri possit quod, in controversa quapiam Valesij causa, ipsum vel erga *Religionem Seraphicam*, vel *erga Ecclesiam Catholicam* inobedientiæ arguat: ita nihil omnino neq; in ipsis Fratrum Statutis (ut vocantur) sive Generalibus universi Ordinis, sive particularibus suæ Provinciæ, neq; in moribus vel consuetudinibus alterutrius, immò neq; in canonibus vel moribus Universalis Ecclesiæ inveniri quod eodem tendat. Aut insuper neq; intelligere quidem ut, in rebus omnibus indifferenter, mortalium nulli homini, sive ex voto, sive ex Regula, sive ex lege, canone, consuetudine, aut ratione alia quavis, obedientia ea debetur quæ *cæca* dicitur: quæq; adeo soli Deo immortali debita est, qui nec fallere nec falli potest. Aut non recogitare pariter, Adeo mortalium omnium obedientissimum & humillimum, Patriarcham nostrum antedictum, ab ejuscemodi obedientia cæca alienum fuisse: ut non solum verbis, sed exemplis quoq; (id est, nonnullis observantijs etiam Regularibus

laribus, in Regula ipsa specificatis, nempe *Quadragesima Benedictionis*, & *Binis Tunicis omni tempore*, & *calceamentis* pariter & *Equitatione in casu necessitatis*, &c. quæ licet ab ipso commendata nobis, pro arbitrio tamen nostro observanda vel non observanda relinquantur) docuerit nos innumera pene alia esse, etiam ad perfectiorem vitam ex genere & objecto conducentia, in quibus nulla prorsus obedientia Superioribus nostris ab ullo Inferiore deberur. Aut deniq; ex omnibus Valesium non percipere ut consectarium est, Adeò nullam utiq; obedientiam ab ipso, in casu qui revera ejus est, neq; Ordinis neq; Ecclesiæ Superioribus, debitam: ut si præstaretur ulla, necesse foret eam vel cum ingenti quidem flagitio, eoq; etiam contra votum ipsum, contra Regulam ipsam, contra disciplinam Ordinis pariter & Ecclesiæ, contra Evangelium Domini commissa, conjunctam esse.

XXXIX.

Et quoniam, reflexa cogitatione, vix, aut ne vix quidem persuadeo mihi, Reverentiam tuam existimasse Valesium doctrinæ ejusmodi veteris ita vel imperitum vel oblitum, ut improperij tui, sive loci hujus lectione, non recursarent animo ejus antiquæ species:

ea propter, ad reflectionem iſtam ceſſo admirari. Video quorſum exprobratio tua, quorſum Obedientiæ, quorſum Seraphicæ Religionis (& Eccleſiæ) ſanctiſſima nomina à te uſurpata tendunt. Cupis, poſthabita omni religione, quod maximum atq; perniciosiſſimum in Religione, Eccleſia, Republica crimen eſt, Inobedientiam Valeſio aſcribere. Cupis hujuſmodi præcipuæ infamiæ notam ipſi, Epiſtolio tuo velut candenti ferro, inuſtam. An, inter ſcribendum iſta, reſpexeris ad divinum illud Prophetæ Samuelis axioma, *Melior eſt obedientia quam victima, & acquieſcere nolle quaſi peccatum ariolandi eſt*, haud ſcio. Attamen, niſi me judicium omne fallat, hoc ſcio, Paternitatem tuam rurſus hic incaſſum niti. Valeſius omnia etiamnum quæ contra ipſum adferri poſſent amolitus eſt: omnia retorſit tela: pharetraſq; omnes, non tuas modo, ſed quorumcumq; adverſantium, excuſſit, exhauſit, evacuavit, exinanijt planè.

Quocirca, Reverendiſſime Pater, ſi evidentiæ rerum, Legum, Canonum, rationis, ac Theologiæ omnis veræ cedendum putas: non deinceps ad ſpeciem, non ad phaleram & fucum, non ſaltem ad finem peſſimum quem præſtituere tibi poteras, Fratrem ſcilicet tuum innocentem ceu ſtigmaticum repreſentandi, ſanctiſſimis

illis

illis nominibus abutere. Non imitaberis impoſterum illos olim ſub Teſtamento veteri aut Zelotas viros, qui *in verbis mendacij* confidebant, dicentes atq; repetentes *Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini eſt*, quemadmodum in Hieremia Propheta Sancto (Hierem. 7. 4.) legis; aut Prophetas falſos, quibus in ore tam frequenter, *Dominus dicit, Dominus dicit, cùm Dominus non fuiſſet ipſos alloquutus.* Neq; porrò ſub Teſtamento Novo Hæreſiarchas, ſeu antiquorum ſeu recentium ſæculorum, velut exemplaria tibi ſtatues imitanda: quibus nimirum ſpecioſiſſima Religionis puræ, Reformationis Evangelicæ, Doctrinæ Chriſti, Verbi Dei, Traditionis occultæ, Revelationis Spiritus, Fidei Apoſtolicæ, nomina in uſu erant, ad imponendum alijs, captandumq; vulgus imperitum. Neq; demum infelices ævo noſtro & ſub Innocentio X. Hibernicæ Eccleſiæ Antiſtites (quamquam cæterà Catholicos) imitabere, qui Templum Domini, Religionem Catholicam, Eccleſiam Romanam, Succeſſorem Petri, Vicarium Chriſti, Locumtenentem Dei in terris, Pontificem Maximum, Legatumq; ejus in Hibernia *Joannem Baptiſtam Rinuccini*, & cenſuras ejus & obedientiam ijs debitam, ad ravim & inſaniam uſq; clamitantes: atq; adeo inobedientiæ, re-

bellionique ſuæ (in Regem & Leges) pluſquam noniſſimæ, horribiliſſimæ, crudeli, impiæ, ſanguinolentæ præclarum nomen Obedientiæ ac Religionis falsò imponentes: Templa, Religionem, Eccleſiam, Regem, Patriam, Cives ſuos univerſos, ac ſemetipſos una, æternùm (certè in hac vita) deſtruxerunt. Neq; iſtos, neq; illos (inquam) ſi animæ tuæ conſulis, ſi veneris Deum, poſthac imitabere, ſanctiſſimis nominibus abutendo. Vel ſi fortaſſe tibi adhuc non perſuaſum eſt, dicito ſaltem ſemel (id enim te per immortalem Deum adjuro) Quo Scripturæ ſacræ Textu? Quo Traditionis Catholicæ articulo? Quo Eccleſiæ Canone? Qua S. Franciſci Regulæ, Statutorumve Ordinis præceptione? Qua conſuetudine vel praxi Religionis? Quave Rationis ſeu lege ſeu momento, oſtendi poteſt, obediendum à *Valeſio* eſſe vel citationibus ad ultramarina, inhibente egreſſum ejus Rege; vel cenſuris in ipſum, poſt Appellationem ex cauſis probabilibus intra fatalia Juris interpoſitam, latis? Ut nihil interim neq; de cauſa *Denunciationis* nulla, neq; de Statuto *Victoriano* (quod applicationem ſpectat) ficto, neq; de multis aliis quæram. Dicito ſemel, Ubinam gentium Chriſtianarum? in qua Academia? in quibus Scholis? in qua Natione? (ſaltem extra Territorium

ſive

ſive Dominium illud parvum Temporale Pontificis, quod Italiæ exigua parte circumſcribitur.) Ubi inquam in toto Orbe reliquo docetur, à *Valeſio* (aut alio quopiam Inſtituti Franciſcani, ſive Minoritani, viro Religioſo) obediendum in alterutro caſu eſſe? *Dic quibus in terris? & eris mihi magnus Apollo.* Atq; ita quidem, ut opinor, de obedientia *Valeſij* (ſecundum te) Religioni Seraphicæ debita, ſatis.

XI.

Succedit nunc tua ipſius ad ſcientiam Dei provocatio, Juramentum nempe ſeu atteſtatio tua iſthæc, *Deus ſcit quod non mentior*, animadvertenda. Verùm attentiùs conſiderata textus tui partim conſequentia, partim diſtinctione: & in omnibus epiſtolæ tuæ periodis arte multa: video tandem te nil aliud planè atteſtari hic, quàm Quòd in præcedenti commate ſeu periodo *ſpondere auſis* ea quæ in eadem periodo habentur. An ſincerè? an dolo malo iſta *ſpondere auſis?* haud Juramenti hujus refert. Quare cum ejuſdem præcedentis periodi contenta omnia ſatis etiamnum diſcuſſerimus: haud alio reſponſo comma iſthoc juramenti tui breviculum eget, quàm hoc ſimiliter breviculo. Quòd quemadmodum utiq; nunc apertum eſt,

quòd in eo ſenſu hic, quem tuum eſſe conſtat, non mentiaris: ita non minus apertum eſt, quòd, in omni ſenſu *Valeſij* cauſam attinente, erraveris, & errorem quidem pudendiſſimum, injurioſiſſimum, ſcandaloſſimum, ut una quoq; multiplicem erraveris; *Vallis-Oleti*, aut *Madriti*, inquam. Idq; me introrſum in anima mea de te ſentire; ego ſimiliter ad ſcientiam Dei appello: relicta interim tuæ ipſius Reverentiæ provincia diſcernendi, utro motivo, ambitioniſne? an timoris? an utroq;? Decreto iniquiſſimo ſubſcripſeris. Ut enim de internis aut occultis tuis non licet homini judicare: ita neq; ijs qui norunt te, licere puto, ignorantiam de te præſumere, ad excuſandum errores tuos iſtos, vel in ulla parte quidem.

XLI.

Proxime adjungis propoſitum unà cum tenore precis tuæ ad Deum pro me abſq; intermiſſione fundendæ. *Illum*, inquis, *rogare non deſinam, ut non declinari deinceps ſinat cor tuum ad excuſandas excuſationes in peccatis.* Etſi vix credam non deſtiturum te aliquando à propoſiti hujus adimpletione; tamen pro voluntate tua, qua bona, vel ſi bona ex ulla

Pſal. 141.

parte

parte ſit, rependam vicem; præcipuè autem pro ſanctiſſima prece: utpote quam agnoſco Davidis Prophetæ Regij eſſe, ac juſte quidem ab ipſo pro ſemetipſo fuſam. Precaborq; Deum, ut & tu eamdem fundas eo ſenſu quo debes: nimirum eo quo Eccleſia, Spiritu Sancto illuſtrata, aſſumendam eam à te intendit; *ne oratio tua* pro Valeſio, *in peccatum tibi ipſi ſit.* Quo hæc tendant, ſi neſcis, dicam. *In felle amaritudinis & obligatione iniquitatis video te* erga Valeſium *eſſe.* Ex iſtis profecta eſt electio tua ejuſcemodi verborum precis, qua, ut longè accommodatiſſima ad nocendum ipſi, abutereris. Ac inde quidem pietatis tuæ forma hic: dum orantis ſpecie læthaliſſimum vulnus Fratri tuo, qua in te eſt, infligis. Nec in hunc finem alia oratio tibi videbatur æquè apta atq; illa Davidis erat: nimirum pro homicidio *Uriæ*, & adulterio *Berſabee*, & malitiæ verbis, & excuſationibus quoq; falſis in utroq;, pœnitentis jam ac deprecantis à Deo veniam. Scilicet, redarguente te introrſum vel conſcientia tua ipſius propria, Lectoribus Epiſtolæ tuæ perſuadere niteris, Valeſium graviſſimis ſuis inobedientiæ & contumaciæ ſceleribus addidiſſe porrò & malitiæ verba, & excuſationes falſas: nec aliud hactenus ad excuſandum ſe à

Act. 8.

peccatis

peccatis iſtis maximis allegaviſſe. Ac ita quidem ſanctiſſimè erga Valeſium officio tuo tandem perfunctus es. Sed, o te interea hominem qui vereris Deum! Ac ò prudentem virum te! qui Valeſium omni lege excuſatum, accuſas, & accuſas inquam ne nna quidem! quiq, contra, temetipſum omni lege in ejus cauſa reum, excuſas nulla! In quo enim *Valeſium* judicas, in eo ipſo tute condemnas. In iſdem, inquam, at non confictis, nec præſumptis tantum, ſed veriſſimis atq, liquidiſſimis cum inobedientiæ & contumaciæ, tum malitiæ verborum, & falſiſſimarum excuſationum peccatis. Quæ tametſi non contra hominem Judicem citatorem, contra tamen Deum Vindicem punitorem, quippe contra leges omnes tam divinas quàm humanas, contra Eccleſiæ canones, contra Seraphici Ordinis Statuta, contra juſtitiam, æquitatem, rationem ipſam naturalem; parum dico, contra veritatem Evangelicam, & fidem Catholicam, & Religionem omnem Chriſtianam, (quippe propugnando errori longè ſcandaloſiſſimo, errori Schiſmatico, hæretico, antichriſtiano manum tuam accommodans) in *Valeſij* & Remonſtrantium Fratrum cauſis commiſiſti, & commiſiſti quidem palam coram ſole. Peccatum tuum erat *Actum Antwerpianum*. Peccatum tuum, quod

Val-

Valliſoleti factum eſt Decretum. Peccatum tuum (ac ſpeciali quidem jure tuum, potius quàm cujuſpiam è Collegis tuis erat) Conſtitutionis illius *Victorianæ* ad *Valeſium* extenſio. Peccatum tuum nuperrimum & Tractatus Londinenſis falſus, & abitio clandeſtina inde, & inter abeundum Epiſtola, ad quam reſpondeo nunc. Peccatum tuum adhuc erat, Quòd paulo pòſt Internuncio Bruxellis interroganti, cur *Valeſium* Londini ſecundum oblata non conveniſſes? reſponderas, Timuiſſe te virum. Deniq, peccatum tuum, quod vel in præſenti quidem eſt graviſſimum (faxitq, Deus bonus & miſericors, ne finale tuum ſit, neve ut *peccatum Judæ olim*, (Hier. 17.) *ſtylo ferreo in ungue adamantino ſcriptum*) obſtinatio cordis tui in malo erga Fratres; nihil de reſipiſcentia, nihil de reſtituendo bono eorum nomine, nihil de cæterarum injuriarum (etſi multiplicium pariter atq, gravium) reparatione cogitantis. Et poſt omnia iſta tam enormia, putas tu Herinxi Reverendiſſime *judicium Dei* effugere? Scilicet; authoritatis, dignitatiſq, tuæ privilegio? Putas tu quod in judicio illo defendet te uſurpatio *Davidicæ* orationis hic adverſus me? Equidem ubi ad te redis intrò, non putas; quantumlibet interea vi-

Rom. 2.

des

des hominum oculos hic à peccatis iſtiſce tuis ipſius ex æquo enormibus atq; certis parumper averſum iri, converſumq; ad ea quæ mihi abſq; fundamento, abſq; rationis cujuſpiam apparentia imponis.

Neq; tamen is ſum ego, ut non agnoſcam me Sanctorum precibus maximopere vel pro peccatis meis quotidianis indigere. Verùm de ſimilibus, quoniam inter nos diſceptatio nulla eſt: ut neq; ulla de peccatis quibuſlibet alijs, aut hinc aut illinc, ſive meis ſive tuis, occulta nec ne ſint, modò in judicium externi fori non ſunt deducta, nec in eo apparent: exiſtimavi æquum, ſilentio meo non permittere, ut ſub ſpecie orationis ſanctæ, in finem peſſimum aſſumptæ, aut Lectori imponeres, aut innocentiæ meæ & juſtiſſimæ cauſæ quam defendo, plagam infligeres quæ mortifera eſſet. Cæterùm de peccatis meis veris, quorum mihimet ipſi conſcius ſum, ſive quotidianis, ſive gravioribus etiam quibuſlibet alijs (quamquam profecto, quod ſciam, nulla ejuſcemodi mea umquam ad Eccleſiæ forum neq; accuſatione, neq; delatione, neq; fama, aut ſuſpicione quidem, hactenus deducta ſunt) *Corripiet me juſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Pſal. 140.

Poſtremo

XLII.

Poſtremo velut colophonem addis: *Memor eſto unde excideris, & pœnitentiam age.* Ubi & ego rurſum agnoſco tum verborum formam ſanam, tum exhortationis rem ipſam ſanctam: utpote illius in Apocalyptico Libro *ſimilis filio hominis, primi & noviſſimi*, per ſervum ſuum Joannem ad Angelum Epheſinum ſcribentis. At ſenſum tuum, applicationem tuam, intentumq; tuum perverſum rejicio atq; reprobo prorſus. Abuteris hic denuo Scriptura Sacratiſſima, ad præcedentes omnes Epiſtolæ tuæ ſuppoſitiones falſas, iniquas, nullo fundamento nixas confirmandum. Apprimè ſcis *Valeſium* neq; à Statu Religioſo, nec ab Ordine Sacro, neq; ex Eccleſia Catholica, neq; à ſalutis æternæ per gratiam Dei acquirendæ Chriſtiana ſpe excidiſſe hactenus. Et tamen divino textu ita uteris, ut non tantum in medio relinquas, An non ab omni omnino ſtatu, ſive Religioſi, ſive Eccleſiaſtici, ſive Catholicæ Fidei profeſſoris, ſive ſperantis quidem in miſericordia Dei, undiquaq; exciderit: ſed pœnitentiam moneas agendam ipſi non pro commiſſis malis, omiſſiſve bonis quibuſcumq;, ſed contra planè, Apocal. 1.

nè, quòd operantibus iniquitatem non cedit, quòd veritati, juſtitiæ, æquitati defendendæ mordicus inhæret; quodq, imprimis pro Fidei ipſius Catholicæ, Apoſtolicæ, Chriſtianæ neceſſario dogmate non ceſſat ad mortem uſq, agonizari. Ac ita quidem Theologia omni, ita ipſius Domini Salvatoris exhortatione divina, ad intentum tuum perverſum atq, pravum abuteris. Neq, ad illum reſpicis, cujus verba non modo in vanum, ſed ad malum ſic uſurpas. Itane verò Herinxi Reverendiſſime? non ad illum *in medio ſeptem candelabrorum ſimilem filio hominis, veſtitum podere, & præcinctum ad mamillas zona aurea; cujus capilli capitis tamquam lana alba & nix; cujus oculi tamquam flamma ignis, & pedes ſimiles auricalco, ſicut in camino ardenti, & vox tamquam aquarum multarum; cujus in dextera ſtellæ ſeptem; de cujus ore gladius utraq, parte acutus exit; cujus facies ut ſol in virtute ſua lucet; qui fuit mortuus & eſt vivus, vivenſq, porrò in ſecula ſeculorum; qui*

Apoc. 2. *denig, claves mortis & Inferni habet, teſtis fidelis & verus, principium creaturæ Dei?* non ad illum reſpicis? non hunc vereris tu? non inquam inter abutendum verbis ejus tam impiè. Ah! Herinxi Reverendiſſime. An non ſaltem audis terrificam illam

lam vocem ſive ejus, ſive æterni Patris ejus, in Propheta expoſtulantis tecum? *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundavit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris: & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum.* Pſal. 49. An iſta ſaltem non audis Reverendiſſime Præſul? Planè non cum fratribus modò, qui clam furati ſunt bonum *Valeſij* nomen, ſed cum *latronibus* etiam, qui *deſpoliaverunt eum* palam, & *plagis impoſitis abierunt, ſemivivo eo relicto*, Paternitas tua currebat. Luc. x. Porrò autem & in cauſa ejus, maximè qua parte poteſtatem Regiam ac Papalem ea reſpicit (ut planè tota ex omni parte reſpicit) cum *adulterantibus verbum Dei* Reverentia tua portionem ſuam ponebat. 2 Cor. 2. Cætera itidem ut adimpleveris omnia, haud ignoras ipſe. Ac proinde quæ ſequuntur in eodem Propheta Sancto vide, lege, intellige, ac time. *Hæc feciſti & tacui. Exiſtimaſti iniquè quod ero tui ſimilis. Ar-* Pſal. 49.

quam te & ſtatuam contra faciem tuam.

Ad ſummam, ſi Evangelium Chriſti, ſi Traditio Patrum, ſi Eccleſia Univerſalis, ſi Jura, Leges, Canones, Ratio, ſi Schòlæ ipſæ non fallant: profecto neq; memoria mea divini illius Gratiæ Status, unde per peccata mea vera (quod animitus doleo) aliquandò excidi; neq; pœnitentia quæ idcirco mihi per totam vitam miſeram agenda eſt: nec utraq; ſimul: quemadmodum neq; alia quæcumq; diverticula tua: aut te, aut Collegas tuos Valliſoletanos, aut utrorumq; patronos illos qui Dij veſtri Romæ ſunt, excuſabunt. Ubi ſcilicet, coram tremendo illo animarum Judice *Valeſij* cauſa tecum, unà cum Remonſtrantium omnium Fratrum tuorum pauperum fama, immò vita, quam gladio linguæ, cenſuræ, Decreti veſtri inquiſſimi abſtuliſtis, occidiſtis, in judicium rurſus adducetur.

XLIII.

Atq; ita demum, ad ſingula Reſponſi tui momenta, Replicationes meas finio. Quas ita longas fecere tum Epiſtolij tui ambages, tum cauſæ ipſius merita. Cæterùm, Præſul Reverendiſſime, non mireris me in cauſa iſta defendenda (quippe cauſa, equidem ex parte mea, honeſtiſſima,

ma, juſtiſſima, ſanctiſſima) omni quæ afflictum, quæ oppreſſum, quæ injurijs tuis penè exanimatum decet, libertate uſum. Divinus ille *Paulus*, etſi nulla injuria provocatus, exemplo ſuo me præivit. Ille tertius decimus, ille ultimus & minimus Apoſtolorum, *Petro* qui primus & princeps Senatus Apoſtolici habebatur, vel in faciem quidem reſtitit, inerepans eum acerrimè. Idq; poſt ovile Dominicum eidem Petro commiſſum, & Spiritus Sancti deſcenſum, & promulgatam legem novam, & tria millia uno ejuſdem Petri ſermone converſa, & patrata ab eo miracula, ſanatoſq; infirmos vel umbra ſola ejus. Atq; *Petrus* quidem haud in alio *reprehenſibilis erat*, quàm quòd timori hominum parumper in una ſola Inſtantia cedens, idq; (reipſa) omiſſione pura, ſeu (quod tantumdem eſt) ſubtractione & ſeparatione ſui à Gentilium cibis, *non rectè ambularet ad veritatem* (ſive libertatem plenam) *Evangelij*, ſed exemplo ſuo, *i. e.* ejuſcemodi abſtinentia ſua Gentes ad Judaizandum in illa re quoad cibos nonnihil induceret. Paternitas autem tua, ſocijq; tui unà, in multo pluribus gravioribuſq; reprehenſibiles eſtis, ac reprehenſibiles quidem non in eo tantùm quod *non rectè ad veritatem Evangelij*, ſed in eo etiam quòd vel dire-

Galat. 2. xi.

 ctè

etè quidem contra veritatem pariter & præceptionem Evangelij apertam, perſpicuam, evidentem in cauſa illa Remonſtrantium veſtrorum Fratrum ambulaviſtis: quodq; Decreto illo *Valliſoletano* ea ſuppoſuiſtis, admiſiſtis, declaraſtis, præcepiſtis quæ Catholicum ipſum nomen habitatoribus terræ hujus odioſum reddiderunt: nec certè minus ex omni parte odioſum, quàm Vaſa illa *iniquitatis bellantia, Simeon & Levi* facto ſuo crudeliſſimo Iſraelis Sancti *nomen Chananæis & Phæreſeis* in terra ſua fecerunt olim. Et tamen poſt impietatem, crudelitatemq; tantam in Fratres veſtros innocentes, quantam Decreto illo *Valliſoletano* cum impreſſo tum per omnes Europæ partes diſperſo exercuiſtis; poſt devotum diris caput ejus quem eorum caput reputaſtis; poſt acquiſitas ita, nimirum pretio nominis, famæ, exiſtimationis, quietiſq; & ſalutis ejus, per nonnullos veſtrum, eas etiam in Eccleſia Dignitates, ad quas jampridem per fas & nefas aſpiraverant; poſt tam nefandam cœleſtium Petri clavium & divinæ poteſtatis abuſionem; poſt iſta omnia inquam, *Valeſius* inter expoſtulandum tecum nihil, neq; licentius neq; liberius ſcribit, quàm virum doceat expoſtulatorem, qui cætera cultum omnem ſive perſonæ, ſive

Geneſ 35.

Officio,

Officio, ſive etiam Dignitati tuæ debitum ſervat, exhibetq. Nec enim Paternitati tuæ invideo vel confirmationem illam ſeu Electionis ſeu Nominationis tui ad *Iprenſem Sedem*, quàm adeò ſollicitè nunc impetrandam *Romæ*, curas; quocumq, tandem vel nominis mei, vel animæ tuæ pretio ipſam obtinueris. Quinetiam opto, precorq, Deum, ut *Iprarum* populus ſanctiorem te Epiſcopum habeant, quàm Seraphici Ordinis aut Fratrem genuinum, aut Patrem pium, aut Prælatum, Judicemve juſtum, tot annos jam *Valeſius*, *Copingerus*, *Haroldus*, reliquiq, *Fratres Hiberni Remonſtrantes* in te experti ſunt. Adeoq, & eundem Deum bonum atq, miſericordem enixè rogo, ut ſpiritum reſipiſcentiæ & compunctionis hic, dum in via eſtis, tum Reverentiæ tuæ, tum Collegis tuis cæteris *Valliſoletanis* donet; ne quando cum ad terminum perveneritis, cum nimis ſerò erit pœnitere, audiatis pronuntiatum contra vos, *Numquam novi vos; diſcedite a me operarij iniquitatis.* Londini xiii *Cal. Octob.* MDCLXXVII. Mat. 7. Luc. 13.

Paternitatis Tuæ Reverendiſſimæ

in Chriſto ſervus,

Fr. Petrus Valeſius.

EPISTOLA III.

Ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. D. Sebaſtianum Antonium Comitem Tanarium, Abbatem Sanctæ Mariæ, Protonotarium Apoſtolicum, de numero participantium, ac Internuncium Apoſtolicum in partibus Belgij.

Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine,

FAcit humanitatis ac juſtitiæ tuæ fama, ut non tantum ignotus, verum etiam (ſi Deo placet) excommunicatus aut ullo modo auſim, aut certe velim ad Te ſcribere. Fatebor enim ingenuè quod res eſt. Obverſatur animo meo jugiter præjudicium iſtud ingens quo tres illi Prædeceſſores tui Illuſtriſſimi D.D. de Vecchijs, Roſpiglioſus, & Airoldus ad perſequendum me gratis excitati ſunt. Sentio jam annos & luſtra, etſi maximè octennium ultimum, ac indies quidem magis magiſq; ſentio extentæ eorum in me manus Conſectaria dira. Quodq; in-

tinius angit, altiuſq; hæret, malorum quæ patior, quorumq; poſt Deum illi Authores erant, neq; modum neq; finem video. Parum eſt; neq; ſpero quidem videre: niſi fortaſſe valeam, ut ille olim multarum Gentium Pater, *contra ſpem in ſpem credere*: Deoq; ſoli, qui vivificat mortuos, & *vocat ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt*, improperium eorum & patientiam meam committere; & cum Jobo quidem confidenter dicere, *Etiamſi me occiderit, ſperabo in eum.* Atq; utinam miſericors & miſerator Dominus me iſta gratia tandem dignaretur! Haud enim ignoro, ejus ſolius divina manu, tamquam unicè prima & principali cauſa Efficiente, mortalium quorumcumq; Adverſariorum meorum & manus elevatas & corda in me commota eſſe: quicumq; demum vel minora vel majora mendaciorum calumniarumq; Inſtrumenta, ad inſtigandum viros illos Illuſtriſſimos contra me, fuerunt. Utcumq;, ſi quid opis à mortali quoquam ſperare licet, id imprimis à Te, Vir Illuſtriſſime ac humaniſſime, expectandum, aliquis mihi bonus Genius ſuggerit. Quare fidenter ſcribo, deponoq; apud æquitatem tuam quærelam meam, atq; una dolorem cordis intimum; certe ejuſcemodi querelam, quæ, ſi quid in propriis rebus video, juſtiſſima pariter & graviſſima eſt. Verùm

rùm ne judicium tuum acerrimum præoccupare velle videar, injustitiæ illius, de qua impræsentiarum queror, summam ita accipe.

Post exantlatos à me tamquam Hiberniæ Cleri procuratore innumeros pene labores, idq; novennium totum, in procurando primùm & restituendo, deinde etiam in conservando illius Regni Catholicis libero sive imperturbato eo Religionis exercitio, quo etiamnum perfruuntur: & post injurias nihilominus cum gravissimas tum multiplices continuasq; litterarum quas præfati Illustrissimi D. D. *de Vecchijs* & *Rospiglioſus*, unus post alium, contra me ad eumdem Clerum dederant, patientissimè toleratas; anno demum Millesimo sexcentesimo septuagesimo, ineunte Vere, ad instantiam, seu potius imperium antedicti pariter Illustrissimi D. Airoldi, prædecessoris tui penultimi, Reverendissimus Pater Fr. *Jacobus de Riddere* Ordinis Fratrum Minorum strictioris observantiæ Seraphici Patris Nostri Franciſci in Provincijs cum Germano-*Belgicis* tum *Britannicis*, annexisq; alijs (inter quas *Hibernia* est) Commissarius Generalis cum plenitudine potestatis in utroq; foro, interdixit mihi aqua & igni: reddidit me (quatenus in ipso erat) ex Ecclesia Dei extorrem, devotumq; adeo Furijs: Seu (quod tantumdem

dem est) pro Tribunali denuntiavit me nominatim (ut loquuntur) excommunicatum: affixa etiam pro majori Solemnitate rei, denuntiationis suæ istius Schedula ad nonnullarum *Belgij* Ecclesiarum valvas. Quodq; magis mirere est, quod nullam omnino Judex ille justissimus & Pater pius vel in sententia ista sua declaratoria causam allegaverit, quæ tam horrendi fulminis meritoria esset, quàm non modo à se ex industria quæsitam, sed prorsus falsam & ementitam planè *contumaciam*. Nisi si fortassis verè contumax sit qui non paret quando parere non potest. Quod tamen & Leges & canones, & utrorumq; Interpretes negant, & ratio quidem ipsa naturalis dictat absurdum esse.

Mitto impræsentiarum, ut causas ipsas veras non modo impulsivas motivasq;, sed in genere vel Meritoriarum vel Finalium præcipuas & unicas tam iniquæ denuntiationis: ita quæcumq; alia quæ necessariò seu remotè seu proximè illam præcesserant. Inter ista verò speciatim mitto ejusdem Reverendissimi Patris de Riddere litteras tum privatas, tum publicas seu patentes ad meipsum, hasq; etiam duplices; & priores quidem vigesima Augusti 1669. posteriores autem octava die Januarij 1670. datas; utrasq; verò monitorias pariter & citatorias, utpote quibus sub prætextu querelarum

relarum in genere (nulla enim in ſpecie exprimebatur) à viris fide-dignis de perſona mea factarum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ipſo facto incurrenda, & Sedi Apoſtolicæ reſervata, intra terminum mihi peremptoriè conſtitutum (viginti dies erant in prima citatione, quindecim in ſecunda) ex Anglia in Belgium, id eſt, ad Judicium Ultramarinum, atq; extra Provinciam in qua vel commiſſum vel omiſſum illud oportuit eſſe de quo judicandus eram, evocabar, citabarq;.

Mitto ſimiliter quæ ad eaſdem illius Reverendiſſimi Patris Ridderi litteras reſponſa quamprimum dedi; ac ad priores quidem diverſis chartis triplicia. Primæ enim chartæ meæ continebant epiſtolam ſatis prolixam quæ quod propoſitum mihi erat abundè declarabat. Reliquæ duæ, inſtrumenta itidem duo publica, quippe Notarij Ordinis ac aliorum Teſtium & manibus & ſigillis atteſtata, complectebantur: & horum quidem Inſtrumentorum alterum Appellatio à Judice illo ipſo Reverendiſſimo Patre Riddero, alterum Recuſatio ejus velut ſuſpecti & infenſi Judicis erat: illud pro multitudine & gravitate rerum quas in eo decebat exprimi, longius: iſtud contractius, eſto etiam multiceps, quippe undecim capita complectebatur, & ejuſmodi certe quorum ſingula (ſi Juris

ris ratio haberetur) cuicumq; Judici recuſando ſatis eſſent.

Nec moror nunc propoſitum quod videbatur illiuſce Judicis eſſe, nimirum quærendi nodum in ſcirpo, & quantumvis revera nullum reperiret, repertum tamen unum vel comminiſcendi, vel ſaltem prætendendi. Enimvero faſciculum hinc à me ad Paternitatem ſuam tranſmiſſum, ſatis tempeſtive in manus ſuas recepit; incluſas in eo chartas legit; expenditq; adeò, ut ſupponendum eſt, rationum omnium quas triplicibus iſtis chartis dedi momenta, ſaltem præcipua & ſingularia. Inter quæ & iſtud vel ſingulariſſimum, vel profectò minime contemnendum erat, *viz.* Quod aliquot annis ante citationem ullam in me emiſſam, Regiæ Majeſtatis præcepto ſpeciali inhibita mihi fuiſſet profectio ad exteros, ſeu ad quemcumq; loçum extra Britannici Imperij fines poſitum: quodq; adeo non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, ſeu peccati & Gehennæ metum, divina ipſa Evangelij Chriſtiani lege obligabar ad non parendum ulli prorſus cujuſpiam Superioris aut præceptioni aut citationi quæ in Belgium evocaret. Nihilominus ille, tamquam authoritati ejus pluſquam inhibitioni Regis etiam in iſta evocationis è Regno cauſa oporteret morem geri (neſcio an ignorans

ignorans quod in Jure ipſo Pontificio canon Patrum habeatur * ex quo liquet Juſſionem Regis interpoſitam (quanto magis prævi-

* Diſt. 18. cap. ſi Epiſcopus.

viam? excuſare etiam Epiſcopos vel ad Synodum à Metropolitano vocatos, ubi non comparent?) imò tamquam neq; recuſatus, neq; appellatus Jure, nec devoluta etiamnum cauſa, aut ſuſpenſum conditionale pronuntiatum, nec ſuſpenſa quidem ipſa quoad me poteſtas ejus Judiciaria eſſet, ſed omni qua prius juriſdictione libera potiretur, de novo me alteris patentibus citat: denuo una pro tribus monitione canonica utitur; denuo terminum peremptorium figit; præcipitq; mihi denuo ſub excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœna coram ſe in Belgio intra illum terminum, hoc eſt, ad quintumdecimum diem comparere.

Porro ad ſecundas iſtas patentes literas monitorias reſponſa mea quæ (pro merito rerum ſatis etiam diffuſa) intra prædictum diem peremptorium, ſeu fatalia juris, ut loquuntur, dedi (adjiciens etiam præter expoſtulationes rationeſq; alias novas, Appellationem quoq; novam, etſi haud neceſſariam, ad Reverendiſſimum Patrem Ildephonſum Salizanes totius Ordinis Franciſcani in univerſo orbe Miniſtrum

ſtrum Generalem, quippe eumdem ad quem paulo ante à priori citatione appellaveram.) Quæ ubi ad manus Reverendiſſimi P. Ridderi perveniunt, ille, re protinus cum Illuſtriſſimo Domino Internuncio Airoldo communicata, nec amplius quidquam ad me reſcripto, aut aliter quidem ſignificato mihi, abſq; ulteriori mora denuntiat me in ſcriptis, velut contumaciæ cauſa execratum, affigitq; Eccleſiarum quarumdam Bruxellenſium valvis publicè; quemadmodum ſuperius dictum eſt. Quamquam interea contumaciam iſtam in eo tantùm fuiſſe prætendat, quòd citationi ejus non obtemperaviſſem proficiſcendo hinc in Belgium, & Mechliniæ, aut Bruxellæ, ſeu alibi ubi ipſe eſſet, comparendo. Verùm ne de hoc ipſo quidem plura nunc; licet illud revera ſit, quod aciem pariter & arcem adverſariæ partis penetrat, evertitq; penitus.

Taceo quoq; in præſenti quæ denuntiationem iſtam propere conſequuta ſunt ingentis odij ac ulterioris injuſtitiæ argumenta. Ut in Anglia mox inter Catholicos, moxq; etiam in Hibernia per Provincias omnes, Diœceſes, Parochias, domos pene ac familias, quâ pro locorum conditione licuit, publicabar. Deinde, ut poſt menſes aliquot in Hiſpania quoq;, ſeu in Capitulo Generali totius Minorum Ordinis,

Ordinis, Valliſoleti ad Feſtum Pentecoſtes anni 1670. celebrato, non confeſſus, non convictus, neq; citatus neq; monitus, nec ullo modo quidem vocatus eò, neq; per meipſum, neq; per Procuratorem ullum præſens, ſed ultra terras & Regna & vaſtiſſimum mare diſtans in longinquis, imò planè ignarus judicij ullius quod in me pararetur; decreto tamen ſpeciali Patrum illorum Capitularium, ſeu potius Definitorij eorum Generalis, eoq; typis Madriti impreſſo *contra Fratrem Petrum Valeſium & ejus ſequaces*, diſperſoq; ſtatim diligenter in omnes Provincias Ordinis ubicumq; Hiberni erant, non tantum Excommunicatio iſta ab homine, quam in Belgio ex prætextu contumaciæ denuntiatam eſſe noverant, confirmata eſt; verumetiam alia inſuper fictitij cujuſdam Juris in me de novo declarata: Præter alia nonnulla longe etiam ſtupendiſſima quæ in eodem Decreto contra Provincialem Copingerum, fratreſq; omnes reliquos una mecum ipſi obedientes, continentur. Deniq; ut procul omni dubio vel malitiam ſummam, vel certè ignorantiam craſſam & pudendam produnt illius Decreti Fabricatores, ubi ad pronuntiandum me altera etiam excommunicatione (ſeu illa quæ non ab homine, ſed à Jure eſſet) irretitum, fundant ſe in Conſtitutione quadam

dam Religionis noſtræ Generali, Victoriæ, anno 1648. renovata & aucta, qua videlicet prohibetur ne ullus Fratrum cujuſcumq, ſit conditionis audeat typis mandare Libros, Memorialia, Informationes, aut libellos, abſq, expreſſa licentia Superiorum Generalium. Intellexerat enim Definitorium iſtud Generale Valliſoletanum, Fratrem Patrem Valeſium, & Patrem Raymundum Caron (jam tunc defunctum) quoſdam Libros ſine dicta licentia typis mandaſſe: ac propterea declararunt eum qui ſuperſtes eſt, Fratrem Petrum Valeſium ſubjacere pœnis impoſitis per dictam Conſtitutionem; nempe, Excommunicationis majoris, & privationis Actuum Legitimorum. Quippe noluerunt viri boni animadvertere, quòd neq, illa Victoriana, neq, ulla ſimilis conſtitutio umquam vel accommodata Provincijs Belgicis, Annexiſve erat, neq, in alterutris vel recepta vel publicata, immò ne inſerta quidem Libro Statutorum Generalium iiſdem Provincijs accommodatorum; ſed alia omnino diſſimilis, utpote quæ neq, licentiam ullius Prælati Generalis abſolutè, ſed tantùm modo disjunctivè vel Prælati Generalis vel Miniſtri Provincialis requirit; neq, alterutram ejuſmodi pœnam tranſgreſſoribus indicit, ſed longè mitiorem, quippe ſuppreſſionem operis,

operis, & inhabilitatem ad ſcribendum de inceps; ut ex ipſo Libro * ad oculum evidenter patet.

* *Statut. Generali Barchinonenſia Provinciis Belgicis, auctiſque accommodata*, cap. vii. §. 6. num. 16.

At huic etiam injuriæ (quemadmodum cæteris quæ in Decreto iſto Valliſoletano continentur) quamquam non modo graviſſimæ, ſed pene incredibili, ſuperſedeo perſequendæ nunc. Enimvero aliud, videlicet quod omnia (quæ hactenus quaſi per tranſennam perſtrinxi) oſtendet quo animo in me facta ſunt, Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ repreſentare, & propoſitum & penſum eſt præcipuum in præſentia; etſi interim non pigeat quæ huc uſq; dedi, in anteceſſum præmiſiſſe. Illud autem quale ſit vel fuerit, quam pauciſſimis tandem dico. Noluerunt umquam octennio toto hactenus vel Excommunicatores mei, æquiſſimi illi Judices, vel Prælati quiquam Generales alij, ipſis in officio ſuccedentes, judicium regulare ſeu Canonicum concedere, quo aut mihi facultas foret contumaciam quæ mihi objicitur amoliendi refutandiq;, ſi poſſem; aut ipſis ſententiam in ea fundatam juſtificandi, ſi non poſſem. Immò petitum à me inſtanter, efflagitatumq; etiam denuo, quibuſq; licuit votis ac precibus vehementer ejuſcemodi

modi judicium, renuerunt concedere. Cujus injuſtitiæ prorſus tyrannicæ, quæq; vel mihi ipſi quidem ſuperiores omnes injuſtitias, quamquam cætera enormes, adeò videtur excedere, ut ignaris rerum noſtrarum haud credendam eſſe arbitrer; duo tamen argumenta tum irrefragabilia tum evidentiſſima præſto ſunt.

Primum eſt, Quod Reverendiſſimus Pater Fr. Jacobus de Riddere, Commiſſarius ille Generalis & Citator Judex à me recuſatus appellatuſq;, vel ab initio quidem noluerit conſentire in Arbitros Juris, Judicemq; aliquem hic in partibus à ſe delegandum, quorum illi de Recuſatione cognoſcerent, iſte autem de Cauſa principali; nimirum ut diſponunt Jura *: Nec quibuſcumq; vel precibus vel oblatis meis dimoveri à duritie ſua potuerit. Certè enim & Pacis ergo, & ne viderer cuipiam vel maligno diſciplinam aut correctionem ſubterfugiſſe, rogavi, urſi, obſecravi illum dignaretur petitioni tam æquæ aſſentiri. Ac præterea in iſdem literis, quas ſimul cum Recuſatione, & priori Appellatione mea receperat, obtuli non tantùm me extemplò renuntiaturum Appellationi, ac ſtaturum ſententiæ Arbitrorum, Judiciſq; illius delegandi, quæcumq; demum foret illa

* *Cap. cum ſpeciali. de Appellat. extra.*

illa quæ ab ipſis pronuntiaretur; verum etiam quod per me liceret, utroſq, id eſt præfatos Arbitros, Judicemq, vel ex Capitulo ipſo Provinciali (quod tunc inſtabat) Anglorum Ordinis Noſtri Fratrum deſignari & aſſumi, adeoq, ex eorum numero qui per omnia juriſdictioni ejus ſuberant, dependebant ab ejus nutu, & gratiam ejus enixè aucupabantur. At ſurdo canebatur. Ad preces illas poſtulationeſq, meas, etſi æquiſſimas, ne reſpondere quidem dignatus erat, aliter quam citando rurſus peremptoriè, denuntiandoq, & affigendo nomen meum ad S. Gudulæ & alibi Bruxellis.

Alterum, & fortius adhuc (ſi tamen fortius deſiderari queat) argumentum eſt, cujus materiem mihi Reverendiſſimus itidem Gulielmus Herinx nuperrimè & abunde præbuit. Erat hic eximius Vir præfato Patri Jacobo de Riddere in Commiſſariatu Nationis Belgicæ annexarumq, Provinciarum Succeſſor. Erat etiam unus illorum Patrum antedictorum qui ad annum Milleſimum Sexcenteſimum Septuageſimum præfati Patris Ridderi excommunicationem in me latam haud minus injuſtiſſimè quàm invalidiſſimè Valliſoleti confirmarunt. Porrò autem & idem erat qui hoc ipſo Domini anno Milleſimo Sexcenteſimo Septuageſimo ſeptimo; ante

nonas Maias, ex Belgio in Angliam trajectione facta, Londinum appulit, & statim quam appulerat Capitulum Provinciale Anglorum sui Ordinis Fratrum in Æde Somersetana Reginæ Palatio tenuit, præsens ipse præsidensq; etiam personaliter, authoritateq; sua firmitatem addens omnibus quæ statuebantur. Et ego sane ad primam tanti hospitis, tamq; diu expectati adventus ejus famam exhilarabar, quòd nimirum inde confidenter sperarem sententiæ illius contra me pronuntiatæ injustitiam tandem aliquando patefactum iri. Ecquid enim obstare posset? Aderant una magnus eorum numerus è quibus tum Arbitri Juris, tum indifferens aliquis Judex delegatus concedi posset. Neq; accusator alius ab ipso Judice Ordinario necessarius erat, præsertim in causa Contumaciæ: cum reus ipse nihil eorum quæ objici possent inficiaretur; sed omnia rite facta paratus esset in Judicio legitimo & canonico sustinere. Nec locus demum in quo licitum pariter ac tutum foret comparere, Tribunal erigi, sententiam ferri deesse potuit, dum hinc Reginæ Domus (ut alia multa loca taceam) ex æquo omnibus aperta esset, inde vero qui judicandus erat, Judicium (qualecumq; tandem foret) effusis votis & precibus efflagitaret. Eccur itaq; audito Reverendissimi illius viri

appulsu

appulsu non sperarem bene? Non expectarem fore, ut vel per ipsum quidem facultas mihi tandem fieret contumaciam quæ male prorsus de me præsumpta erat, evertendi purgandiq, penitus in judicio? Certè necdum non Religio fuit de Prælato illo quæ pauci postea die monstraverunt, suspicari. Et tamen identidem vellicavit mihi aurem fateor Decreti illius Vallisoletani pudenda nimis injustitia. Subijt quoque mentem consideratio Electionis viri quæ tum spargebatur nuperæ ad Iprensis Dioceseos Insulam: adeoq, & dependentiæ ejus plusquam Ordinariæ ab illis qui confirmationem ejus Romæ vel expedire, vel impedire, aut saltem retardare possent. Verùm nihilominus opinabar, haud adeo suffocatam in eo justitiæ omnis sementem ab Agricola bono seminatam, nec adeò extinctam vel existimationis sui curam, ut saltem præ se non ferret cum Judicis æqui tum Pastoris boni aliqualem speciem: ibi maximè ubi nec injustitiæ consortes haberet crimen ejus alleviaturos, ut Vallisoleti habuit, nec defuturum sciret qui nequaquam aut pulvillos sub omni cubito ejus consuerent, aut cervicalia ponerent sub ejus capite. Qua de ipso opinione ductus, concipiendæ statim scribendæq, ad ipsum Epistolæ, quæ pro rerum circumstantijs necessaria esset,

incubui. Et illius quidem in priori parte adventui ejus, ut decuit, gratulabar, felicia omnia fauſtaq; apprecatus. In progreſſu autem de injuſtitia multiplici ſententiarum in me latarum expoſtulabam. Adeoq; etiam enixius petebam, obſecrabamq; ut hicce loci, nempe ubi comparere licuit, de contumacia mihi objecta cognoſceretur, idq; in judicio Regulari & Legitimo. Subjungebam; me pro tali, id eſt canonico, habiturum illud in quo vel ipſe quidem Reverendiſſimus ſederet pro tribunali, modò Aſſeſſores cum arbitrio & ſuffragio deciſivo eſſent Capituli Anglicani Patres, ſive omnes, ſive quotquot Paternitas ſua Reverendiſſima vellet, quantumcumq; interim Reverentiæ ejus ſubditi; mihi verò nec beneficio, nec officio, nec cognatione, nec Patria, nec gratia quapiam devincti, imò ne ex facie quidem vel ex ipſius Univerſæ Provinciæ Anglicanæ Fratribus ultra tres vel quattuor noti. Porrò & addebam iſtud, ita me tum cauſæ meæ juſtitia niti, tum ad pacem anhelis votis aſpirare, ut quamvis ob diſſidium vetus quod interceſſerat, haud indifferentem in rebus meis conſtaret eſſe, qui præcipuus inter omnes Angliæ Patres audiebat; contra hunc ipſum tamen non exciperem, ſed conſidentem inter Arbitros Aſſeſſoreſq; admitterem, colerem & ſuſpi-

ſuſpicerem. Denique concludebam pollicendo ſanctè, ſtaturum me ſententiæ Patrum, quæcumq; foret.

Et iſtius quidem tenoris epiſtolam portans mecum, ædes in quibus Reverendiſſimum hoſpitari intellexeram, quarto demum Capituli die, ſeu pridie quam Tabula Capitularis legebatur, ſolus adij; oſculatum nempe (ſi admitterer) eidem Reverendiſſimo Patri manus, petitumq; benedictionem ejus, atq; traditum ipſi quas ad Paternitatem ſuam literas apportabam. Comperto autem ubi introieram, quòd Reverendiſſimus paulo ante faciendi Sacri gratia egreſſus eſſet, Secretarium ejus Venerandum Patrem Antonium Vanden Boſck, (qui me receperat) poſt indicatam ipſi & perſonam meam & adventus cauſam, communicataq; etiam ſermone multo Epiſtolæ totius contenta, rogavi non gravaretur quamprimum ſequi Reverendiſſimum, eidemq; in manus epiſtolam tradere: porrò etiam & nomine meo Paternitatem ejus obteſtari, ut à ſe prius lectam dignaretur mox Capituli Anglicani Patribus communicare. Promiſit omnia fideliter ſe facturum Secretarius. Et hora quidem tertia poſt meridiem ex condicto me conveniens in eodem Reverendiſſimi hoſpitio, epiſtolam non modò receptam, ſed lectam, relectamq; & pondera-

deratam ſatis à Reverendiſſimo Patre, ſignificavit; monens etiam temporis opportuni, ſcilicet craſtini diei horæ ſextæ matutinæ, qua ſi venirem (inquit) liceret mihi Reverendiſſimi Patris alloquio liberrime frui, & ambobus quidem nos mutuo intelligere. Feci quod monitum erat. Veni ad horam; & inveni quidem illum qui me monuerat Secretarium, at Commiſſarium non ita. Quorſum vero hic abeſſet, cauſam quæ probabilis videretur, ille quamprimùm dans, aiebat Reverendiſſimum iſta nocte foris, apud amicos quoſdam Mercatores Belgas cives ſuos cubaviſſe, quòd ab iſdem procul ab hoſpitio ad multam noctem in cœna detentus eſſet. Cæterùm ſe in mandatis habere quod mihi adeo in votis erat, referre; ſcilicet Reverendiſſimi Patris ad poſtulata mea omnia de Judicio pariter & Arbitrio aſſenſum; ſi tamen ego ex parte mea conſentirem habendo in Legati Hiſpaniarum ædibus. Contra conditionem hanc adjectam de Judicij loco, rationes meas eidem Patri Secretario in præſentia dedi, ad Reverendiſſimum perferendas. Quibus tamen & iſtud ſæpius repetitum addidi, Adeo me vehementer cupere deciſionem litis, ut ſi rationes quas obtuli contra Legati domum Reverendiſſimus ipſe non approbaret, paratum me nihilominus

ſciret

ſciret ad comparendum ſine mora coram Tribunali ejus Patribuſq; Aſſeſſoribus vel in illa ipſa Hiſpaniarum Legati domo, idq; nemine prorſus, ne ſocio quidem comitante. Profectus cum hoc reſponſo meo ad Reverendiſſimum Pater Secretarius, regreſſuſq; iterum (ut conventum erat) hora iſtius etiam alterius diei poſt meridiem tertia, retulit Commiſſarium non modo Exceptiones meas contra Legati Domum factas approbaſſe, verum etiam deſignationi meæ ipſius Judicij locum reliquiſſe. Id tantum inſuper adjeciſſe, Privatim ſe tractare mecum velle, priuſquam Patres convenirent, aut publicè pro Tribunali agendum eſſet. Atq; in hunc finem præterea velle, ut monſtratis primum à me eidem Secretario ſuo ædibus, ad quas nimirum ipſe conſtituta hora venturus eſſet me privatim alloquendi cauſa, ego ſimiliter abſq; ſocio vel alio Comite venirem eo ſolus. Addidit nonnulla alia Pater Secretarius, at velut animi ſui proprij ſenſa, affectuſq; proni indicia. Quale videlicet, illud imprimis erat: A privato iſto colloquio omnia ſe ſperare bona & felicia, pacemq; adeo plenam & amorem mutuum inter nos conciliatum iri. Et: finem hunc impenſæ opellæ ſuæ, ultro citroq; toties hinc & illinc commeando, remeandoq;, niſi vel ab initio quidem ut

ſibi propoſuerat, ita etiam confidenter ſperaviſſet fore, nequaquam ſe moturum pedem ut internuncium ageret. Et: aliter multo in longinquis partibus apud exteros cauſam perſonamq, meam repreſentatas, aliter vero utramq, repertam domi. Cæterà, quod Colloquium ipſum ſpectaret (& hoc etiam concludens omnia ſubjunxit idem Secretarius) ſe quidem, ubi noſſet locum à me deſignatum, monſtrandi tantum ejus loci cauſa, non autem aſſiſtendi Colloquio noſtro, comitaturum eò Reverendiſſimum, & poſt ſalutationes primas relicturum nos una ſolos. Quibus à Secretario dictis, repenſaq, etiam à me; ut verbis licuit, pro affectu pariter & officio ejus gratia, non differendum ratus, mox oravi illum non moleſtè ferret ire mecum protinus viſum tres quattuorve domus in Vicinia ſitas. Quarum ſingulæ (ut mihi videbantur) egregiè rebus noſtris accommodæ & convenientes erant. Cæterum in ipſius arbitrio fore quamcumq, ex illis ſeu colloquio ſeu Judicio, ſeu utriq, opportuniſſimam judicaret, eligere atq, conſtituere. Excuſavit ſe contra Secretarius dicens, in præſentia quidem non poſſe, quod iſtam veſperam alijs rebus deſtinaſſet. Hora autem decima ſequentis proximè diei matutina ad obſequendum mihi ſe paratum fore,

ac

ac ituros una prædictas ædes visum. Sed ô candorem & fidem hominum nunc! Ad constitutam ipsam hac tertia die horam adveniens, introiensq, domum lætus & alacer (quippe ad certaminis tam diuturni, cursusq, tot annorum finem ingenti spe appropinquans; sic enim mihi bona fide persuadebam) quem reperio ibi? quidve audio? Certè ad ipsum domus limen Patremfamilias, honestum civem, Religionis Catholicæ Virum offendo referentem mihi, ante duas horas, seu ad octavam mututinam avolavisse quos cupiebam alloqui. Et Secretarium quidem ultimum valedicto, abijsse in urbem ad Commissarium, ubi scilicet ista etiam altera nocte Paternitas sua Reverendissima dormierat. Utrosq, autem inde protinus in Belgium profecturos, jam iter suum capessivisse. Ad nuntium istud abitionis tam inexpectatæ, quanta me admiratio tenuit, haud difficile est conjectu. Et tamen quantacumq, fuit, id fateor, transisse eam in stuporem quattriduo post; qua die scilicet breviculæ Reverendissimi illius Commissarij literæ, quas in discessu suo, Londini $\frac{14}{24}$. Maij 1677. dedit, ad manus meas pervenerunt. Tenor earum hic erat. *Domine literas vestras, peractis negotijs receptas, non sine dolore inspexi: qui nolens malum pro malo reddere, sed satagens*

in

in bono malum vincere, paucis hiſce lineis reſpondeo, dum non licuit veſtro frui alloquio, utpote poſt heſternum cum Legato congreſſum coactus feſtinare reditum, relictis Oxonio & Cantabrigia, præclaris jam olim ſapientiæ Sedibus. Cauſa veſtra ad altius Tribunal devoluta, immò jam in eo judicata deſtitit eſſe mei fori; & ut eſſet, utiq; hoc in loco nequaquam diſcutienda. In ditione autem Catholica ſi arbitrium meum requiras, præſto ero; dum & tu præſto ſis. Neq; literæ ſecuritatis omnimodæ deerunt accedere cupienti. Quod verò allegetur ratio ſtatus, quaſi fas ideo non foret Regno egredi, frivolum apparet in Viro Religioſo: quotuſquiſq; enim legibus his alligatus etiam Nobilis aut Princeps reperitur, qui licentiam tantiſper exeundi ſeriò petitam non obtineat? Itaq; miſerere animæ tuæ, & canos in pace deduc ad Sepulchrum. Spondere auſim nil nocumenti, ſed multum gloriæ apud Deum & homines acceſſurum, obliteratis præteritis, ſi mente ad bonum compoſita, Obedientiæ erga Religionem Seraphicam debitæ, (ut de Eccleſia nil dicam) memor ad ſinum meum paternum convolaveris. Deus ſcit quòd non mentior. Illum rogare non deſinam, ut non declinare deinceps ſinat cor tuum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Memor eſto unde excideris, & pœnitentiam age. D. V, Addictiſſimus uti Frater, Fr. Gulielmus Herinx Commiſſarius Generalis.

Et

Et hæc profecto ſeries eſt eorum quæ mihi æſtate ultima cum Reverendiſſimo Patre Herinxio hic Londini interceſſerant. Ex qua veriſſimâ narratione Facti, alterum (quod nuperrimum dixi) argumentum ſatis liquet. Ex utroq; autem argumento, ſeu illo quod præceſſerat, & iſto quod ſubſequutum eſt, ſaltem una ſumptis, ni ſupra modum fallor, ni cæcutio prorſus, evictum eſt, idq; evidenter quidem & abundè, quod evincendum erat; Videlicet, Noluiſſe umquam octennio toto hactenus, vel Excommunicatores meos, æquiſſimos illos Judices, vel Prælatos quoſquam Generales alios, qui ipſis in officio ſucceſſerant, Judicium regulare ſeu canonicum concedere, quo aut mihi facultas foret contumaciam quæ prætenditur amoliendi refutandiq;, ſi poſſem; aut ipſis declarationem in ea fundatam juſtificandi, ſi non poſſem. Immò utroſq; petitum à me inſtanter, efflagitatumq; etiam denuo, quibuſq; licuit votis & precibus vehementer, ejuſcemodi Judicium renuiſſe hactenus concedere.

Nec certe vel infirmari vel obſcurari poteſt ſive à Reverendiſſimo Herinxio, ſive à quoquam alio Adverſario, evidentia & convictio hæc, ſi dicant oblatam mihi facultatem purgandi me in par-

partibus ultramarinis. Malè enim objicient falſoq; aſſument iſtud. Ne facultas quidem vel mihi ipſi ſoli in Belgium aut alio extra Imperij Britannici fines proficiſcendi, adhuc oblata eſt: quia necdum Inhibitionis Regiæ abolitio vel oblata, vel promiſſa, multo minus procurata eſt à quoquam. Neq; blandiatur ſibi Reverendiſſimus Pater Herinx præoccupatione ſua Reſponſi hujus tamquam *frivoli*. Suppoſitione prorſus falſa, eaq; duplici nititur. Non tantùm ſeriò, ſed valde, ſed maxime ſeriò cum Valeſius ipſe, tum Illuſtriſſimus bonæ memoriæ Dominus d'Aubigni Regis noſtri Cognatus, Reginæq; noſtræ Eleemoſinarius Magnus, tum etiam alij optimates Angliæ nonnulli per quinque ſeptimanas Regiæ Majeſtatis licentiam pro Valeſij ad tempus profectione in Belgium, fruſtra ſollicitarunt. Quod etiam in prioribus meis ad ipſum Reverendiſſimum Patrem Herinxium literis, ac invocato quidem omniſciente Deo in teſtem, juravi ex omni parte verum eſſe.

Igitur haud recte ſupponit Reverendiſſimus ille, nec Valeſium ſeriò petijſſe veniam tantiſper in Belgium abeundi, nec cuiquam ſerio ejuſcemodi licentiam à Majeſtati Regia petenti denegandam. Eſto enim Nobilibus & Principibus viris illis, quibus Majeſtas ſua ſpeciali præcepto peregri-

regrinationem ad Exteros non vetat, facile poteſtatem facit vel quouſq; velint vel ad certum aliquod tempus peregrinandi: haud ita tamen eſt neq; cum ijſdem quando ipſis vetat, neq; cum alijs ſive magnis ſive parvis quibus mandato expreſſo abitionem inhibet; quemadmodum ſanè Valeſio haud ſemel tantum, ſed iterum atq; iterum ſtricte inhibuit. Non ergo frivolum apparet in Valeſio etſi Viro Religioſo rationem illam Status allegare: niſi forte frivolum erat vel in Apoſtolo præcipere Omni animæ Poteſtatibus ſublimioribus ſubditam eſſe, idq; non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, *&c.* Vel in Chriſoſtomo aſſerere, neq; Sacerdotes, neq; Monachos quidem, immo neq; Apoſtolos, neq; Evangeliſtas, neq; Prophetas, neq; alium quemvis ab iſta ſubjectione immunem qrocumq; privilegio reddi. Sed interim bene eſt quod non ſit neceſſe hic, neq; Scripturarum divinarum Oracula, neq; Sanctorum Patrum interpretationes, neq; alia quæpiam ex Veteribus in medium adducere. Recentiſſimum eſt exemplum Galliæ totius Miniſtrorum Provincialium & Cuſtodum Ordinis noſtri Seraphici Fratrum. Hi omnes

Rom. 13. 1.

Chri. oſt. ibidem. Serm. xlii.

omnes nuperrimo Chriſti anno Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſexto ad Capitulum Generale ſui Ordinis Romæ eodem anno in Feſto Pentecoſtes celebrandum, indictione ubiq; facta (ut moris eſt) vocati, excuſaverunt ſeſe univerſim à proficiſcendo, idq; inquam ea ratione ſola quod Majeſtas Chriſtianiſſima egreſſum ipſis è Regno ſuo vetuiſſet. Et tamen ſpeciali præcepto Regulæ quam ſolemni voto ſponderant obſervare, & præcepto quidem ſub læthali noxa univerſos obligante, aſtringebantur eidem Capitulo Generali tamquam Membra ejus genuina intereſſe. Quid verò hic Reverendiſſimus noſter Commiſſarius Belga dicet? An fortaſſis, quòd *rationem Status* allegaverint iſti Galli, *frivolum* in ipſis illud, quippe *viris Religioſis* appariuſſe? At non ita Capitulo ipſi, neq; ita vel Romanæ Curiæ viſum. Utriſq; ſaltem non audebit ille refragari; maximè cum in promptu videat innumera pene exempla vel ex Hiſpanijs ipſis, Burgundiaq; ac Belgia ſua dilecta, haud minus quàm ex Gallia, quæ adjicere liceat. Et quod vulgo *Placitum* Principis vocant, & Librum cui Titulus eſt *Jus Belgarum contra receptionem Bullarum Apoſtolicarum*, & Monarchiam Siculam,

Regula S. Franc. c. & cap. Exijt. de Verb. Signif. in 6.

lam, & Philippi II. Regis maxime Catholici Edictum contra undecimum Baronij Tomum, & plurima alia ejuſmodi in omnibus pene totius Europæ Regnis haud ignorat ille qui Magiſter in Iſrael eſt. Deniq; verebitur exemplum pariter & queſtionem in ſuamet perſona ſtatui, hoc eſt, Gulielmum Herinxium Petri Valeſij, & Carolum Proſperum Hiſpaniæ Caroli Stuarti Brittanniæ loco ſubſtitui; atq; Mox queſtionem hanc proponi, *viz.* An ſi diſertis verbis præceptioneq; Regia, Carolus Rex Catholicus Reverendiſſimo Patri Gulielmo Herinx Commiſſario Generali Belgico, Iprenſi Electo vetuiſſet ne equidem vel ab ipſo Pontifice Maximo citatus Romam, auderet extra ditiones Hiſpanicas efferre pedem, Reverendiſſimus autem Gulielmus ad ſeſe excuſandum Pontifici inhibitionem ſui Regis allegaret; *frivolumne* in ipſo, *viro* utiq; *Religioſo* reſponſum iſtud appareret? Non quæram amplius de re alioqui per ſe clariſſima. Nihil enim liquidius eſſe poteſt, quàm quòd iſtiuſmodi objectionibus, ſuppoſitionibuſq; falſis evidentia ſuperius data nequeat neq; infirmari, neq; obſcurari quidem.

Manet itaq; inconcuſſum adhuc etiam iſtud ipſum quod ſuperius objectioni parcis evertendæ reſponſum eſt, videlicet, ne facul-

facultatem vel mihi ſoli quidem aut in Belgium aut alio terrarum extra Ditiones Regias proficiſcendi, à quoquam hactenus oblatam eſſe. Ut nihil interim de abſentia teſtium, nihil de Arbitris Juris & Judice indifferenti, auſuris quidquam Bruxellis pro Valeſio decernere, nihil deniq, de loco intuto dicam aut reſpondeam. Nemo tamen eſt qui dubitat ejuſmodi hæc eſſe, ut vel ſingula quæq, ſeorſim ſumpta, judicio cuicumq, ſive ultramarino ſive etiam ciſmarino à ratione legitimi & canonici evertendo, per ſe ſufficiant. Nec profecto, vel ſoli poſtremæ huic Exceptioni de loco intuto, obviam ibit Reverendiſſimus Pater Herinx ſalvi conductus neſcio cujus mentione. Niſi ſi fortaſſis eruat mihi primùm oculos, ne quod in præſentia eſt (ut præterita ſileam) ne quod ſub poteſtate quidem ejuſmet Bruxellis eſt exemplum violatæ jam quinquennio vel ſexennio toto Fidei aut videam, aut conſiderem amplius: & Fidei quidem publicæ, inquam, & Fidei etiam authoritate Apoſtolica datæ. Qua videlicet Fide Vir ille ſimpliciſſimus æque ac Religioſſimus & doctiſſimus P. T. Haroldus, ejuſdem cum ipſo Inſtituti Frater Minorita cum vocatus, tum invitatus & allectus & nixus, anno Milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ex Hibernia in Belgium, ad Illuſtriſ-

ſtriſſimum Airoldum Comitem Lucæ Prædeceſſorem tuum, nihil doli mali ſuſpicans in terra ſeu ditione Catholica repertum; iri, ſed omnia ſancta (ſcilicet) & juſtitiam & judicium rectum, maximè in Loco Sancto quem elegit Dominus, confidens ſe inventurum, deceptus tandem egregiè eſt.

Cæterùm contra Judicij iſtius ultramarini officias multo adhuc plurima & veriſſima, neq; minus convincentia quàm quæ huc uſq; dicta ſunt, adjicere poſſem, ſi cui bono eſſet. Et Conciliorum non modo Regionalium ſed Oecumenicorum Canones, & Pontificum Romanorum decreta, et Eccleſiæ etiam vetuſtiſſimæ conſenſionem, vel Cypriano quidem teſte, & ætate noſtra ſimiliter ipſius etiam Minoritani Ordinis Conſtituta, Praxim, conſuetudinem, & rationis demum, rectiq; & æqui omnis Jura video quæ in rem iſtam poſſent hic appoſitè & abundè quidem allegari. At epiſtolæ jam ad finem properanti quorſum iſta? Nulli plane bono futura, prolixiorem eam redderent. Fruſtra enim à Valeſio canon, fruſtra Lex, fruſtra conſenſus Nationum Chriſtianarum, fruſtrà Inſtituti ſui Seraphici nota per Superiores Generales Provinciarum omnium Triennalis Viſitatio, fruſtra denique aut æquitatis, aut juſtitiæ, aut humanarum divinarumve

rumve legum ratio quæquam allegatur. Oportet illum ſcilicet, & cum illo utiq; innocentes multos proboſq; viros, quos ſive per invidiam, ſive per ignominiam ſequaces ejus vocant, indicta cauſa & ſolius nominis præjudicio damnari. Unde pronum eſt *intelligere* (quid enim vetat hic Tertullianum in Apologia ſua ad Romani Imperij Antiſtites imitari, verbiſq; ejus dicere?) *non ſcelus aliquod in cauſa eſſe, ſed nomen, quod quædam ratio æmulæ operationis inſequitur; hoc primum agens ut homines nolint ſcire pro certo, quod ſe neſcire pro certo ſciunt. Ideo & credunt* (vel potius videri volunt credere) *de nobis quæ non probantur, & nolunt inquiri, ne probentur non eſſe, quæ malunt credi eſſe, ut nomen iſtius æmulæ rationis inimicum, præſumptis non probatis criminibus de ſola ſui ipſius confeſſione damnetur*, exoſumq; vulgo ſit. Et tamen Valeſius (aut Valeſianus) *ſi nullius criminis nomen eſt, valde ineptum ſi ſolius nominis crimen eſt.* E nomine quippe (ut etiam, ante *Tertullianum*, *Juſtinus Martyr* animadverterat) *neq; laus neq; pœna recte irrogatur.*

Tertullianus in Apol. num. ſive cap. 11.

* *Apolog. 11. pro Chriſtianis.*

Atq; ita demum, Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine, querelam meam Amplitudini

plitudini Tuæ, qua brevitate claritateq; potui, expoſui. Quod ſupereſt, judicij tui, æquitatiſq; & compaſſionis tuæ partes erunt. Si qualis mihi ſemper viſa eſt tot annos jam querimonia iſta, talem, hoc eſt juſtiſſimam & graviſſimam judicio etiam tuo liceat eam reputare, tantum non reſcuſcitabis me à morte ad vitam. Invidiæ ſcilicet, malevolentiæ & audaciæ hominum improborum (qui ut viam ſibi ad concupita munia ſternerent, quibus tamen pleriq; eorum indigniſſimi ſunt, urbem & orbem ſuis mendacijs de me confictis repleverunt, Purpuratos Patres in anteceſſum præoccuparunt, Generales etiam Inſtituti mei Præfectos terrefecerunt, ac toties quidem vel de capite meo luſerunt) miſerata tandem oppreſſæ ejuſmodi artibus innocentiæ humanitas, æquitas, moderatio tua, dignitaſq; etiam ac poteſtas tua ſeſe interponent. Pro miniſterio illo tuo, quo tam ſanctè fungeris Apoſtolico, haud indignum te putabis Valeſij querimoniam adeò juſtam, adeo gravem Sanctiſſimo D. N. Innocentio Undecimo, qua polles apud eum gratia, repreſentare. Quam adverſus inquam omnia omnino ſeu divina ſeu humana Jura jam octennium continenter, ac primum ſanè à Riddero, dein mox à Definitorio Generali Valliſoletano, nuperrimè autem à Reve-

rendiſſimo Patre Herinxio in Valeſij rebus actum eſt: Quàm inter hæc de fama pariter & vita ejus ludere nefarij quidam vel ex ipſo Clero cives moliti ſunt: rati videlicet impune fore ſi quovis modo, ſi vel dolo quidem & mendacio, ſive aperta etiam ſive occulta vi opprimerent atq; tollerent virum, quem ipſi ſocijq; cæteri prius Romanæ Curiæ exoſum reddiderant, ac paulo poſt ab Inſtituti ſui Prælatis etiam excommunicari procuraverant. Quàm præter mendacia non ſolùm deteſtabiliſſima ſed manifeſtiſſima, duobus quidem Argumentis veris Adverſarij mei in urbe ad incendendum contra me Eminentiſſimos quoſdam Dominos Cardinales abuſi ſunt. Altero, quòd in prioribus infelicibuſq; illis Hiberniæ Controverſijs, quæ anno 1648. in cauſa tum Ceſſationis Armorum inter Confœderatos iſtiuſce Regni Catholicos & Baronem Inchiquinium initæ, tum cenſurarum Interdicti & Excommunicationis contra eoſdem Confœderatos (eamdemq; ob Ceſſationem) ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Joanne Baptiſta Rinuccini Archiepiſcopo & Principe Firmano Nuncio in Hibernia Apoſtolico Extraordinario latarum, emerſerant, *Valeſius* pro Appellatione ab iiſdem Cenſuris ad Sanctiſſimum Dominum Innocentium X. interpoſita cenſuerit: adeoq; & cenſuras

ras iſtas neq; juſtas neq; validas fuiſſe docuerit. Altero autem, quòd in poſterioribus quoq; Hibernorum diſſidijs, videlicet, circa Fidelitatis Regi in rebus temporalibus promittendæ famoſam illam Formulam, quæ vulgo *Remonſtrantia Hibernorum* dicitur, poſt reſtitutum Regem, quippe anno 1662. exortis, pro eadem Formula, ſubſcriptioneq; ejus numquam ab ijs qui ſubſcripſerant juſte refigenda, conſtans & immobilis permanſerit. Quàm deniq; non modo contra Sedis Apoſtolicæ dignitatem, ſed ipſius etiam Sacræ Congregationis de propaganda Fide exiſtimationem & honorem Excommunicatores mei exemplo peſſimo, certè parum Chriſtiano, conſilium iſtud inierint, *viz.* Non cauſam pro cauſa allegandi; ſeu, quod tantumdem eſt, *Contumaciam fictam* in non comparendo, pro *Conſtantia vera* in non refigendo, velut excommunicationis ſuæ cauſam prætendendi. Quod indubiè non ſolum contra veritatem ipſam rerum, ſed (velut cætera de quibus ante) contra Canones etiam & Leges, & juſtitiam & æquitatem omnem eſt.

Hæc tu virorum humaniſſime & juſtiſſime, tam pro munere tibi commiſſo, quàm pro compatiente iniqua paſſis & oppreſſis animo, haud gravaberis, ut opportunum erit, Beatiſſimo Patri ac Sanctiſſi-

mo Domino *Innocentio* XI. verbis tuis aptioribus referre & exponere. Quod etiam atq; etiam qua inſtantia decet, quibuſq; votis, precibus, lachrymis, ſuſpiriis non dedecet, oro, atq; per Crucifixi vulnera obteſtor, ut facias. A Beatiſſimo enim Patre Dominoq; Noſtro ſolo, aut certè à nullo hominum in terris, expectandam mihi, ſive juſtitiam, ſive pacem, ſive malorum ſub quibus gemo depulſionem, nunc tandem clarè video. Ille qui in Cathedra Petri ſupremoq; illo militantis Eccleſiæ Throno conſtitutus eſt Sacrorum Canonum, juſtitiæ læſæ, & oppreſſæ per injuriam innocentiæ, Vindex: Ille cujus ad imperium omnia prorſus quorumcumq; Eccleſiæ Catholicæ Prælatorum, Superiorum, Judicum ſive Decreta ſive pronuntiata quæ cum æquitate naturali & ſubſtantia Juris ſcripti Canonum Divinorum pugnant, reſcinduntur, abolentur, declaranturq; & reputantur, etiam ab initio plane irrita & inania fuiſſe: Illeq; adeò ſub quo *curvantur qui portant Orbem*, vel Eminentiſſimi quidem ipſi Romanæ Eccleſiæ Cardinales: deniq; ille qui *brachium habet ſicut Deus & voce ſimili tonat*: Ille, Ille inquam ſolus eſt qui pro Eccleſiæ foro *ſpiraculum vitæ* rurſus in *Valeſij* faciem inſpirare, hominemq; iſtum, tamdiu mortuum, rurſus in viventem animam facere

facere, & vivorum ſocietati adſcribere, & Sanctorum Communioni adjungere, rurſuſq; etiam quoad cætera omnia reſtituere in integrum poteſt; idq; ſine ulteriori mora vel recurſu quidem; beneficio quoque reſtitutionis ejuſcemodi ad omnes ejus ſocios, qui ob eamdem cauſam perpeſſi ſunt, extento. Solus Beatiſſimus Pater *Innocentius Undecimus* eſt qui præſtare iſta aut poſſit aut certè velit. Ac de poteſtate quidem Sanctiſſimi Domini etiam *de lapidibus iſtis filios Abrahæ ſuſcitandi*, porro etiam & in caput anguli rurſus lapidem quem reprobaverunt ædificantes reponendi, quod ſpectat aio ad ædificium Chriſti Viſibile, nemo fidelium eſt qui dubitat. De voluntate vero ejus, vel in iſta ipſa cauſa equidem, cogitandi cogitationes pacis & non afflictionis, exaudiendiq; Valeſij vota, profectò ſi fama verax, ſi mei ipſius animi conjectura quidquam ſit, haud licet ambiguum eſſe. Ovilis Dominici non Mercenarius, ſed Paſtor bonus eſt. Ovem igitur à lupis fugientem defendet, & errantem quæret, & inventam ponet in humeros ſuos gaudens & dicens, Congratulamini mihi, quia ovem meam quæ in æſtimatione hominum perierat, inveni. Judicium Dei, non hominis eſt quod exercet. Ac propterea non reſpiciet perſonam hominum, non ſecun-

visionem oculorum judiçabit, nec secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in equitate pro mansuetis terræ. Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum. Petri & Pauli Apostolorum successor justus, & Salvatoris Christi Vicarius verus audit. Eorum itaq, tum exempla vitæ, tum præcepta disciplinæ fideiq, proposuit, qua mortali fas est, per omnia sequi & amplecti. Non autem Gregorij VII. & Alexandri VII. non alterutrius, nec alius quidem intermedij aut succedanei cujuscumq, Romanorum Pontificum vel Dictata, vel Facta, vel odia vel præjudicia in controversijs istis fatalibus (aio) quæ de potestate Regia & Papali in Temporalibus post mille annos Æræ Christianæ, labente scilicet in deterius Christianismo, primum exortæ sunt.

Quapropter haud video quorsum sperare non liceat, quod ne succensendum quidem mihi à Pontificibus illis Maximis Innocentio X. Alexandro VII. Clementibusq, IX. & X. multo minus excommunicatione quapiam, alijsve Censuris aut pœnis Ecclesiasticis contra me procedendum fuisse, Beatissimus Innocentius Undecimus pro sua justitia & æquitate censeat. Causa etenim vera & unica tempestatis adeo magnæ, violentæ, con-

tinuæ

tinuæ in caput meum excitatæ, ut non alia modò est, ita neq; aliquando fuit, quàm quod in utrisq; Hiberniæ controversijs, quæ (procul omni dubio) de supremi Magistratus Laici potestate in rebus planè temporalibus erant, Doctrinæ Christi & Apostolorum ejus, ut per mille annos Religionis Christianæ primos unanimi Sanctorum Patrum consensu explicatæ, adhæserim; repudiata penitus novorum hominum doctrina nova, adeoq; & Scripturarum Divinarum illiusmodi Expositione dogmatica quam non solum Concilij ipsius Tridentini Patres expresso Decreto vetant, sed extensius & severius adhuc Pius IV. in professione Fidei damnat. Constantem verò & perseverantem esse in Doctrina Fidei semel (immò per mille annos ab initio quidem jugiter & unanimiter) à Sanctis traditæ, an tu Antoni Illustrissime revera putas, Sanctissimo Domino Nostro Innocentio Undecimo visum iri excommunicationem meruisse? Aut non potius existimas quòd Sanctitati suæ videbitur, in ejuscemodi constantiam Prædecessores illos suos immeritò vel succensuisse quidem, etiamsi ulterius ad vindictam aut punitionem non progressum fuisset?

Utcumq; res ista sit vel erit, illud ut indubie certum videre mihi videor, nullo modo

modo Beatitudini ſuæ arriſurum, Quod inferioris Subſellij Judices mei excommunicationes ſententiæ ſuæ pro cauſa vera falſam utiq, & ementitam plane contumaciam ſuppoſuerint. Quod Ridderus ex prætenſa cauſa contumaciæ in non comparendo ibi, ubi tamen etiam impoſſibile erat mihi comparere (illud enim poſſumus quod jure poſſumus) excommunicationem ſuam in me denuntiaverit. Quod Valliſoletani Patres dein contra non confeſſum, non convictum, non præſentem, non defenſum, neq, citatum, neq, monitum, nec ullo modo vocatum, immo nec ſcientem aliquid de judicio ullo quod in cauſa pararetur, pronuntiaverint; idq, tum iſtam Ridderi Excommunicationem confirmando, tum novam aliam conficti juris à ſe inventam adjiciendo. Quod Reverendiſſimus Jacobus Ridderus olim & Gulielmus Herinxius nuper quantumcumq, rogati & urſi noluerint ſive in perſona propria, ſive in aliena per Judices Delegatos Judicium ibi Valeſio dare, ubi tamen ſolummodo vel ipſi licitum vel teſtibus libitum eſſet comparere; immò ubi (& non alibi) ſecundum univerſalis Eccleſiæ canones oportebat dari & conſtitui. Quod deniq, viri illi Fratres Judiceſq, mei integerrimi, ut me opprimerent, adeo in pluribus alijs

articulis (quos in ſpecie recenſere poſſem, ſi neceſſe foret) adeo à capite ad calcem in toto proceſſu contra me, nec divina nec humana jura obſervaverint, ut potius videri poſſint utraq; penitus contempſiſſe. An putantes obſequium ſe præſtare Deo? An ſolummodò gratiam aucupantes hominum? Ipſi viderint. Certe Ridderus etiamnum vidit. Cujus tamen animæ ut propitietur Deus bonus & miſericors orare non ceſſabo. Interea tamen, quicquid utrimq; expectandum ſit in altera vita, illud (ut jam dictum eſt) mihi perſuadeo, nihil prorſus iſtorum omnium quæ contra me ab inferioris ſubſellij Judicibus tam iniquè pronuntiata, decreta, acta ſunt, Vicario Chriſti in terris Innocentio XI. arriſurum. Id auguria mentis, id conſequentia eorum quæ de ſanctitudine, æquitate, pietateq; ejus apud Mortales omnes circumferuntur, ultra dubium ponunt; ſi tamen (aio) per humanitatem & gratiam tuam Beatitudini ſuæ relatio fiet. Hac enim relatione ſemel à te facta, non videtur dubium, quin Sanctiſſimus Dominus confeſtim jubebit vel reſcindi omnia quæ tam iniquè ſancita ſunt; vel certe Judices Delegatos ſecundum jura aſſignari in partibus, ubi nimirum & Reo & Teſtibus, omnibuſq; etiam alijs quorum intererit, liceat comparere. Atq; ita tandem

pro

pro juſtitiâ pariter & clementia ſua maxima, immò & (ſi liceat hic Syracidæ verbis uti) ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis ſui Clementiſſimus Innocentius XI. liberabit me à perditione & tempore iniquo, de altitudine ventris Inferi, & à lingua coinquinata & verbo mendacij, de rugientibus præparatis ad eſcam & à manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me.

Quod ſi poſt omnia fallet me expectatio mea: ſi fortaſſis vel Dominatio tua Illuſtriſſima non auſit intercedere, vel Beatitudo ſua nolit exaudire deprecantem pro Valeſio; ſaltem eo miſeriam & infortunium meum ſolabor, quod mihi ipſe in finem uſq; non defuerim; ſed quæ partium mearum erant, ipſiſſimis hiſce literis, precibus, votis præſtiterim; cætera Providentiæ Dei relinquens. Cogitabo non eſſe malum in civitate quod non fecit Dominus. Fatebor iratum adhuc cœlum peccatis meis meritò. Agnoſcam & flagellum extentum, & manum percutientem, Dei ſolius tamquam Efficientis Primarij eſſe. Dicamq; adeò cum Sacerdote Magno Heli: Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat. Poſthæc tacebo gemens, & convertam dolorem meum in ſinum meum: gaudeboq; vehementer cum invenero

nero Sepulchrum. Ibi ſaltem, ubi ex æquo parvus & magnus, ſervus & Dominus vocem Exactoris non audient, ceſſabuntq; omnes à tumultu, permittent me inimici mei requieſcere, cum Pontificibus & Cardinalibus, Nuncijſq; & Internuncijs illis qui nullam mihi in vita mea requiem dabant. Ibi pariter in ſilentio vinctis opperiendum erit donec ipſe Dominus omnium in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo, citabitq; omnes in Joſaphati vallem, ac in tribunali ſuo cum eis diſceptabit. Faxit Religio tua Illuſtriſſime ac Reverendiſſime Domine, faxit Innocentij Optimi Maximi de Commiſſo Grege cura, ut coram ſeveriſſimo illo Univerſorum Judice Deo, qui juſtitias etiam ipſas judicabit, non alterutri veſtrum noceant quæ à Prædeceſſoribus illis veſtris in Valeſium, ſocioſq; ejus viros verè innocuos, tam injuſtè, adeò repugnante lege, canone, ratione, veritate, Evangelio facta ſunt! Haud nocebunt, neq; exurgent in judicio illo Dei contra alterutrum, ſi neq; Dominatio tua informandæ ejus Sanctitati, neq; Sanctitas ſua relevandæ oppreſſioni deſit. Qui utriuſq; veſtrum cor in manu ſua habet Deus magnus & fortis & juſtus & bonus faxit! & faxit quidem ut non modò in iſtis Valeſij rebus, verumetiam in alijs aliorum

omnium

omnium quibuſcumq; velitis, jubeatis, faciatis quod juſtitiæ conſonum, Eccleſiæ proficuum, animabus ſalutare, atq; adeo Majeſtati ſuæ Divinæ beneplacitum erit; quicquid demum de Valeſio fiet! Reliquum eſt orare, ut Epiſtolæ hujus cum libertatem, tum prolixitatem Dominus meus Illuſtriſſimus æqui bonique conſulat. Quo liberior eſt, eo magis licet ſcribentis animum clarè intueri. Et, ſi forſitan pro negotiorum tuorum mole non nihil longior; pro argumenti tamen gravitate, & rerum eò ſpectantium multitudine quas conſulto ſilui, contractior eſt. Utcumq; eam nunc poſt oſculatas manus finio, ſalutem multam & omnimodam in utraq; vita felicitatem Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ & Reverendiſſimæ ex toto corde apprecans. Londini xvii. Calendas Januarias, Milleſimo Sexcenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Stilo Vet.

Humillimus & obſequentiſſimus ſervus

Fr. Petrus Valeſius.

APPENDIX

INSTRUMENTORUM.

Primum Inſtrumentum.

Excellentiſſimæ Regis Majeſtati Humilis Remonſtratio, Agnitio, Proteſtatio & Petitio Romano-Catholici Hiberniæ Cleri.

MAjeſtatis Veſtræ fideles Subditi, Romano-Catholicus Regni Veſtræ Majeſtatis Hiberniæ Clerus, hunc rerum ſuarum in præſenti ſtatum, conditionemq; deplorabilem humiliter exponunt.

Quòd Regis Regum indiſpenſabili commiſſione concredita ſibi animarum medela, gregumq; ſuarum cura, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, docendumq; populum perfectam illam obedientiam, quam propter conſcientiam obligantur Majeſtatis Veſtræ mandatis pendere, *ipſi nihilominus* onerentur calumniis, perſequutionemq; ſeveram adeò patiantur.

Quòd aſtricti fidelitate quam debent Majeſtati Veſtræ (imò verò quam deberent etiam jerejurando firmare) ad revelandum

landum conſpirationes quaſlibet, attentamentaq, adverſus perſonam Veſtram Regalemq, Authoritatem, quæ ad eorum notitiam perveniunt *aliquando*, ipſimet interea clamoribus *odientium* inconditis traducantur, velut conjurati, molientes internecionem, qui inter eos habitant Anglorum: porrò autem ita ſuggillentur abſq, fundamento ullo, quod, in æſtimatione cujuſquam perſonæ indifferentis, poſſet vel minimum darę colorem probabilitatis tam horrendo molimini.

Quòd attributa ipſis crimina tam ſint numeroſa, tam varia quàm Adverſantium commenta: & propterea quòd ipſis per leges non ſit liberum apparere coràm, in ſuæ teſtimonium vindiciaſq, innocentiæ, figmenta quævis allegataq, recipiantur tamquam indubitatè vera: quòdq, adhuc multo iniquius, Laici, quorum dirigendis animabus character ſacerdotalis tribuit eis influxum, patiantur ob facinora quælibet, ſic falsò quamtumvis imputata illis qui ē Clero ſunt; eò nimirum ſpectantibus Adverſariis, ut Hiberni, quorum fundos poſſident, inepti reputentur, & nequaquam, aut ſub ullo tandem titulo, digni clementia Majeſtatis Veſtræ.

Quòd ut fabricentur tela, ad hujuſce exterminium populi, nullatenus videantur inidonea ullius generis ligna. Enimverò quaſi

quasi Romano-Catholicus Clerus, quos isti velut sontissimos criminantur, forent, (aut ut ita forent, omninò oporteret esse) Societas adeo perfecta ut nemo malignus, indiscretus nemo posset inter eos reperiri, omnes generatim condemnantur velut rei cujuslibet facinoris, seu veri seu ficti, quod à quoquam uno patratum dicitur. Et quasi nullum posset verbum intercidere cuiquam, nulla scribi à quopiam epistola, nisi communi omnium assensu, Universum Clerum pati necessum est, quod cuiquam inter eos uni affingitur.

Scimus cuiliam odio subsint Ecclesiastici omnes Catholicæ Communionis, ratione videlicet calumniarum, quibus Fidei nostræ dogmata, nostraq; ipsorum ab authoritate Pontificis maximi dependentia conspergunter: & humiliter obsecramus uti per Majestatem Vestram liceat utraq; vindicare, sequenti protestatione, quam sincerè prorsus & verè, procul omni æquivocatione aut mentali reservatione facimus in conspectu cœli, ac presentia Majestatis Vestræ.

Agnoscimus & confitemur Majestatem Vestram esse verum & legitimum Regem nostrum, Supremum Dominum, & justum hujus Regni Hiberniæ, aliorumq; Dominorum Vestræ Majestatis Principem. Atq; adeo agnoscimus & confite-

mur nos ipſos, ſub peccati pœna obligatos ad obediendum Veſtræ Majeſtati in omnibus quæ civilia ſunt ac temporalia, æquè ac alij quiquam Majeſtatis Veſtræ Subditi, legeſq; & Regiminis in hoc Regno Regulæ, à nobis exigunt. Quòdq; non obſtante quapiam poteſtate, vel prætenſione Pontificis Maximi Romanæve Sedis, aut ſententia qualibet vel Declaratione cujuſcunq; generis aut qualitatis, ſeu lata, ſeu ferenda, vel ab ipſo eodem Pontifice Maximo, ab illius Prædeceſſoribus aut Succeſſoribus, vel ab alia quavis authoritate ſeu ſpirituali, ſeu temporali, procedente ſcilicet, derivatave ab illo, aut ab ejus Sede, contra Veſtram Majeſtatem, Regiamve Authoritatem, nos fidelem hanc ſubjectionem noſtram veramq; obligationem porrò agnoſcemus obſervabimuſq; pro viribus. Palam verò abdicamus & renuntiamus omni poteſtati exteræ, ſit illa Papalis, aut Regia, ſpiritualis vel temporalis, quatenus videatur poſſe, aut prætendet liberare, dimittere, vel abſolvere nos ab hac noſtra obligatione, aut quacunq; via nobis faciet veniam ſeu licentiam excitandi tumultus, arma capiendi, vel perſonæ Majeſtatis Veſtræ, Authoritati Regiæ, vel Statui & Regimini violentiam ullam inferendi: univerſim parati non ſolum detegere, notaſq;

tasq; facere Majestati Vestræ, & Vestris in super Ministris, proditiones omnes (læsæ Majestatis crimina) quæ contra Majestatem Vestram aut illos parari nobis innotescent, verùmetiam animas nostras ponere in defensionem personæ Majestatis Vestræ, Regiæq; vestræ authoritatis, atq; pro virili obsistere conspirationibus attentamentisq; universis in Majestatem Vestram, parentur licet, mittanturve sub quocunq; pretextu, vel patrocinantem habeant quamlibet extraneam potestatem, authoritatemve. Insuper etiam profitemur quoscunq; Principes absolutos, & Magistratus Supremos, cujuslibet illi sint Religionis, Locum-tenentes Dei in terra esse: ijsq;, respectivè, juxta leges uniuscujusq; Reipublicæ, obedientiam deberi in civilibus cunctis ac temporalibus. Eamq; ob causam protestamur hic adversus omnem doctrinam, authoritatemq; in contrarium. Ac tenemus impium esse, contraq; verbum Dei, Asserere Subditum ullum posse Unctum Domini, Principem suum occidere vel trucidare, quamquam diversæ fidei & Religionis à sua ipsius; abhorremusq; ac detestamur, uti damnabilem ac sceleſtam, istiusce Assertionis nefariæ praxim.

Hæc cùm sint Asserta, seu dogmata Religionis nostræ, quà fidelitatem submis-

ſionemq, erga Majeſtatis Veſtræ placita reſpicit, cùmq, dependentia noſtra abs Romana Sede nequaquam diminuat perfectam illam obedientiam, quam jure Natalium, legumq, omnium pariter divinarum humanarumq, obligamur præſtare Majeſtati Veſtræ, naturali ac legitimo Principi noſtro, humiliter oramus, ad pedes Veſtræ Majeſtatis proſtrati, uti placeat nos protegere ab ea perſecutione ſevera quam merè ob Fidei profeſſionem perpetimur: ceterà illos qui vel ſunt vel poſthac fuerint aliorum criminum rei (& omni ævo fuerunt ejuſcemodi tam ſcriptis quam factis) punitioni legum relinquentes.

Fr. Oliverus, Epiſcopus Dromorenſis.
Fr. Georgius Dillonus Ord. S. Fran. Reſidentiæ Pariſis. Frat. Hibern. Guard.
Fr. Philippus Rocheus Ord. S. Franc. Sacræ Theolog. Lector Generalis.
Fr. Antoninus Gearnonus, Ord. S. Franciſci, Reginæ Matri à Sacellis.
Fr. Joannes Everardus Ord. S. Franc. Confeſſarius & Prædicator.
Fr. Antonius Naſhius, Ord. S. Franc. Conf. & Predicat.
Fr. Gulielmus Linchius, Ord. S. Franc. Conf. & Prædic.
Fr. Nicholaus Sallius, Ord. S. Franc. Conf. & Prædicat.

Jacobus

Jacobus Cuſacius S. Theologiæ Doctor.
Cornelius Fogorty Protonot. Apoſtol. & Doc. V. I.
Daniel Donganus, Theologus.
Fr. Henricus Gibbonus, Ord. S. Dominici, Conf. & Prædicator.
Patricius Bellewius.
Dionyſius fitz-Ranna.
Bartholomæus Flemmingus.
Fr. Raimundus Caronus, Ord. S. Franc. S. Theol. Lector jubilatus.
Fr. Simon Wafre ejuſdem Ord. S. Theologiæ. Lector.
Fr. Jacobus Caverley Ord. S. Franc. Conf. & Prædicator.
Fr. Joannes Geraldinus Ord. S. Franc. Conf. & Prædic.
Fr. Theobaldus de Burgo, Ord. S. Franc. Conf. & Prædic.
Fr. Mattheus Duffius Ord. S. Franc. Conf. & Prædic.
Fr. Petrus Geogheganus Ord. S. Franc. Conf. & Prædicator.
Fr. Petrus Valeſius Ord. S. Franc. S. Theologiæ Lector, Romano-Catholici Hiberniæ Cleri tam Sæcul. quàm Regul. Procurator.

APPENDIX

Admonitio ad Lectorem.

A pauperibus afflictiſq; Hiberniæ Regni Eccleſiaſticis, ante hebdomades quinq;, miſſa Remonſtratione, *&c. ſupra poſita, ut eorum nomine Majeſtati Regiæ præſentaretur; verùm imperfecta ſeu inauthentica, utpote nullius manu ſignata, quòd Mittentes non animadverterint ſubſcribendi neceſſitatem: quitum illius Hibernici Cleri, ſeu Eccleſiæ, Londini erant, intellecto Majeſtatem ſuam ulterius expectare chartam iſtiuſcemodi, maximè verò Proteſtationem in ea contentam, ab omnibus quorum intererat agnitum iri, & quidem proprijs eorum ſignaturis, aut eorum ſaltem, qui ſufficienti commiſſione inſtructi, in hac parte pro cæteris fidejuberent: ac tenore verog; ſenſu totius jam dictæ* Remonſtrationis, Agnitionis, Proteſtationis, Petitioniſq; *ſeriò perpenſis: exiſtimaverunt partem obſequij ſui in Regem, pietatis in Patriam, benevolentiæ in omnes Romano-Catholicos ubilibet Gentium, at ſpecialiùs in eos qui Britannico Imperio ſubjecti ſunt, hîc initium dare ſubſcriptionibus: (Quod juxta dederunt* III. *Id. Jan. ac* XVIII. *Calend. Feb. anni* MDCLXI. *ſtilo vet.) ac tam ſuo ipſorum nomine, quàm cæterorum omnium illius (ante dicti) Hiberniæ Cleri (donec videlicet unanimis eorum aſſenſus,*

assensus, propriarum subscriptione manuum testatus, advenerit) veluti propriam agnoscere, quoad omnes partes clausulasq; supradictam Remonstrationem, Agnitionem, Protestationem, Petitionemq; : *conari etiam hac opera, facere, quod in ipsis erat, Majestatem Regiam omnino securam fidelitatis præfati Cleri, vindicare fidem Ecclesiæ Romanæ à scandalo positionum longè periculosissimarum, ac movere tandem præcordia Regis clementissimi ad miserationem illam, quam afflictissima gens, maximèq; inter universos Europæ populos impræsentiarum derelicta & oppressa, Hiberni Romani-Catholici dolenter implorant; etsi pro comperto habeant infanda quæ patiuntur mala non procedere à nutu vel notitia benignissimi Principis. En, Lector benevole, compendio rationes quorsum hæc* Remonstratio, &c. *subscripta fuerit, ut supra, à paucis istis illius Cleri, quorum hîc nomina vides: reliquis nimirum expectatis quamprimùm distantia locorum, dispersio contribulium in tot Regiones exteras, & gravissima persequutio, sæviens etiamnum in eos qui domi, seu in ipsa Hibernia adhuc sunt residui (quorum nonnulli, & hi quidem duodeni simul ac viceni, multisq; etiam multis annis Provinciarum diversarum istiusce Regni carceribus publicis, custodiis, ergastulisq; inclusi, ac non pauci nuper arctioribus, augente miseriam nova in dies penè singulos*

accessione

acceſſione concaptivorum: alij verò demigrantes, diffugienteſq; ac porrò vagi, errabundi, deliteſcentes in montibus & ſylvis, & paludibus, & petris, ſpecubuſq; ac ſolitudinibus horridis, & nihilominus diu noctuq; veſtigati, quinimo velut feræ, velut animalia quædam noxiâ indagati diffugatiq; : omnes tandem præ fatigatione ac faſtidio vel ipſius etiam vitæ pertæſi :) expectatis aio hiſce reliquis omnibus ubi primùm ſors iſta eorum miſeranda præſenſq; triſtiſſima Rerum Hibernicarum conditio tulerit, dederitve opportunitatem videndi chartam hanc, tranſmittendiq; ſignaturas. Quorum omnium, ac cæterorum huc neceſſariò ſpectantium, habebis, Lector, ampliorem in alia charta rationem: ut ſimiliter alia quædam nonnulla argumenta abundè rationabilia (cum Reſponſis ad eas quæ factæ ſunt à quibuſdam Exceptiones, non contra Proteſtationem in ſe ſpectatam, veluti non Catholica foret ad Romanæ Fidei regulam, aut illicita cui ſubſcriberetur ab Orthodoxis, Exceptores enim ſunt faſſi Catholicam & licitam, ſed contra neceſſitatem; ſeu, ut ita loquar, expedientiam, utilitatemve alterutrius, nempe aut ſubſcriptionum, aut ipſius juramenti ullatenus præſtandi) quæ ſufficiant perſuadendo cuilibet iſtius Hiberniæ Cleri ad ſubſcribendum abſq; ulteriori mora. Invitationem præterea ad Romano-Catholicos viros Eccleſiaſticos, tam Sæculares

quàm

quàm Regulares Angliæ, Scotiæ, & Cambriæ, ut illi etiam velint in hac, velut omnium communi causa, seipsos adjungere, & quidem subscribendo vel eidem Protestationi vel alteri non absimili, à seipsis formandæ. Quod obsequij fidelissimi in Regem optimum, charitatisq; præcipuæ in Ecclesiam Hiberniæ (quæ impræsentiarum vehementiùs exagitatur) imò in eam ipsorum quæ per Britanniam diffusa est, ab omnibus tam illis quàm istis, hîc interea, supraque-Subscriptorum nomine, qua par est humilitate ac instantia, enixè rogat, Londini, III. *Nonar. Februarij* MDCLXI. *styl. vet.*

Fr. Petrus Valesius Proc. *qui supra.*

Admonitio Altera.

Et quidem hactenus, Lector, habuisti Autographum Anglicanum (hoc est Angliæ lingua vernacula, seu scriptum seu impressum, cum admonitione priori) ad sensum præcisè, imò etiam ad literam penè, ubi licuit, fidelissimè translatum; maximè verò Juramenti seu Protestationis ac simul etiam Petitionis formulam exactissimè redditam (quoniam in his præsertim intererat genuinam adeò & sinceram esse translationem) observatis nimirum utriusq; linguæ ideotismis. Cæterùm te volo scire duo. Primum est, Jam prodijsse chartam illam alteram, in priori Admonitione promissam,

missam, id est, librum P. Valesij Supraſcripti (Hiberniæ Cleri apud Majestatem Regiam Procuratoris:) ut etiam paulò pòst, quem ille in præfati sui libri postscripto sub typis esse meminerat, Reverendi Patris Caroni opus Compendiarium ac doctissimum, adversùm eos qui clancularijs susurris dicebantur alicubi, non minùs ignarè quàm malitiosè in questionem vocare An Protestatio nostratium supra-posita foret, juxta Fidem, sana & licita? *hoc est, ex orco rursum evocare errorem istum ab orbe Christiano penitus antè explosum, Regibus & Rebuspublicis intollerandum, Pontificibus Maximis invidiosum, propagando Evangelio Regni adversarium, destruendæ autem Ecclesiæ Romano-Catholicæ, Subditorum evertendæ fidelitati, commiscendisq; omnium gentium populis in feralia bella imprimis utilem ac necessarium. Alterum, Supra-Subscriptores hunc etiammum retulisse fructum ex opera sua, nempe dicta Supplicatione, (ita, ut præfertur, signata, ac Regiæ Majestati præsentata) Ex elementia Principis longè benignissimi, literas quamprimùm expeditas ad Hiberniæ Proreges (alio nomine Justitiarios) quibus mandatum Ecclesiasticos omnes Romanæ communionis imposterum fore liberos, adeoq; eatenus ob Fidei causam aut Sacerdotij, edicto Regio, quantocius publicando, è carceribus dimissum iri. Edictum verò ejusmodi, quarto jam elapso mense, juxta Regis*

imperium,

imperium, fuiſſe revera publicatum Dublinij (emporio, metropoliq; Hiberniæ celeberrimo) atq; id quidem ex mandato Juſtitiariorum ſeu Proregum præfatorum, eorumdem proprijs nominibus præfixis, itidemq; cæterorum Sanctioris Concilij Regij (in eodem Regno) ſimiliter ſubſcriptis, Dat. Dublinij, XVII. *Cal, April. hujus an.* MDCLXII. *quo præcipiebatur, Ad* XVII. *Cal. Junij, hujus ejuſdem anni, Sacerdotes omnes, ratione Fidei aut Ordinis antè Captivos, fore liberos poſthac, datis utcunq;, ſi Vice-Comitibus videretur, chyrographis ac vadibus pro fideli impoſterum ſubjectione, juxta Regni leges. Porrò ad literam Edicti omnia ritè mandata executioni. Atq; adeo nunc demum per universàm Hiberniam Sacerdotes omnes carceribus, ergaſtulis, cuſtodijs quibuſlibet eductos, libertateq; ultra modum deſideratiſſima & gratiſſima per otium fruentes, offerre Deo vota quotidie preceſq; devotiſſimas, & hoſtiam ad altaria Dei immolare incruentam, pro ſalute* Caroli Secundi, Auguſti, Felicis, Pij, Glorioſi. *Cujus te, Lector, ut reliquorum hactenus, admonitum cupijt, Londini, hac* VIII. *Cal. Julias, ipſo Divi Baptiſtæ Natali,* MDCLXII.

Idem Valeſius.

Secundum Instrumentum.

Decretum Capituli Generalis Ordinis Fratrum Minorum Seraphici P. Franciſci, celebrati Vallis-oleti in Feſto Pentecoſtes, Die 24. Maij, 1670. in cauſa Fratris Petri Valeſij & ſuorum Sequacium.

I.

NOn ſine máximo dolore, & proborum omnium lamentis intellexit Capitulum Generale ſcandala orta in Regno Hiberniæ opera Fratrum Petri Valeſij & Franciſci Coppingeri ac paucorum Sequacium: qui Dei timore poſtpoſito, & proprij Inſtituti immemores, ſpretis ſuorum Superiorum ſalutaribus monitis, & contempta Sancta, quam ſolemni voto ſpoſponderant obedientia, citra omne fas, ſacra profanis, & Monaſtica civilibus, dicto, & ſcripto, confundentes, tam dedecoroſis maculis ſuam Nationem, Provinciam, & Religionem labefactarunt,

befactarunt, ut ſanctè viventium Fratrum Lachrymis, vix abſtergi valeant. Quibus ut opportunum adhibeatur remedium, cauſa priùs benè examinata, & maturè diſcuſſa, Diffinitorium Generale Fraterna charitate hortatur dictos Fratres ad reſipiſcentiam: ac tranſgreſſionum ſuarum pœnitentibus, pollicetur & veniam. Confirmat deinde cenſuras in dictum Fratrem Petrum Valeſium, propter contumaciam in non comparendo, latas per Reverendum Patrem Commiſſarium Generalem Nationis Germano-Belgicæ: & denuò per ſanctam obedientiam in virtute Spiritus Sancti, & ſub pœna excommunicationis majoris latæ ſententiæ, ipſo facto incurrenda, ac privatione perpetua actuum Legitimorum præcipit tam dicto Fratri Petro Valeſio, quam Fratri Franciſco Coppingero, ut intra ſpatium ſex menſium ab hujus decreti intimatione compareant coram Reverendiſſimo Miniſtro Generali Ordinis, rationem reddituri omnium quæ ipſis objiciuntur. Cæteris verò, ſi qui ſuperſunt, eorum ſequacibus, ſub eiſdem pœnis diſtrictè injungit, quatenus omni tergiverſatione poſtpoſita, ſe ſubmittant Vicario Provinciali dictæ Provinciæ Hiberniæ, ſcilicet P. Fratri Petro Gennor, cui præfatus Fr. Franciſcus Coppingerus ſub eiſdem pœnis teneatur ſigilla

& Regesta Provinciæ tradere, & quem Diffinitorium Generale vult ab omnibus & singulis memoratæ Provinciæ alumnis velut suum legitimum Prælatum agnosci, sub eisdem pariter pœnis.

II. Et cum in nostra Religione extet constitutio Generalis Victoriæ renovata, & aucta anno 1649. quæ prohibet ne ullus Fratrum, cujuscumq; sit conditionis, audeat typis mandare Libros, Memorialia, informationes, aut Libellos absq; expressa licentia Superiorum Generalium: intellexerit autem Diffinitorium Generale dictum Fratrem Petrum Valesium, & Fratrem Raymundum Caron (jam defunctum) quosdam Libros sine dicta licentia typis mandasse: declaratur qui superstes est, scilicet præfatus Fr. Petrus Valesius, subjacere pœnis impositis per dictam constitutionem, videlicet excommunicationis majoris, & privationis actuum legitimorum: præcipitq; Diffinitorium Generale memorato Vicario Provinciali, ac omnibus Ministris Provinciarum Ordinis, ad quos dicti Libri pervenerint, aut etiam Memorialia, Informationes, aut Libelli, quamvis sub pretextu vindicandi proprium honorem editi ab illis duobus Fratribus, scilicet Valesio & Caron, ut illos summo studio recolligi faciant, & ad prædictum Superiorem Generalem transmitti.

BIBL. CANT. ACAD.

III. Si quid autem dictis Libris continetur bonis moribus dissonum, aut alienum ab Orthodoxa Fide, quam, cum sancta Matre Ecclesia Catholica, & Apostolica Romana, nostra profitetur Religio: totum id detestatur expressè, & abhorret dicta Hiberniæ Provincia, & quotquot ipsius Alumni huic Capitulo Generali intersunt; quorum innocentiam & diuturnam in perpessionibus constantiam exploratam habet Diffinitorium Generale, ac præsenti Decreto declarat, ut ad omnium perveniat notitiam.

Madriti, ex Typographia Matthæi à Spinosa, & Arteaga, anno 1670.

Concordat cum suo Originali. Ita testor Madriti die 28. Julij, 1670.

Fr. Patritius Tyrellus Diffinitor Generalis Ordinis Minorum, & Diffinitorij Generalis Secretarius.

Inſtrumentum Tertium.

DECLARATION DU ROY,

Pour faire enregiſtrer au Parlement de Bretagne celle contre les Maximes des Ultramontains,

Verifiée au dit Parlement le 21. d'Aouſt 1663.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre: A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront, Salut. La Faculte de Theologie de notre bonne Ville de Paris, qui depuis ſon eſtabliſſement a eſte le plus ferme apuy de la Religion & de la ſaine doctrine dans noſtre Royaume, & qui a toujours fait profeſſion des oppoſer fortement a ceux qui ont voulu en alterer la pureté, ayant

reconnu que depuis plusieurs annees quelques personnes se seroient efforcées d'introduire dans nostre Estat certaines Maximes des Ultramontains, contraires a celles qui y ont este receues de tout temps, & directement opposées a nos droits, aux immunitez du Royaume, franchises & libertez de l'Eglise Gallicane; cette celebre Compagnie auroit estimé qu'il estoit de son deouir de faire tout ce qui dependoit d'elle pour arrester le cours d'vne si dangereuse doctrine: Et a cette fin elle nous auroit fait vne declaration autentique & solemnelle de ses dogmes & de sa doctrine en cette matiere, qu'elle a renfermee en six Propositions, dont l'Acte est cy-attacne sous le contre-Scel de nostre Chancelerie laquelle Declaration auroit este leue & Registre en nostre Cour de Parlement de Paris: Et parce que nous auons juge qu'il estoit important de la faire aussi Registrer dans les autres Courts de Parlement de nostre Royaume, afin de la rendre publique, & que les sentimens de nos subjects soient vniformes sur ces Articles, en sorte qu'il en soit rien dit, escrit, enseigne, ny professe qui soit contraire a ladite Declaration de ladite Faculte. SCAVOIR FAISONS, que nous pour ces causes, & autres bonnes considerations a ce nos mouuans, Auons par ces presentes, Signees

nees de noſtre main, Dit & Ordonne, Diſons & Ordonnons, Voulons & nos Plaiſt, que leſdites ſix Propoſitions contenues en la declaration de ladite Faculte de Theologie, ſoient leues, publiees, & enregiſtrees en toutes nos Cours de Parlemens, Juſtices, Bailliages, Senechauſſees, Juriſdictions, & Vniverſitez de noſtre Royaume, Pays & Terres de noſtre obeiſſance, Faiſans tres expreſſes inhibitions & defenſes a tous Bacheliers, Licentiez, Docteurs, & autres perſonnes de quelque qualite & condition qu'elles ſoient, de ſouſtenir & defendre, lire & enſeigner, directement ny indirectiment, es Eſcholes publiques, ny allieurs, aucunes Propoſitions contraires a celles de la declaration de ladite Faculte de Theologie, ny d'en faire aucun Eſcrit, peine de punition exemplaire; Et aux Sindics des Univerſitez, & aux Docteurs qui Preſideront aux Actes, de ſouffrir qu'il ſoit rien inſere de contraire dans aucunes Theſes, a piene d'en reſpondre en leurs noms, & d'eſtre procede contr'eux extraordinairement. SI DONNONS EN MANDEMENT a nos aimez & feaux les Gens tenans noſtre Coure de Parlement de Bretagne, que ces preſentes, enſemble la Declaration de ladite Faculte contenue eſdites ſix Propoſitions, ils ayent a faire lire, publier, &

enregiſtrer au Greffe de noſtredite Cour, & en toutes les Senechauſſees, Bailliages, & Univerſitez du Reſſort d'icelle, & a tenir ſoigneuſement la main a l'exacte obſervation d'icelles, ſans y contreuenir, ny permettre qu'il y ſoit contreuenu en aucune maniere; CAR tel eſt noſtre plaiſir, en temoin de quoy nous avons fait mettre noſtre Scel a ceſdites preſentes. Donne a Paris, le quatrieme du mois d'Aouſt, l'an de grace mil ſiz cens ſoixante trois. Et de noſtre Regne le vingt-vnieme. Signe, LOVIS. Et ſur le reply, Par le Roy, DE LIONNE. Et Scellee du grand Sceau de cire jaune.

Declarationes Sacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis factæ apud Regem Chriſtianiſſimum, die octava Maij, *Anno* 1663. ſuper quibuſdam Propoſitionibus quas nonnulli voluerunt ipſi adſcribere.

PRimo, *Non eſſe doctrinam Facultatis ſummum Pontificem aliquam in temporalia Regis Chriſtianiſſimi authoritatem habere, imo ſemper obſtitiſſe Facultatem, etiam ii qui indirectam tantummodo voluerunt eſſe illam authoritatem.*

Secundo,

Secundo, *Esse doctrinam Facultatis, quod Rex Christianissimus nullum omnino agnoscit, nec habet in temporalibus superiorem, præter Deum, eamq; suam esse antiquam doctrinam, à qua nunquam recessura est.*

Tertio, *Doctrinam Facultatis esse, quod subditi fidem & obedientiam Regi Christianissimo ita debent, ut ab ijs nullo prætextu dispensari possint.*

Quarto, *Eandem Facultatem non probare, nec probasse unquam, Propositiones ullas Christianissimi Regis Authoritati, aut germanis Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus & receptis in Regno Canonibus contrarias: verbi gratia; quod summus Pontifex deponere possit Episcopos adversus eosdem Canones.*

Quinto, *Doctrinam Facultatis non esse, quod summus Pontifex sit supra Concilium Oecumenicum.*

Sexto, *Non esse doctrinam nec dogma Facultatis, quod summus Pontifex, nullo accidente Ecclesiæ consensu, sit infallibilis.*

Excerptum è monumentis præfatæ Facultatis Theologicæ Parisiensis, per me infrascriptum Scribam ejusdem, vigesima quarta Julij,

APPENDIX

Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo tertio.

Ph. Bouvot.

Declarations faits au Roy par la Sacree Faculte de Theologie de Paris, le May 8. 1663. ſur certaines Propoſitions que quelques vns ont voulu luy attribuer.

PRemierement, Que ce n'eſt pas la doctrine de la Faculte, que le Pape ait aucune authorite ſur le temporel du Roy, qu'au contraire elle a toujours reſiſte, meſmes a ceux qui n'ont voulu luy attribuer qu'vne Puiſſance indirecte.

2. Que c'eſt la Doctrine de la Faculte, que le Roy ne reconnoiſt & n'a autre Superieur au temporel que Dieu ſeul, que c'eſt ſon ancienne Doctrine, & qu'el le ne s' en departira iamais.

3. Que c'eſt la Doctrine de la Faculte, que les Subjects du Roy luy doiuent tellement la fidelite & l'obeiſſance, qu'ils n'en puuent eſtre diſpenſez ſous quelque pretexte que ce ſoit.

4. Que la meſme Faculte n'approuue point, & que elle n'a iamais approuue, aucunes des Propoſitions contraires al'Authorite

thorite du Roy, & aux veritables Libertez de l'Egliſe Gallicane, & Canons receus dans le Royaume (par exemple) que le Pape puiſſe depoſer les Eveſques, contre la meſme diſpoſition des meſmes Canons.

5. Que ce n'eſt pas la Doctrine de la Faculte, que le Pape ſoit au deſſus du Concile Oecumenique.

6. Que ce n'eſt pas la Doctrine, ny vn dogme de la Faculte, que le Pape ſoit infallible lors qu'il n interuient aucun conſentement de l'Egliſe.

Extrait des Regiſtres de la meſme Faculte de Theologie de Paris, par moy ſous-ſigne Greffier d'icelle, le 24. iour de Iuillet, l'an 1663.

Ph. Bowot.

QUARTUM INSTRUMENTUM.

EDIT DU ROY,

Sur la Declaration faite par le Clergé de France, de ſes ſentimens touchant la Puiſſance Eccleſiaſtique.

Regiſtrées en Parlement le 23. Mars, 1682.

Suivant la Copie imprimée.

A PARIS,

Chez *FED. LEONARD* Imprimeur ordinaire du Roy, & du Clergé de France, ruë Saint Jacques, à l'Ecu de Veniſe.

M. DC. LXXXII.

Avec Privilege du Roy.

EDIT DU ROY,

Sur la Declaration faite par le Clerge de France, de ſes ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique.

LOUIS par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, à tous preſens & à venir, SALUT. Bien que l'independance de noſtre Couronne de toute autre puiſſance que de Dieu, ſoit une verité certaine & inconteſtable, & établie ſur les propres paroles de JESUS-CHRIST, Nous n'avons-pas laiſſé de recevoir avec plaiſir la declaration que les Deputez du Clergé de France aſſemblez par noſtre permiſſion en noſtre bonne ville de Paris nous ont preſentée, contenant leurs ſentimens touchant la puiſſance Eccleſiaſtique; Et nous avons d'autant plus volontiers écouté la ſupplication que leſdits Députez nous ont faite de faire publier cette declaration dans noſtre Royaume, qu'étant

qu'étant faite par une Aſſemblée compoſée de tant de perſonnes également recommandables par leur vertu & par leur doctrine, & qui s'employent avec tant de zele à tout ce qui peut eſtre avantageux à l'Egliſe & à noſtre ſervice, la ſageſſe & la moderation avec laquelle ils ont expliqué les ſentimens que l'on doit avoir ſur ce ſujet, peut beaucoup contribuer à confirmer nos ſujets dans le reſpect qu'ils ſont tenus comme nous de rendre à l'autorité que Dieu a donnée à l'Egliſe, & à oſter en même temps aux Miniſtres de la Religion Pretendue Reformée le pretexte qu'ils prennent des livres de quelques Autheurs pour rendre odieuſe la puiſſance legitime du Chef viſible de l'Egliſe & du centre de l'unité Eccleſiaſtique. A CES CAUSES & autres bonnes & grandes conſiderations, à ce nous mouvans, aprés avoir fait examiner ladite declaration en noſtre Conſeil, Nous par noſtre preſent Edit perpetuel & irrevocable, avons dit, ſtatué, & ordonné, diſons, ſtatuons, & ordonnons, Voulons & nous plaiſt, que ladite declaration des ſentimens du Clergé ſur la puiſſance Eccleſiaſtique cy-attachée ſous le contreſcel de noſtre Chancellerie ſoit enregiſtrée dans toutes nos Cours de Parlement, Bailliages, Senéchauſſées, Univerſitez & Facultez de Theologie & de Droit

Droit Canon de noſtre Royaume, Pais, Terres & Seigneuries de noſtre obeiſſance.

I.

Défendons à tous nos ſujets, & aux étrangers eſtans dans noſtre Royaume, ſeculiers & reguliers, de quelque Ordre, Congregation, & Societé qu'ils ſoient, d'enſeigner dans leurs Maiſons, Colleges & Seminaires, ou d'écrire aucune choſe contraire à la doctrine contenue en icelle.

II.

Ordonnons que ceux qui ſeront dorénavant choiſis, pour enſeigner la Theologie dans tous les Colleges de chaque Univerſité, ſoit qu'ils ſoient ſeculiers ou reguliers, ſouſcrioni ladite declaration aux Greffes des Facultez de Theologie avant de pouvoir faire cette fonction dans les Colleges ou Maiſons ſeculieres & regulieres; Qu'ils ſe ſoûmettront à enſeigner la doctrine qui y eſt expliquée, & que les Syndics des Facultez de Theologie preſenteront aux Ordinaires des lieux, & à nos Procureurs Generaux des copies deſdites ſoûmiſſions ſignées par les Greffiers deſdites Facultez.

Que

III.

Que dans tous les Colleges & Maiſons deſdites Univerſitez où il y aura pluſieurs Profeſſeurs, ſoit qu'ils ſoient ſeculiers ou reguliers, l'un d'eux ſera chargé tous les ans d'enſeigner la doctrine contenue en ladite declaration; & dans les Colleges où il n'y aura qu'un ſeul Profeſſeur, il ſera obligé de l'enſeigner l'une des trois années conſecutives.

IV.

Enjoignons aux Syndics des Facultez de Theologie de preſenter tous les ans avant l'ouverture des leçons aux Archevêques ou Evêques des Villes où elles ſont établies, & d'envoyer à nos Procureurs Generaux les noms des Profeſſeurs qui ſeront chargés d'enſeigner ladite doctrine, & auſdits Profeſſeurs de repreſenter auſdits Prelats & à noſdits Procureurs Generaux les Ecrits qu'ils dicteront à leurs Ecoliers, lors qu'ils leur ordonneront de le faire.

V.

Voulons qu'aucun Bachelier, ſoit ſeculier ou regulier, ne puiſſe eſtre dorénavant

avant Licentié, tant en Theologie qu'en Droit Canon, ny eſtre receu Docteur, qu'aprés avoir ſoûtenu ladite doctrine dans l'une de ſes Theſes; dont il ſera apparoir à ceux qui ont droit de conferer ces Degrés dans les Univerſitez.

VI.

Exhortons, & neantmoins Enjoignons à tous les Archeveſques & Eveſques de noſtre Royaume, Pays, Terres & Seigneuries de noſtre obeiſſance, d'employer leur autorité pour faire enſeigner dans l'étendue de leurs Diocéſes la doctrine contenue dans ladite declaration faite par leſdits Deputez du Clergé.

VII.

Ordonnons aux Doyens & Syndics des Facultez de Theologie de tenir la main à l'execution des preſentes, à peine d'en répondre en leur propre & privé nom.

SI DONNONS EN MANDEMENT à nos amez & feaux les Gens tenans nos Cours de Parlement, que ces preſentes nos Lettres en forme d'Edit, enſemble ladite declaration du Clergé, ils faſſent lire, publier & enregiſtrer aux Greffes de noſdites Cours, & des Bailli-

ages, Senéchauſſées & Univerſitez de leurs reſſorts, chacun en droit ſoy, & ayent à tenir la main à leur obſervation, ſans ſouffrir qu'il y ſoit contrevenu directement ny indirectement, & à proceder contre les contrevenans en la maniere qu'ils le jugeront à propos, ſuivant l'exigence des cas. CAR tel eſt noſtre plaiſir. Et afin que ce ſoit choſe ferme & ſtable à toûjours, Nous avons fait mettre noſtre ſcel à ceſdites preſentes. DONNE' à ſaint Germain en Laye, au mois de Mars l'an de grace 1682. & de noſtre regne le trente-neuvieſme. Signé LOUIS, *Et plus bas.* Par le Roy, COLBERT. *Viſa,* LE TELLIER. Et ſcellées du grand Sceau de cire verte.

CLERI

CLERI GALICANI

De Ecclesiastica potestate Declaratio.

ECclesiæ Gallicanæ decreta & libertates à majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumq; fundamenta sacris Canonibus & Patrum traditione nixa multi diruere moliuntur; nec desunt qui earum obtentu primatum beati Petri ejusq; successorum Romanorum Pontificum à Christo institutum, ipsiq; debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisq; Apostolicæ, in quâ fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus majestatem imminuere non vereantur. Hæretici quoq; nihil prætermittunt quo eam potestatem, quâ pax Ecclesiæ continetur, invidiosam & gravem Regibus & populis ostentent, ipsiq; fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ Matris Christiq; adeo communione disjocient. Quæ ut incommoda propulsemus, Nos, Archiepiscopi & Episcopi Parisijs

mandato Regio congregati Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, unà cum ceteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc ſancienda & declaranda eſſe duximus.

I.

Primùm beato Petro ejuſq; ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs ipſiq; Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino, *Regnum meum non eſt de hoc mundo*, & iterum, *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo*, ac proinde ſtare apoſtolicum illud. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo. Quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt. Itaq; qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Reges ergo & Principes in temporalibus nulli eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, neq; authoritate clavium Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atq; obedientiâ, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſolvi poſſe, eamq; ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minùs Eccleſiæ quàm Imperio utilem, ut verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omninò retinendam. Sic

II.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs rerum ſpiritualium plenam poteſtatem ut ſimul valeant atq; immota conſiſtant ſanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis à Sede Apoſtolica comprobata, ipſoq; Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atq; ab Eccleſia Gallicana perpetua religione cuſtodita decreta de authoritate Conciliorum generalium, quæ ſeſſione quarta & quinta continentur, nec probari à Gallicana Eccleſia qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis ac minùs approbata, robur infringant aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.

III.

Hinc Apoſtolicæ poteſtatis uſum moderandum per canones ſpiritu Dei conditos & totius mundi reverentia conſecratos. Valere etiam regulas, mores & inſtituta à regno & Eccleſia Gallicana recepta, patrumq; terminos manere inconcuſſos; atq; id pertinere ad amplitudinem Apoſtolicæ Sedis ut ſtatuta & conſuetu-

dines tantæ Sedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ propriam ſtabilitatem obtineant.

IV.

In fidei quoq; quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejuſq; decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

V.

Quæ accepta à patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atq; Epiſcopos in Spiritu Sancto authore præſidentes mittenda decrevimus; ut idipſum dicamus, omnes ſimuſq; in eodem ſenſu & in eadem ſententia.

† *Franciſcus* Archiepiſcopus Pariſienſis *Præſes.*
† *Carolus Mauritius* Archiepiſcopus, Dux Rhemenſis.
† *Carolus* Ebredunenſis Archiepiſcopus.
† *Jacobus* Archiepiſcopus Cameracenſis.
† *Hyacinthus* Archiepiſcopus Albienſis.
† *M. Phelypeaux* P. P. Archiepiſcopus Bituricenſis.

† *Ludovicus de Bourlemont* Archiep. Burdegalenſis.
† *Jacobus Nicolaus Colbert* Archiepiſcopus Carthaginenſis, Coadjut. Rothomagenſis.
† *Gilbertus* Epiſc. Tornacen.
† *Henricus de Laval* Epiſc. Rupellenſis.
† *Nicolaus* Epiſc. Regienſis.
† *Daniel de Coſnac* Epiſc. & Com. Valentinenſis & Dienſis.
† *Gabriel* Epiſcop. Ædvenſis.
† *Guillelmus* Epiſc. Vaſatenſis.
† *Gabriel Pb. de Froullay de Teſſé* Epiſc. Abrincenſis.
† *Joannes* Epiſc. Tolonenſis.
† *Jacobus Benignus* Epiſc. Meldenſis.
† S. *Du Guemadeuc* Epiſcop. Maclovienſis.
† *L. M. Ar. de Simiane de Gordes* Epiſc. & Dux Lingonenſis.
† *Fr. Leo* Epiſc. Glandatenſis.
† *Lucas d' Aquin* Epiſc. Forojulienſis.
† *J. B. M. Colbert* Epiſc. & D. Montis Albani.
† *Carolus de Pradel* Epiſcopus Montiſpeſſulani.
† *Franciſcus Placidus* Epiſcopus Mimatenſis.
† *Carolus* Epiſc. Vaurenſis.
† *Andreas* Epiſc. Antiſſiod.
† *Franciſcus* Epiſc. Trecenſis.
† *Lud. Ant.* Epiſc. Com. Cathalaunenſis.

† *Franc. Ig.* Epiſc. Com. Trecorenſis.
† *Petrus* Epiſc. Bellicenſis.
† *Gabriel* Epiſc. Conſeranenſis.
† *Ludovicus Alphonſus* Alectenſis Epiſcopus.
† *Humbertus* Epiſc. Tutellenſis.
† *J. B. d' Eſtampes* Maſſilienſis Epiſcopus.
Paulus Phil. de Luſignan de Franc.
Ludovicus d' Eſpinay de Saint Luc.
Cocquelin.
Lambertus.
P. de Bermond.
A. H. de Fleury.
De Viens.
Franciſcus Feu.
De Maupeou.
Le Franc de la Grange.
De Senaux.
Parra Decanus Bellicenſis.
De Boche.
M. de Ratabon.
Clemens de Poudenx.
Bigot.
De Gourgue.
De Villeneuve de Vence.
C. Leny de Coadeletz.
La Faye.
J. F. de l'Eſcure.
Petrus le Roy.
De Soupets.
A. Argoud Decanus Viennæ.

De Bauſſet Præpoſitus Maſſilienſis.
G. Bochard de Champigny.
De S. Georges C. Lugdunenſis.
Courcier.
Cheron.
A. Faure.
F. Maucroix.
Gerbais.
De Guenegaud.
Fr. de Camps.
De la Borey.
Armandus Bazin de Bezons Cleri Gallicani Agens Generalis.
Deſmarets Cleri Gallicani Agens Generalis.

Regiſtrées, ouy & ce requerant le Procureur General du Roy pour eſtre executées ſelon leur forme & teneur ſuivant l'Arreſt de ce jour. A Paris en Parlement le 23. *Mars* 1682. Signé *Dongois.*

INSTRUMENTORUM.

Quintum Inſtrumentorum.

SIVE

Juramentum Anglicanum, non illud Primatus quidem, ſive Supremitatis, ab Henrico VIII. *primùm, deinde ab* Elizabetha *Lege lata ſtabilitum; ſed aliud quod vocant* Allegiantiæ, *i. e.* Fidelitatis, *à* Jacobo *Rege, an. V. Regni Anglicani, ſed occaſione horribilis conjurationis pulverariæ, omnibus quibuſcumque Subditis ex authoritate illius temporis Parliamenti præſcriptum.*

EGo A. B. verè & ſincerè agnoſco, profiteor, teſtificor & declaro in conſcientiâ meâ coram Deo & mundo, quòd ſupremus Dominus noſter Rex *Jacobus*, eſt legitimus & verus Rex hujus regni, & omnium aliorum Majeſtatis ſuæ Dominiorum & Terrarum: Et

quòd

quòd Papa nec per ſe-ipſum, nec per ullam aliam auctoritatem Eccleſiæ, vel ſedis Romanæ, vel per ulla media cum quibuſcunq; alijs aliquam poteſtatem, nec auctoritatem habeat Regem deponendi, vel aliquorum Majeſtatis ſuæ Dominiorum vel Regnorum diſponendi, vel alicui Principi extraneo ipſum damnificare, aut terras ſuas invadere auctoritatem concedendi, vel ullos ſubditorum ſuorum ab eorum ſuæ Majeſtatis obedientiâ & ſubjectione exonerandi, aut ullis eorum licentiam dare arma contra ipſum gerendi, tumultus ſeminandi, aut aliquam violentiam aut damnum Majeſtatis ſuæ Perſonæ, Statui, vel Regimini, vel aliquibus ſuis ſubditis infra ſua Dominia offerendi. Item, juro ex corde, quòd non obſtante aliquâ declaratione, vel ſententiâ Excommunicationis, aut deprivationis factâ vel conceſſâ, aut fiendâ vel concedendâ per Papam vel ſucceſſores ſuos, vel per quamcunq; auctoritatem derivatam vel derivari prætenſam ab illo, ſeu à ſuâ ſede contra dictum Regem, hæredes aut ſucceſſores ſuos, vel quacunq; abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientiâ; fidelitatem tamen, & veram obedientiam ſuæ Majeſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus ſuis præſtabo; Ipſumq; & ipſos totis meis viribus contra omnes conſpirationes & attentata

tata quæcunq;, quæ contra Perſonam illius, vel illorum, eorúmq; Coronam & dignitatem, ratione vel colore alicujus ſententiæ vel declarationis, aut aliàs facta fuerint, defendam: omnémq; operam impendam revelare, & manifeſtum facere ſuæ Majeſtati, hæredibus & ſucceſſoribus ſuis omnes proditiones, & proditorias conſpirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum ad notitiam, vel auditum meum pervenerint. Præterea juro, quòd ex corde abhorreo, deteſtor, & abjuro tanquam impiam & hæreticam, hanc damnabilem doctrinam & propoſitionem, Quòd Principes per Papam excommunicati vel deprivati, poſſint per ſuos ſubditos, vel aliquos alios quoſcunq; deponi, aut occidi. Et ulteriùs credo, & in conſcientiâ meâ reſolvor, quòd nec Papa, nec alius quicunq; poteſtatem habet, me ab hoc Juramento, aut aliquâ ejus parte abſolvendi: quod Juramentum agnoſco rectâ ac plenâ auctoritate eſſe mihi legitimè miniſtratum, omnibuſq; indulgentijs ac diſpenſationibus in contrarium renuncio. Hæcq; omnia planè ac ſincerè agnoſco & juro juxta expreſſa verba per me hîc prolata, & juxta planum ac communem ſenſum & intellectum eorundem verborum, abſq; ullâ æquivocatione, aut mentali evaſione, vel ſecretâ reſervatione quacunq;.

Hancq;

Hanc q, recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in verâ fide Christiani viri: Sic me Deus adjuvet.

Sextum

Sextum Instrumentum.

QUÆRITUR

An Salvâ Fide & turâ Conscientiâ

A Catholicis Anglis

Præstari possit subsequens

JURAMENTUM.

EGo *A. B.* verè & sincere agnosco, profiteor, testificor, & declaro in conscientiâ meâ, coram Deo & mundo, quod supremus Dominus noster *Rex Carolus* est Legitimus & verus hujus *Regni Rex*, & omnium aliorum *Majestatus suæ* Dominiorum, & terrarum.

Et quod *Papa*, nec per seipsum, nec per ullam autoritatem *Ecclesiæ* vel sedis *Romanæ*, aut per ulla alia media cum quibuscunq; alijs aliquam potestatem vel autoritatem

toritatem habeat *Regem* deponendi, vel de aliquibus *Majestatis ſuæ* Regnis aut Dominijs diſponendi, vel alicui Principi extraneo ad ipſum damnificandum, aut terras ſuas invadendum autoritatem concedendi, vel ullos ſubditorum ſuorum ab eorum *ſuæ Majeſtati* Subjectione & obedientiâ exonerandi, aut ullis eorum licentiam vel facultatem dandi, nt arma contra ipſum gerant, tumultus excitent, aut aliquam violentiam aut damnum *Majeſtatis ſuæ Regiæ Perſonæ, Statuti* vel regimini, aut aliquibus *Majeſtatis ſuæ* Subditis intra ſua Domnia offerant.

Item Juro ex corde, quod non obſtante ullâ declaratione, vel ſententiâ Excommunicationis vel deprivationis factâ, vel conceſſâ aut faciendâ vel concedenda per *Papam* vel Succeſſores vel per quamcunq; autoritatem derivatam, aut derivari prætenſam ab illo ſeu à ſuâ ſede contra dictum *Regem, Hæredes* aut Succeſſores ſuos, vel quacunq; abſolutione dictorum ſubditorum ab eorum obedientiâ, fidelitatem & veram obedientiam *ſuæ Majeſtati, Hæredibus*, & Succeſſoribus ſuis præſtabo, ipſum quæ, & ipſos totis meis viribus contra omnes Conſpirationes & attentata quæcunq;, quæ contra Perſonam illius vel illorum eorumq; Coronam & dignitatem ratione vel colore alicujus ejuſmodi ſententiæ

tentiæ vel Declarationis vel aliàs facta fuerint defendam, omnemq; operam impendam, ut *Majestati ſuæ*, hæredibus, & Succeſſoribus ſuis revelem & manifeſtas faciam omnes Proditiones & Proditorias Conſpirationes, quæ contra illum aut aliquos illorum attentari cognoſcam, vel audiam.

Præterea Juro, quod ex corde abhorreo, deteſtor & abjuro tanquam impiam & *hæreticam* hanc Doctrinam & damnabilem poſitionem, quod Principes per *Papam* Excommunicati vel deprivati poſſunt per ſuos ſubditos vel alios quoſcunq; deponi, aut occidi.

Et ulterius credo & in Conſcientiâ meâ reſolvor quod nec *Papa*, nec ulla alia Perſona quæcunq; poteſtatem habeat me ab hoc Juramento, aut aliquâ ejus parte, abſolvendi: Quod Juramentum agnoſco rectâ & plenâ autoritate eſſe legitimé mihi miniſtratum: & omnibus Indulgentijs ac Diſpenſationibus in contrarium renuncio. hæcq; omnia planè & ſincerè agnoſco & juro, juxta hæc expreſſa verba à me prolata, & juxta planum & communem ſenſum & intellectum eorum verborum, abſq; ullâ æquivocatione aut mentali evaſione, aut ſecretâ reſervatione quâcunq;: hancq; recognitionem & agnitionem facio cordialiter, voluntariè, & verè, in verâ fide *Chriſtiani viri*. Sic me Deus adjuvet.

NOs infra ſcripti Eccleſiæ & Academiæ *Pariſienſis Cancellarius*, Doctor ſocius Sorbonicus, teſtamur omnibus quorum intereſt vel intereſſe poteſt, attento nos animo vidiſſe, & perlegiſſe juramentum ſupra tranſcriptum, nihilq; in eo reperiſſe quod ſit verbo Dei, aut *Catholicæ* & *Apoſtolicæ* fidei contrarium, proindeq; cenſemus illud ſalvâ eâdem fide & tutâ conſcientiâ à *Catholicis Anglis* emitti poſſe; imo & eos ex *Religione* teneri illud idem, ut fideles decet Subditos, omni ratione adimplere & exequi. In cujus rei fidem Subſcripſimus, & preſentem Subſcriptionem Sigillo noſtro muniri fecimus. Datum *Pariſijs* in ædibus *Beatæ Mariæ* die nonâ *Auguſti*, Anno Dom. 1681.

COQUELIN.

Ex mandato præfati Dom.

Cancellarij.

ROGER.

NOs infra ſcripti ſacræ facultatis *Pariſienſis Theologi* cenſemus Juſjurandum, ut in obverſâ paginâ conceptum eſt, ſalvâ fide, & tutâ Conſcientiâ à *Catholicis Anglis* jurari poſſe: ſi modo in propoſitione, quæ eſt de depoſitione & cæde *Principum*, ut quæ damnatur ut *Hæretica*, *Deponi* & *Occidi* conjunctim accipiantur, imo & ſi diviſim, ita ut tamen propoſitio *materialiter* (id eſt verbo Dei contraria) finiatur, quatenus deponi poſſe Principes effert, *formaliter* vero etiam, quatenus & occidi poſſe ſuperaddit. Deliberatum, datumq; *Pariſijs* die decimâ ſextâ *Auguſti* Anno Dom. 1680.

Alex. Vaillant, *Paſtor* Sti. *Chriſtophori.*
Chaſſebras, *Archipresbyter Paris.* & *Paſtor* Stæ. *Mariæ Mag.*
Gerbais, *Collegij Rhemenſis Primarius.*
Mezure, *Paſtor* Sti. *Pauli.*
Le Caron, *Paſtor* Sti. *Petri.*
Rouland.
N. Petitpied, *Paſtor* Sti. *Marcelli.*
Le Feure, *Profeſſor Regius* in *Theologiâ.*
Navarre.
A. Faure, *Vicarius* generalis *Eccleſiæ Rhemenſis.*

Fran. Lovis.
Le Feure.
Ph. Le Feron, Archdiaconus Eccleſiæ Santonenſis.
Ph. du Bois, Primarius Collegij de *Fæn.*
Biord.
Thire.
Varet.
Robine, Eremita Auguſtinianus.
André.
Mouteau.
Des Moulins.
De Leſcolle.
Bigres.
De Riviere.
Camyn.
C. Blovin.
Petitpied.
J. de Beaumont.
De Bienual.
J. de Guigneul.
Le Charpentier, Can. Regul.
L. Empereur, Canonicus Reg.
Hicot.
De la Grange, Canon. Reg.
Denis.
F. de Bourges, Can. Reg.
Du Four.
J. C. Braquet.
Bourdon Can. Reg.
Blampignon, Paſtor Sti. *Mederici.*

J.

J. Marie.
L. Deuyon. d' Haroual Nau.
Baſſet.
Baudmet, Carmelita.
Le Peſcheux.
F. J. Germain Carmelita.
A. P. Deuyon Can. Reg.
M. Humbelot.
De la Mare.
Le Tourneur.
Courcier Theologus, Eccl. Paris.
De Mouſſeau, Senator Curiæ Paris.
T. H. Malet Carmelita.
De Fita, Paſtor S. S. Coſmæ & Dam.
Berthault, Coll. Stæ. Barb. Primarius.
Boeſſet.
Le Feron.

Eidem Deliberationi Subſcripſi nullâ adhibitâ limitatione.

Le Marais, Paſtor Clauſtri *B. V.*

SUpradicta Declaratio cum Subscriptionibus Doctorum infra eam descriptorum, Concordat cum originali ejusdem Declarationis, prout mihi constitit ex collatione à me factâ cum dicto originali die decimâ tertiâ *Octobris* Anno 1681. In cujus rei fidem Subscripsi *Parisijs*.

Tassin Actuarius Facultatis sacræ Theologiæ *Parisiensis*.

Sex-

Sextum Instrumentum.

. . . . . Titulus deest.

Æquissimis supremæ Parisiensis Senatus Curiæ Judicibus Decanus & Facultas Theologiæ Parisiensis felicitatem, & repromissam facientibus justitiam æternæ gloriæ coronam exoptat.

Inscriptionem hanc habet ad verbum Instrumentum quòd legitur in actis Facultatis, an. 1523. ubi ipsa Senatui respondet.

INtegræ Religionis servandæ studiosus, avitumq; suum morem sequens Senatus ampliſſimus sacram Facultatem consuluit, ut de quâdam propositione judicium ipsius doctrinale haberet exploratum: quam quidem ob causam plures ex hoc Ordine accersendos decrevit hocce anno die Jan. 30. Syndico palam porrigens Propositionem Facultatis examini subjiciendam. Hanc cùm primùm à M. Edmundo Pirot Syndico Facultas accepit die

Feb. 1. Magiſtros delegit qui eam expenderent, ſibiq, poſtea quid videretur ſtatuendum referrent. Hoc ab iis relatum die 1. Martij, omniumq, ac ſingulorum deliberationi permiſſum, qui menſibus prope tribus, Martio, Aprili, Maio, Comitijs frequentibus quadrageſies & quinquies habitis, Propoſitionem ipſam accuratè perpenderunt; ſuamq, tandem ſententiam Facultas tulit. Quam ut aperiat, cùm ipſâ in Propoſitione de Romano Pontifice ſit ſermo, cujus jura non modo illæſa eſſe ubiq, voluit Facultas, ſed & quâq, occaſione datâ religioſè venerata eſt, expoſuit copioſè, ſtrenuè defendit, antiquæ ſuæ in Sedem Apoſtolicam reverentiæ eſſe duxit hic brevi de eâ præfari, diſertéq, repetere quod olim non ſemel profeſſa eſt, Romanum Epiſcopum *Unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſiâ Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere teneantur, & qui immediatè à Chriſto non honoris ſolùm aut dignitatis, ſed & poteſtatis ac juriſdictionis primatum habeat in totâ Eccleſiâ.*

In articulis Facultatis *An.* 1542. *Art.* 23.

In cenſurâ M. Ant. de Dominis, & aliis inſtrumentis que paſſim extant in Commentarijs Facultatis.

Quibus præmiſſis Facultas ita Senatui reſpondendum arbitratur.

Propoſitio à Senatu miſſa ad Facultatem his eſt voc bus contexta. *Ad*

Ad ſolam ſedem Apoſtolicam Divino immutabili privilegio ſpectat de Controverſijs Fidei judicare.

Quâ quidem de Propoſitione diligenter & attentè perſpectâ, poſt præfationem ſuperiùs habitam, ſic cenſet facultas.

Hæc Propoſitio, quatenus excludit ab Epiſcopis & Concilijs, etiam Generalibus, judicandi de Fidei controverſijs authoritatem, quam habent immediatè à Chriſto, falſa eſt, temeraria, erronea, praxi Eccleſiæ adverſa, verbo Dei contraria, doctrinam renovans aliàs à Facultate reprobatam.

Datum in Sorbonâ die Maij decimâ octavâ an. 1682. recognitum decimâ nonâ.

De mandato D. D. Decani & Magiſtrorum præfatæ Facultatis ſacræ Theologiæ Pariſienſis.

Memm. Taſſin.

Ex Cenſura 14. Propoſitionem Fr. Joannis Angelij, 1482.

Art. 8. *Papa poſſet totum Jus Canonicum deſtruere & novum conſtruere.*

Hæc propoſitio eſt ſcandaloſa, blaſphematoria, notoriè hæretica & erronea.

Art. 12. *Quicumq; contradicit voluntati Papæ, paganizat, & ſententiam Excommunicationis incurrit ipſo facto; & à nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materia hæreſis.*

Hæc propoſitio eſt falſa, ſcandaloſa, & ſapiens hæreſim manifeſtam.

De quibus vide *Lanoium* Part. 1. Epiſt. ad Chriſtophorum Fauvæum, pag. 18.

Præ

APPENDIX ALTERA DE GREGORIO VII.

Præmonitio ad Lectorem.

ALteram hanc *Appendicem, de* Gregorio VII. *adjiciendi, quæ mihi tam cauſa quàm occaſio fuit, in Præfatione habes. Id porro nunc monendus es Lector, quod ubi, materiæ ex diverſis Authoribus colligendæ, quæ Tractatui huic neceſſaria foret, cœpiſſem incumbere: forte fortuna ſtatim ſubierit animum meum cogitatio de R. P. Caroni* Remonſtrantia Hibernorum contra Lovanienſes vindicata: *nec cogitatio tantum ejus Operis, verumetiam reminiſcentia quædam, licet exilis, nonnullorum velut propoſito hujus loci inſervientium, quæ in eo legiſſem ante octodecim annos, abſoluto ſcilicet emiſſoq; tunc temporis in lucem. Nec ſane in ea parte memoria me fefellit. Nam arrepto protinus conſultoq; atq; evoluto prorſus Libro ipſo, ea demum, eoq; ordine atq; methodo de* Gregorio VII. *collecta, digeſta, diſputata reperi, quæ ulteriori iſtiuſce rei ſtudio, quod præſens inſtitutum attinet, me levarunt. Ab alio enim, eoq; Viro & Doctiſ-*

ſimo

ſimo & Religioſiſſimo, ac per omnia quidem Romano-Catholico, *quin etiam & amico pariter & ſtudiorum partiumq; à juventute ſocio, quod actum fuerat, cur ego, tanquam infectum vel non confectum ab ipſo fuiſſet, rurſus agerem? aut Viroilli optimo & ſinceriſſimo, eique ſoli, quam ſtudio ſuo, induſtria, labore, atq; veritatis cum diligenti examinatione, tum intrepida propugnatione laudem apud homines jamdudum promeritus eſt (quemaddum & apud Deum, ut ſperare licet, præmium quoq; etiamnum aſſequutus) eccur ego non aſcriberem? quorſum, vel idcirco præſertim quòd Liber rarus eſt, & in partibus Ultra-marinis adhuc incognitus: quippe cujus exemplaria pleraq;, immo totæ pœnè Impreſſio communi Urbis Londinenſis anniq; 1666. incendio perierit; quorſum inquam reviſæ, enucleatæ, patefactæ, vel à fundamentis quidem, Hiſtoriæ tam inſignis, honorem Authori juſto inviderem? Itaq; neq; actum ago: neq; laudem illi qui promeruit eam non aſcribo: neq; adeo ipſi aut memoriæ ejus honorem omnem propterea, veù in excellenti quidem gradu debitum, ullatenus invideo: ſed contrà potius omnia, dum te certiorem facio, quæ ſequuntur poſthac, Appendicem hanc alteram conſtituentia, non* Valeſium, *ſed* Caronum *habere Authorem, quouſq; de* Gregorio VII. *ſermo erit. Quippe extracta ſunt ex eodem laudato ejus Opere: nec alijs quàm*

Impreſſi

Impreſſi Libri genuinis ac ipſiſſimis verbis, abſq; interpolatione, correctione, vel mutatione ulla, ne Solœciſmorum quidem; quales tamen fateor, maximè quoad verborum & modos & tempora, diverſis locis nonnullos occurrere. Etſi interim cujus neglectu id acciderit, an Authoris? an Amanuenſis? aut Impreſſoris? Correctoriſve? neſcio. At quoniam ſenſus utcunq; conſtat, nolui neq; dictionem unam, neq; tempus neq; modum vel unius quidem Verbi immutare: iſtud præſertim conſiderans, quod in Gulielmo Lilio *olim didici,* Gramaticæ Regulas plærumq; Eccleſia ſpernit.

Monendus es præterea, marginales notas & Valeſij eſſe & plæraſq; non verba ſed res ipſas ſignificatas reſpicere; quamquam nihilo minus, quod cauſam controverſam tangat, nihil planè. Erratum utcunq;, (eſto id leviſſimè vel in ejuſmodi rebus tantum quæ non modò, ut jam dixi, à principali quæſtione, ſed controverſa qualibet omnino aliena ſint) quia tamen erratum inquam utcunq; videbatur, idq; pluſquam ſemel atq; iterum: haud abs re putavi fore, ſi ex margine, & loca indicarem, & errores ipſos, licet minutulos, corrigerem: ne alioquin aut ſcrupulum aut moram Legenti facerent.

Deniq; advertas, præfatum Caroni *Opus, in quinq; partes diſtributum, ut ſingulas itidem in varia Capita, non continenter neq; eodem*

dem Capite, neq; eadem Parte quidem, quæ de Gregorio VII. *habet, tractaviſſe: licet maximam eorum partem, fateor, una continua ſerie* Cap. 7. Part. 11. *dederit: noſq; adèo tam ordinem quàm methodum ejus ſequutos, ibi* Appendicem *hanc incipere, ubi* Caronus *Author contra* Lovanienſes *Concilia Eccleſiæ, partim Oecumenica, partim Regionalia, in Univerſum vigenti novem adducendo, & cætera quidem omnia claudentibus quæ in* Gregorium VII. *celebrata erant ſex, ea occaſione cæpit de hoc Pontifice ex profeſſo ad longum agere, nimirum* Cap. 6. *præcedenti. Igitur quemadmodum iſthic loci* Caronus, *inſtitutum ſuum proſequens, quod propoſitum quoq; noſtrum in præſentia eſt, exorditur: ita neceſſe erit, eodem modo illinc ut exordiatur etiam noſtra hæc, ut pote ex ipſo deſumpta,*

APPENDIX ALTERA
DE
GREGORIO VII.

Originem tamen ipſam, fatalemq; totius controverſiæ progreſſum atq; exitum, paulò pòſt, adverſus Bellarmini *ac* Baronij *offucias, è fundamentis erutos, diſcuſſos, demonſtratos, repreſentatura.*

Interim lege quæ præmittuntur hic, nimirum ex præfati Operis (cui titulus eſt Remonſtrantia Hibernorum, *&c.* contra Cenſuras Lovanienſium atq; Ultra-montanorum vindicata:

* *quodq; Anno Domini* MDCLXV. *cum licentia & privilegio Superiorum prodiit impreſſum)**

* *Integer verò titulus iſte:* Remonſtrantia Hibernorum contra Lovanienſes ultramontanaſque cenſuras, De incommutabili Regum Imperio, ſubditorumque Fidelitate, & obedientia indiſpenſabili, ex S. S. Scripturis, Patribus, Theologis, *&c.* vindicata. Cum duplici Appendice; vna de Libertate Gallicana; Altera contra Infalibilitatem Pontificis Romani. Autho-

Authore R. P. F. R. Caron Theologo emerito. Sic fatus filij Iſrael, &c. Et: Reddite, &c.

* Part. II. Cap. vi. Pag. 125. num. 12. *Ubi Author, adducens in ſpecie Concilia quæ* Gregorium VII. *condemnaverant, hæc habet.*

COncilium enim *Wormatienſe*, Anno 1075. vel 1076. (juxta computum reformatum) cui interfuerunt, *& ampliſſimo numero*, omnes Epiſcopi *Galliæ*, & *Germaniæ* (præter *Saxonas*) ut tradunt *Urſpergenſis* Anno 1075. Abbas *Stadienſis*, *Aventinus*, l. 5. *Schmafnaburgenſis* Anno eodem, & *Marianus Scotus*. In quo Concilio *Gregorius* VII. renunciatus fuit, & à Concilio univerſo abdicatus; idq, ideo, ut habet *Urſpergenſis* ſupra; *Quia ergo introitus tuus tantis perjuriis initiatus eſt* (Fidelitatem enim antea Imperatori juravit) *& Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur* (præparabatur enim tunc Imperatoris depoſitio,) *& vitam per converſationem tuam multiplici infamiæ dehoneſtaſti; obedientiam quam tibi nullam promiſimus, nec de cætero ullam ſervaturos eſſe, denunciamus. Et quia nemo noſtrum (ut tu publice declamas) hactenus fuit Epiſcopus,*

tu

tu quoq; nullis noſtrum amodo eris Apoſtolicus. Ex quibus duo hic advertenda ſunt, 1. Epiſcopos illos nunquam obedientiam *Gregorio* promiſiſſe; quia illius electionem, legitimam nunquam agnoverunt. 2. Ante hoc Concilium interveniſſe literas excommunicatorias, citatorias, minatorias, contra *Henricum*, Miniſtroſq;, *Cæſari* & Imperio periculoſiſſimas, quæ & hic *novitas* ac *perjurium* appellantur; ideoq; Concilium ab Imperatore convocatum fuiſſe, licet actualis depoſitionis ſententia, non niſi poſt aliquot hebdomadas in Concilio poſtea *Romano* ſubſecuta fuerit.

Concilium deinde *Papienſe* eodem Anno 1076. in quo ſubſcripſerunt non ſolum *Germaniæ*, & *Galliæ*, ſed & *Italiæ* Epiſcopi, prædicto *Wormatienſi* decreto; *juraruntq; ſe nunquam Pontificem Maximum nomine recepturos*, inquit *Aventinus* ſupra. Atq; ita in hoc Concilio ratificata iterum abdicatio *Gregorij*, non tantum à *Germaniæ*, *Galliæq;* Epiſcopis fuit, ſed & ab *Italiæ*, tanquam ab initio invalida, & nulla*.

* Deeſt, *Ejus electio fuiſſet.*

Concilium poſtea *Moguntinum* Anno 1079. (de quo *Sigebertus*) *Gregorio* plane abrenunciavit; Henricus, inquit, *Imperator in* Pentecoſte, *Conventu habito* Moguntiæ, *decrevit* Hildebrandum *à Papatu eſſe deponen-*

deponendum, & Longobardiam *petens,* Guibertum Ravennæ *Episcopum, pro* Hildebrando *Papam designat.* Quæ sententia in Concilio postea *Brixiensi* confirmata fuit.

13. Concilium *Brixiense* Anno 1080. triginta Episcoporum, magnæq; partis Optimatum Regni contra *Hildebrandum,* uti *Marianus Scotus,* & *Albertus Stadiensis* referunt; in quo Concilio depositus, renunciatusq; iterum *Gregorius* fuit, & *Guibertus Ravennensis* substitutus. Cujus rei rationem Concilium assignat, ut habet *Urspergensis* Anno 1080. *Qui,* inquit, *Christiani Imperij perturbavit Regnum; qui Regi Catholico ac Pacifico corporis ac animæ intentat mortem; qui perjurum defendit Regem; qui inter concordes seminavit discordiam; inter pacificos lites; inter fratres scandala, &c. Et idcirco à vera fide exorbitantem, judicamus Canonice deponendum, & expellendum.* Patres enim illi *Gregorium* pro rebelli, hæretico, ac nulliter electo habuerunt; ideoq; omnes *Germaniæ* Episcopi (si quinq; tantum exceperis,) cum Episcopis *Gallicanis, Italisq;* plurimis, *Henrico* contra *Gregorium* adhæserunt. Vide *Baron.* Anno 1076.

Concilium aliud *Moguntinum* Anno 1085. cui & Imperator & Legati *Romanorum* interfuere, adjudicavit Episcopos omnes

omnes Imperatori rebelles, deponendos esse; cæteros vero rebelles Anathemati subjiciendos, ut habent *Urspergenſis* Anno 1085. & *Albertus Stadienſis* dicens; *Cæteri vero cum Papa* Gregorio, *quem Regni traditorem, & Eccleſiaſticæ pacis perturbatorem nominant, Anathemate condemnantur.*

14. Concilium poſtea *Romanum* Anno 1089. adſtantibus Cardinalibus multis, ac clariſſimis Principibus Laicis, Clero, populoq; *Romano*, ſententiam hanc tulit, de qua inter Conſtitut. Imperiales, Tom. 3. *Nolumus*, inquit, *ignorare prudentiam veſtram, quod ad deſtruendas hæreſes noviter ab* Hildebrando *inventas, & antiquas ſub nomine pietatis impiè ab ipſo renovatas, & ad defenſionem Fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum qui noviter ipſam Fidem Catholicam, quantum in ipſis erat, ſcindere non timuerunt, Deo Authore convenimus.* Ideoq; ſic concludit; *In teſtimonium illius in medio Eccleſiæ, in conſpectu Angelorum & hominum; incendio tradimus decreta eorum hæretica quibus orbem terræ perverterunt.* Decreta ergo *Gregorij* VII. & ſententia depoſitionis *Henrici* Imperatoris, juxta hæc Concilia, impia erant, hæretica, vel ſchiſmatica.

Concilium aliud *Moguntinum* menſe *Maij* ſub *Urbano* II. de quo *Aventinus* l. 5.

cui & Imperator, Proceres multi, Duces, Episcopi aderant, ac inter alios, *Petrus Portuensis* Episcopus, duo Flamines *Romani* Legati *Clementis* III. Legati itidem Pontificum *Galliæ, Italiæ, Germaniæ,* plures, alij de quibus *Aventinus* supra, qui omnes communi consensu *Hildebrandi* Sectam *tanquam Pietati Christianæ repugnantem condemnarunt. Deinde* Ottonem, *qui &* Urbanus II. *cum complicibus, sacrilegij, irreligiositatis, accusant, convincunt, in numero impiorum computant. Superiores quos, quos nominavi* 14 *Episcopos (* Pontifici *Urbano* adhærentes*) albo Pontificum eradunt, Senatu Sacerdotum movent, crimine perduellionis, perjurij, perfidiæ, homicidij, parricidij, eosdem condemnant.* Hactenus *Aventinus.* Ex quibus patet quam acerbè Episcopi illi *Hildebrandum* & *Urbanum* II. persecuti fuerint, quod Regem deponere attentassent, aut Temporalibus Regum sese intromisissent.

Ad hæc breviter respondent Adversarij, Sex ultima hæc Concilia, schismatica fuisse, atq; à quatuor Concilijs *Romanis,* vii. viii. ix. & x. reprobata; adeoq; nihil concludere posse. Quasi dicerent, omnes pene Occidentis Episcopos, *Galliam, Germaniam, Italiam,* schismaticos fuisse; nec Pontifici unquam qualitercunq; decernenti sine schismate resisti posse; ac consequenter,

ter, Apoſtolum dum *Petro* in faciem reſtitiſſet, argueretq, quod juxta veritatem Evangelij non ambularet, ſchiſmaticum fuiſſe. His tamen miſſis, quid ad priora Concilia quibus intentum noſtrum ſatis abunde ſtabilivimus, reſpondeant, nihil audimus. Porro ut effugium illud recludamus, licebit tantiſper excurrere, ut vim illorum ſex Conciliorum examinemus, ſicq, undiquaq, (etſi ex ſuperabundantia juſtitiæ noſtræ) intentum demonſtremus & concludamus.

ITEM

Quod absq; medio sequitur, eadem Part. II. Cap. VII. *cui titulus est,* Utrum Concilia sex prædicta Germaniæ contra Gregorium VII. vel Urbanum II. Schismatica fuerint, aut jure reprobata? *Hanc enim quæstionem ut à fundamentis examinet, à* Num. 2. *inclusive ad* 39. *hoc est totius capitis decursu, per decem folia integra, de eodem* Gregorio VII. *ejusq; causa disputat. Immò & num. etiam primo, magnam partem, de eadem causa tractat, etsi initiam sumat ab extrinseco, id est ab Oppositore quodam æmulo. Sic itaq; incipit, atq; progreditur Cap. isto* VII. Part. II.

LIbello meo priori hoc breviter attigeram, *Henricum* Im-

Qui dicitur hic Libellus Authori, opusculum illud est quod ipse, Vulgari lingua, ac defendendæ Remonstrantiæ, in antecessum Latini Operis prælo emiserat. Contra illius parvi Libri Anglicani nonnulla loca qui exceperat Dominus quidam fuit è Clero Sæculari & Romana Communione Sacerdos atque Baroni

de Baldimor *viro Catholico Anglo Sacellanus, itidem Anglus, cui cognomento* Lugar ; *cujus principia penitus, immò pluſquam penitus,* Bellarminiana ; *zelus autem pro Pontifice Maximo, quemadmodum & ignorantia Theologiæ veræ tam inſignis, ut* paulo ante (id eſt potiente adhuc rerum Cromvello) *binos libros, à ſe Anglicana lingua compoſitos ad me ipſum una die attulerit, nempe teſtimonio meo, ſi tam facilis eſſem, approbandos, moxque cuulgandos prælo : quorum altero Sophiſmatis quibuſdam contendebat, Infa ibilitatem Pontificis, divinæ fidei articulum eſſe ; altero ſimilibus aliis, quòd* Eccleſiæ *nomine ſolo Romanus Pontifex intelligi debeat ubicunque in Scriptura ſacra Novi Teſtamenti mentio* Eccleſiæ *reperitur. Tam ſtupendæ ignorantiæ* (ut *præteream zelum*) *cauſa Viro illi bono erat, quòd ex Eccleſiæ* Anglicanæ *Miniſtro olim, ſaltus dum junior eſſet* Romanæ *Proſelytus,* nunquam eam, neque ante neque pòſt aliquando, *quæ* Ciſmontanorum *(certè quotquot* Romanæ Curiæ *non ſe devoverunt) Theologia fundamentalis eſt, ne extremis quidem labris deguſtaviſſet ; ſed* Bellarmini *controverſiarum lectioni, totus quantus erat, omnino fuiſſet deditus ; cæterà licet Orthodoxus atque vius Ac non leve qui em pietatis ejus argumentum fuit quòd* An. 1665. *peſtiferis* Londini *inſerviens, ipſe tandem correptus peſte extremum diem obierit. Utcunque, oppoſitioni ejus præfatæ, magnam partem, hoc debemus quòd verba Patrum, Doctorum, Hiſtoricorum, cæterorumque Authorum, videre liceat in prædicto Caroni Opere Latino ad longum producta, quorum loci tantùm, in Opuſculo Anglicano referuntur.*

perijq; tunc Epiſcopos, neq; inter Simoniacos, neq; inter Schiſmaticos reponendos eſſe,

esse, cum nec in Deum, nec in sacros Canones peccassent: Adeoq; Concilia illa, etsi a *Gregorio* de *facto* reprobata, de *jure* tamen Canonica & Orthodoxa fuisse. Quibus perlectis, quidam *Lugar* abrepto in spiritu (quo abundat) caloris calamo, SS. Patrum, cæterorumq; loca per me citata, sacro quodam Religionis zelo, tanquam perfidè vel impertinenter adducta, prius adoritur; dein in hoc *Gregorij*, *Cæsariſq;* congressu me superabunde deviasse, libellis hinc inde per *Angliam* emissis, proclamat. Quibus tamen omnibus & singulis, illorumq; argumentis, etsi in unum congestis, (dico, quod & verissimum) neq; in toto nata esse, neq; in parte *directe* vel *oblique* alterutram harum inferre; *Aliqua* Caroni *citatio perfida est*; Henricus, *Imperijve tum Præsules, vel Concilia, de Simonia, vel Schismate jure convincuntur*; Sicut nec hanc*; Bucephalus Alexandri *equus per* Asiam *aliquando volavit.*

* *Rectius dixisset*, haud magi, quàm hanc.

Quapropter ejusmodi levitatis argumentis, quæ circumstantias tantum accidentales litis, hoc est, modum, locum, vel depositionis *Henrici* tempus, non ipsum causæ meritum, attingunt, tanquam impertinentibus, prætermissis, ipsam rei sub-

stantiam

stantiam interpateo*, & hanc quæstionem moveo; *Utrum* Henricus, *Imperijve tum Præsules, Canonès in aliquo offenderint, ut de Simonia vel Schismate, jure convinci possent.* Hoc rei argumentum est: Quo monstrato, *Lugar* cum Socijs evicerunt: Quo prætermisso, vel non evicto, protelant prorsus & eludunt.

* *Verbum neutrum activè sumptum, neque vel ita, satis hoc loco significativum: Itaque pro verbo illo lege* aggredior, *& sic constabit sensus.*

Ne tamen Adversarios constringere videar, latiorem dabo campum quo vires exerant, eosq; insimul, ac seorsim provoco, ut vel hæc litis capita substantialia attingant discutienda, vel silendo cedant.

I. Utrum *Henricus*, Episcopi *Germaniæ*, Conciliave prædicta, Juri Divino, vel Sacris Canonibus in aliquo contravenerint?

II. Utrum *Gregorius* ab *Henrico*, vel Episcopis prius lacessitus esset, quam adoriretur?

III. Utrum *Gregorius* ab initio canonicè fuerit electus; ac pro tali ab Ecclesia admissus?

IV. Utrum investitura *Henrici*, ejusve usus, Simoniaca fuerint?

V. Utrum *Henricus* ex illo capite deponi mereretur, vel excommunicari?

VI. Utrum

VI. Utrum ſubſtitutio *Rodulphi* legalis fuerit?

VII. Utrum *Henricus*, vel Epiſcopi *Romam* citati, contumaciter parere noluerint?

VIII. Utrum Legatis illegitimè reſtiterint ne Synodum tunc in *Germania* cogerent?

IX. Utrum *Saxones* rebelles, aut *Mathildæ* partes *Gregorius* juſte ſupportaverit?

Hæc ſunt litis noſtræ capita ſubſtantialia, quæ Schiſma, vel Simoniam inferunt, & in qua, partem negativam nos ſuſtinemus; ideoq; *Gregorium* ipſum factorum jam pœnitentem, facta priora tandem retractaſſe demonſtrabimus. Adverſarijs interim libertatem non occludimus, qui ſi affirmativam non evicerint, cauſa, noſtra erit, prædictaq; Concilia, legitima, orthodoxa, & Canonica. Nos interim pro negativa ſic argumentamur.

Si Concilia illa Germanica, (*hoc eſt*, Henricus, *& Epiſcopi*) *Schiſmatis, Simoniæ, vel inobedientiæ crimen non incurrerint, Concilia tunc illa, legitima erant, orthodoxa,* & excommunicatio nulla.

Sed crimen Schiſmatis, Simoniæ, vel inobedientiæ non incurrerunt, ut infra:

Ergo

Ergo legitima erant & orthodoxa; adeoq; excommunicatio nulla. Subsumptum sic evinco.

Nemo Simoniacus, nisi spirituale pro temporali commutet, ita ut spiritualitatem ipsam in pactum vel pretium adducat. Communis est.

Henricum *autem vel Imperij Episcopos sic non commutasse, infra patebit:*

Ergo Simoniaci non erant.

Nemo iterum Schismaticus vel Excommunicatus, qui ex causa probabiliter justa operatur: vel ex vitio electionis probabili, Superiorem non admittit, ejusve mandatis resistit, vel non paret: Certum est.

Henricus *autem Imperij, tum Episcopi ex causa probabiliter justa (ne scilicet rebellionis rei essent, aut Imperium deperderetur) mandatis* Gregorij *restiterunt: Etiam & ex vitio electionis probabili* Gregorium *non admiserunt, ut infra.*

Ergo Schismatici vel Eccommunicati non erant.

Ut ergo subsumpta demonstremus, historiam ipsam aggrediamur, in qua ne preventus * censear, in primis protestor coram Deo, me nihil hic in *Gregorij* damnum

* Id est, *Præpossessus*, vel *præoccupatus.*

num moliri, cujus honorem in omni veritate (absq; tamen Religionis, Sanctæve Sedis injuria, quarum mihi causa cæteris præfertur) sartum, tectumq; volo. Sciendum tamen non omnes Pontifices *Romanos* in gratia confirmari, quin sicut & cæteri suos aliquando nævos & lapsus patiantur; nec adeo infallibiles censeri, quin eis aliquando *facto* & *jure*, sicut *Paulus Petro* in faciem restitit, contradici, ubi à veritate Antiquorum recedunt, sine Schismate liceat; quo casu Antiquitas ipsa vel Ecclesia judicium formabit. Ideoque ne sub falso Religionis titulo, intrusive Schismatis nomine, aut pretensa Pontificum infallibilitate, justitia patiantur & veritas, aut Potestas Spiritualis cum damno Religionis, metas sibi præfixas excurrat, necessum erit quæstionem hanc è fundamentis resumere, ut controversiæ hujus *Gregorium* inter & *Henricum*, originem indagemus, atq; ex illa parte cui justitia suffragata fuerit, concludere. Si ergo prædicta Concilia justè & canonicè processerint, aut justitiam foverint, legitima sine dubio erunt, vera, & orthodoxa; & tunc *Gregorij* causa perijt; sin vero injustè, *Gregorius* certe vicit, & Concilia illa verè schismatica erunt. Ut vero in hac causa securius procedamus, *Lambertum* & *Baronium*, præcipuos licet *Gregorij* fautores, ex una;

una; ſicut & reliquos ab altera parte, æqua lance conſulemus.

2. *Gregorius* itaq; Anno 1072. (alias 1073.) teſte *Baronio* ibidem n. 28. Pontifex electus fuit; nec prius electus, quam in litem vocatus. *Epiſcopi enim* Galliarum (inquit *Baron.*) *grandi ſcrupulo permoveri cæperunt, atq; ideo communibus omnium conſilijs, Regem* (Henricum) *adorti orabant, ut electionem quæ ejus injuſſu facta fuerat, irritam eſſe decerneret, aſſerentes quod niſi impetum hominis prævenire maturaret, malum hoc in aliud gravius, quam in ipſum Regem, redundaturum eſſet.* Adſtiterunt & alij (ut habet ibidem *Baron.* n. 26.) exclamantes, Gregorium *non canonice conſtitutum, ſed tyrannice Papatum ſibimet uſurpaſſe; pro qua re à nonnullis Epiſcopis abdicatus eſt.*

Electioni enim illius tria objecerunt. 1. Quod contra Canones, intra triduum à ſepultura Prædeceſſoris *Alexandri* II. electus fuerit. 2. Quod electioni illius Cardinales non ſubſcripſerint. 3. Quod *contra conſuetudinem Majorum*, hoc eſt, ſine Imperatoris conſenſu & inveſtitura, electus fuerit. Conſule *Baron.* ſupra num. 24. 27. & 28.

Primis exceptionibus non reſpondet *Baron.* ad tertiam ait; *Gregorium* invitum electum fuiſſe, *cogi tamen nullo modo potuiſſe*

ſſe ut ordinari (ſeu conſecrari) *ſe permitteret, donec in electionem ſuam tam Regem, quam Principes* Teutonici *Regni conſenſiſſe, certa legatione cognoſceret*: Et ne *Henricus* in electionem conſentiret, in quantum potuit, *Gregorium* ipſum obſtitiſſe; promittens, ſi conſentiret, quod graviores & manifeſtos ipſius exceſſus, nullatenus impunitos toleraret. Ita ex *Lamberto Baronius*. Minabatur ergo *Gregorius Henrico* ſi in illius electionem conſentiret.

3. Circa quæ quæritur, 1. Cur hic *Gregorius* inveſtituram ab Imperatore receperit, qui mox poſtea jus inveſtituræ Laicorum tanquam Simoniacum proſcripſit?

2. Si *Gregorius* invitus eligebatur, noluerit, Regem in electionem conſentire; cur ſimul cum literis iſtis ad Regem minatorijs, alijs ad Abbatem *Caſſinenſem* ſupplicaverit Imperatricis favorem, *ut quantum erga ſe dilectionis favorem haberet nunc oſtendat*?

3. Si minis ac literis, Regis conſenſum impedire voluerit *Gregorius*, ne in ſuam electionem conſentiret, cur poſt octo dies ab electione facta (conſenſu Regis necdum expectato) Legatos ſuos in *Hiſpaniam* miſerit, prætendens, *Regnum* Hiſpaniæ *ab antiquo, proprij juris S.* Petri *fuiſſe, & ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo ſubeſſe*, ut fate-

tur

tur *Baronius*? Authoritate ergo Papali uſus fuit, priuſquam à *Cæſare* admiſſus; & tamen invitus authoritatem illam aſſumpſit; & ne acciperet, in quantum potuit (inquit *Baron.*) impedivit. En fili fracti cohærentiam!

Pergit tamen novus hic Pontifex, utq; ulterioribus moliminibus ſuis viam pararet, neq; à quoquam impeti poſſet, dogmata quædam intentionibus ſuis apta excogitavit (principia ſcilicet, quæ & *ſententiæ breviores* appellantur), & de quibus *Baron.* ad Annum 1076. n. 31.

1. *Quod* Romana *Eccleſia* (hoc eſt, particularis illa) *à ſolo Domino ſit fundata.* Quod tamen valde incertum eſt, ſi non falſum; quaſi jure divino Sedes *Romana Petro* demandata fuerit, eidemq; Sedi Poteſtas Pontificia jure divino alligata.

2. *Quod Papa ſolus poſſit deponere Epiſcopos, vel reconciliare.* At cur ſolus *Petrus* id poſſet, & non *Paulus*; aut Patriarchalis, vel Synodalis Poteſtas?

3. *Quod cum excommunicatis ab illo, nec in eadem domo debemus permanere.* Cur ab illo, & non ab alio? vel utrum ſi ab eo excommunicentur Maritus, Pater, vel Rex, teneantur Uxor, Proles, & Subditi, domum & Regnum evitare; vel an ligamen juris divini naturalis diſſolvatur decreto humano?

4. *Quod*

4. *Quod Papæ ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas Leges condere.* Quomodo *ſoli Petro* hoc liceat, & non *Paulo?* vel ubi Poteſtas Synodorum qua Leges condant?

5. *Quod ſolus Papa poſſit uti Imperialibus Inſignijs: ejus ſolius pedes omnes Principes deoſculentur.* An hoc forte privilegio Chriſtus etiam & S. *Petrus* pariter uſi fuerint?

6. *Quod illius ſolius nomen in Eccleſia recitetur.* Nulla ergo Regum vel Imperatorum memoria in Eccleſijs habenda; nulla etiam Chriſti vel Apoſtolorum.

7. *Quod unicum eſt nomen in mundo, Papæ videlicet.* Ubi ergo nomen Jeſu in quo omne genu flectatur? aut cur *Petrus* ſolus in mundo nominandus, & non *Paulus*, vel Imperator?

8. *Quod illi liceat Imperatores deponere, & Subditos à fidelitate abſolvere.* Lapis hic angularis eſt, ſed in arena fundatus; quia principium petitur.

9. *Quod nullum Capitulum* *, *nulluſq; liber Canonicus habeatur abſq; Papæ authoritate.* Presbyteria ergo ſeu Capitula à *Paulo* inſtituta, nullo accedente *Petri* conſenſu, Canonica non

* Non de Conventu Clericorum, ſed Libri canonici ſeu Scripturæ Sacræ capitulo, intelligendus iſtic Loci *Gregorius.*

erant; nec Scripturarum libri ulli, nec *Pauli* Epistolæ, *&c.* antequam eas Concilium *Carthaginense* quinto sæculo Canonizaret.

10. *Quod Papa à nemine judicari debeat.* Sed nunquid à *Pilato*, Potestate cœlitus data, judicatus Christus? Et *Paulus* ad *Cæsaris* judicium appellaverit?

11. *Quod nullus audeat condemnare appellantem ad Sedem Apostolicam.* Quid ergo *Africani*? vel an Presbyteris, Clericisque omnibus liceat vi appellationis *Romanæ*, sententias Ordinariorum, Synodorumq; semper declinare?

12. *Quod* Romana *Ecclesia* (particularis illa) *nunquam erravit, nec in perpetuum (Scriptura testante) errabit.* Producatur illud Scripturæ testimonium.

13. *Quod* Romanus *Pontifex, si canonicè fuerit ordinatus, meritis B.* Petri, *indubitanter efficitur sanctus.* Quomodo *indubitanter*, si nulla authoritate divina firmetur? An forte electio Pontificia, Sacramentalis & sanctificans, sicut Baptismus, vel absolutio à peccatis? vel cur electio Pontificis *Romani* sanctificaret indubitanter, & non Pontificis *Antiocheni, Alexandrini*, &c? aut cur electio Successorum *Petri*, meritis S. *Petri* hoc privilegio gauderet, & non electio Successorum *Pauli*, vel *Jacobi*, meritis SS. *Pauli*, & *Jacobi*?

6. 14. *Quod*

6. 14. *Quod nulla Synodus absq; præcepto Papæ debeat Generalis vocari.* Sed utrum quatuor primæ Synodi generales, jussu Pontificis *Romani*, an potius Imperatoris coactæ fuerint?

15. *Quod sententia Papæ à nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit.* Papa ergo sententias Conciliorum generalium, & Canones Ecclesiæ, Juraq; omnia Ecclesiastica mutare potest. Ecce quàm bellè & abundè Monarchiæ suæ viam sternebat *Gregorius* VII!

Sed & alteram prædictis superaddit *Gregorius* Regulam, Ep. ad *Henricum* IV. dignitatem scilicet Regiam non à Deo, sed à Paganis inventam fuisse; adeoque Potestati Pontificiæ à Deo immediate institutæ subjiciendam. *Itane*, inquit, *dignitas Regia à Secularibus etiam Deum ignorantibus inventa, non subjicietur ei dignitati quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit, & mundo misericorditer tribuit?* *

* *Joannes Launoius*, Epistolarum Part. VI. ad *Antonium Faurum* scribens, conatur ostendere, Dictatus I. II. III. VII. X. XI. XXIII. & XXV. non *Gregorij* sive *Hildebrandi*, sed impostori alicujus, adeoque apocriphos & supposititios esse. Post alia verò argumenta quibus id specialiter de titulo (ut ipse loquitur) seu Dictatu XXIII. nititur probare, ultimum in hæc ipsa verba habet: Postremò

ſtremò numquam dixiſſet *Gregorius* meritis Beati Petri ſanctos effici nonnullos Formoſi Papæ Succeſſores, de quibus Baronius ad annum DCCCXCVII, ſic loquitur: *Cum verò hos Romana Eccleſia paſſa eſt tyrannos Tuſciæ Principes, dominantes ſive pecunia ſive armis populo Clexoque Romano, per quos intruſi in Cathedram Petri, ſolium Chriſti, homines monſtruoſi, vita turpiſſimi, moribus perditiſſimi, uſquequaque fædiſſimi, veſtimentis exuta gloriæ atque lætitiæ, mœrens, dolens ac lugens, ſedit in triſtitia Domina gentium. Cæterùm etſi interdum deforme valde, turpeque contigerit apponi Eccleſiæ caput, tolerandum tamen ipſi fuit.* Quæ illuſtris Annalium Eccleſiaſticorum conditor monumentis confignat ſuis, ita nota erant *Gregorij* VII. tempore, ut ea ignorare non potuerit. Quemadmodum & probè noverat, quæ *Luitprandus* in Libri VI. de rebus per Europam geſtis capite VII. de *Joanne* XII. tradit: referens acta Romani Concilij, in quo hic Pontifex abdicatus eſt: *Tunc conſurgens* Petrus *Cardinalis Presbyter, ſe vidiſſe illum Miſſam celebraſſe, & non communicaſſe teſtatus eſt.* Joannes *Epiſcopus Narnienſis, &* Joannes *Cardinalis Diaconus, ſe vidiſſe illum, Diaconum ordinaſſe in equorum ſtabulo non certis temporibus ſunt profeſſi. Benedictus cum cæteris Condiaconis & Presbyteris dixit ſe ſcire, quòd ordinationes Epiſcoporum pretio fecerat, & quod annorum decem Epiſcopum in Tudertina civitate ordinarat. De ſacrilegio non eſſe neceſſe percontari, dixit, quia plus videndo, quam audiendo ſcire potuiſſemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, ſed pro certo ſcirent, viduam Rainerij, &* Stephanam *Patris concubinam, & Annam viduam cum nepte ſua ſubuſum eſſe, & ſanctum Palatium lupanar & proſti-*

bulum

bulum fecisse. Venationem dixerant publicè exercuisse: Benedictum spiritualem patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse. Joannem *Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse; ense accinctum, galea & lorica indutum finisse, testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam Clerici, quàm Laici acclamarunt. In ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas, ac Canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se munivisse professi sunt.* Deinde capite X. de morte horribili *Joannis* ejusdem Papæ XII. *Quadam nocte extra Romam, dum se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à Diabolo percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ viaticum ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit, quemadmodum à suis cognatis & familiaribus, qui præsentes erant, persæpe sub attestatione audivimus.* Hæc autem omnia cum perfectè teneret *Gregorius*, is prudens & attentus dixisset numquam Romanos Pontifices meritis beati *Petri* sanctos effici; *&c. Sic nempe Lanoius ad abjudicandum* Gregorio *dictatum hunc* XXIII.

7. His itaque principijs instructus *Gregorius* (seu ut loquuntur *Lambertus* & *Baron.* Anno 1074. n. 37. & 1076. n. 1. *Hildebrandus,*) omnes pene *Europæ* Principes commovit & deterruit. Unde in primis, *Philippo Franciæ* Regi sub prætextu Simoniæ excommunicationem simul ac depositionem intentat, ut refert *Baron.* ad

Annum 1073. Deinde *Robertum* Ducem *Apuliæ, Calabriæ,* & *Siciliæ,* cum omnibus ſuis fautoribus, aggreditur; *collectoque exercitu adverſus eos ire diſpoſuit,* ut notat ibidem *Baron.* n. 41. Principem poſtea *Salernitanum*; ſimiliter & * *Lotharingiæ* Ducem invaſit. Regem *Angliæ* graviter exaſperavit, ſicut & *Salomonem Hungariæ* Regem, eo quod Regnum ſuum Imperatori ſubjecerit. *Hiſpaniam, Hungariam,* cæteraq; fere *Europæ* Regna, (ſicut & *Bonifacius* VIII. *Franciam,* apud *Peron.* Orat. ad Stat.) tanquam Sedis Apoſtolicæ feuda ſibi vendicavit. Archiepiſcopos penè omnes, & Imperij Epiſcopos ſuſpendit, vel depoſuit, ut *Bremenſem, Stratzburgenſem, Spirenſem, Bambergenſem, Papienſem, Taurinenſem, Placentinum, Ravennatem,* Epiſcopos *Longobardiæ,* Epiſcopum *Mediolanenſem,* Cardinalem *Hugonem*, Epiſcopos plures, & Abbates *Galliæ*; alioſq; plurimos de quibus *Baron.* ad Annum 1074. 1075. 1076. Ita ut in ipſo ſui Pontificatus exordio univerſam *Europam* bellis, depoſitionibus, & excommunicationibus commoveret: Quaſi dictum non eſſet, *Nemo militans Deo negotijs ſæcularibus ſe implicet,* quanto minus bellis, is cujus arma militiæ, *carnalia* non erant?

8. *Gregorius* tamen, quod Apoſtolus non potuit, arma conſuluit, eaq; undiquaq;

quaq; pavit, ut Religionem propagaret; & quinquaginta millia militum (inquit *Baron.* ad Annum 1074.) in campum produxit, quasi Religio armis esset plantanda, aut Ecclesia Dei gladio reformanda, quem tamen *Petrus* jussu Christi in vaginam remisit.

Porrò ut ad *Henricum* Imperatorem redeamus, *Germaniæq;* Episcopos; *Gregorius* Martiali hoc spiritu continuò agitatus, *Henricum* primò invasit, tanquam immunitatis Ecclesiasticæ transgressorem, eò quod Territoria *Mathildis*, Ecclesiæ *Romanæ* consecrata, Imperio iterum, suæq; ditioni subjiceret; ut refert *Leo Ostiensis*, & *Papirius Massonius*, de quibus Chron. *Cassinense*, l. 3. c. 48.

Altera fuit ratio cur *Henrico* offensus fuerit; quod scilicet *Henricus Saxonas Gregorij* (ut loquitur *Platina* *) compatriotas, insolitis taxaret gravaminibus, sibiq; jus investituræ reservaret; hoc est, nullos admitteret Episcopos consecrari, nullaq; beneficia majora conferri, nisi prius assensus aut presentatio Imperatoris accessisset. Hinc à *Gregorio* impetitus *Henricus*, omnique quâ potuit arte diffamatus,

* *Nihil de* compatriotis *habet* Platina. *Immò disertis verbis habet* Gregorium VII. Hildebrandum *antea* vocatum, *natione* Etruscum, *patria* Soanensem, *fuisse.*

tandem tanquam Simoniacus excommunicatur quasi sacra venderet, seu (ut ex *Lamberto* loquitur *Baron.* ad Annum 1074.) *propter venditas Ecclesiasticas dignitates, Simoniacæ hæreseos insimulatus fuisset apud Sedem Apostolicam*; Et hinc Legati à *Gregorio* in *Germaniam* missi, noluerunt cum *Henrico* communicare nisi prius ab Excommunicatione absolveretur. Hujus criminis *Henriciani*, accusabantur & omnes *Germaniæ* Episcopi, tanquam complices vel criminis rei; Ideoq; inquit *Platina* * in *Gregor.* VII. Gregorius Sigefridum *Archiepiscopum* Moguntiæ, *cæterosq; Ecclesiasticos Imperatori adhærentes, suis dignitatibus ac beneficijs privavit.* Crimen ergo *Henrici*, Complicumq; fuit, quòd Simoniam foverent, jus investituræ in Imperatore propugnarent, taxisq; insolitis Episcopos quosdam & Abbates *Saxoniæ* quasi contra immunitatem Ecclesiæ gravarent, factumve *Henrici* ratificarent. Si igitur *Henricum*, & complices Episcopos, ab omni Simonia, & transgressione immunitatis Ecclesiasti-

cæ

* *In authore rursus fallitur, etsi historia ipsa absque dubio vera sit.* Platina *quidem criminis* Sigifredi *hujus meminit, nempe quòd ipso negotium procurante, in Synodo* Wormatiensi, Henricus *interdicere omnibus ausus sit, ne ulla in re Pontifici Romano obtemperarent; at privationis ejus in specie non meminit.*

cæ vindicaverimus, perſpicuum erit, omnes *Gregorij* excommunicationes, citationes, depoſitiones, ac ſententias adverſus *Henricum*, & ſuos, tanquam malè fundatas, invalidas eſſe; ac per conſequens facta *Henrici*, Conciliorumq; prædictorum *Germaniæ* contra *Gregorium* ſarta tecta decurrere.

10. In primis igitur ex *Lamberto*, *Baronio*, imò & *Gregorio* ipſo inquiro, ſi *Henricus* verè Simoniacus fuerit, ejuſq; Simonia totius hujus controverſiæ origo & anſa, cur in ſententia depoſitionis *Henrici*, nulla Simoniæ mentio facta fuerit? crimen enim ſententia de jure ſpecificat. Quod autem in ſententia nulla Simoniæ mentio facta ſit, ex tenore patet, qui talis eſt.

"Beate *Petre* Apoſtolorum Princeps, 'inclina, quæſumus, pias aures tuas no-'bis, & audi me ſervum quem ab infantia 'nutriſti, & uſque in hanc diem de manu 'iniquorum liberaſti, qui me pro tua fi-'delitate oderunt, & odiunt. (*Quaſi* Ger-'mania, Gallia, Italia, *&c.* Gregorio '*incenſæ, aliud ei non objecerint quàm quòd* 'Chriſto fidelis eſſet.) Tu mihi teſtis es, '& Domina mea mater Dei, & B. *Paulus* 'frater tuus inter omnes Sanctos, quod 'tua Sancta *Romana* Eccleſia me invitum 'ad ſua gubernacula traxit; & ego non 'rapinam arbitratus ſum ad Sedem tuam

'aſcendere

'aſcendere, potius volui vitam meam in
'peregrinatione finire, quàm locum tuum
'pro gloria mundi, ſæculari ingenio arri-
'pere. Et ideo ex tua gratia, non ex me-
'is operibus, credo quòd tibi placuit &
'placet, ut populus Chriſtianus tibi ſpeci-
'liter commiſſus, mihi obediat, ſpecialiter
'pro virtute tua mihi commiſſa; & mihi
'tuâ gratiâ eſt Poteſtas à Deo data li-
'gandi atq; ſolvendi in cœlo & in terra.
'(*Quaſi gratia* Petri, *& non Chriſti, Pote-*
'*ſtatem hanc accepiſſet; Aut illa ſpiritualis*
'*tantum, & non ligandi vel ſolvendi tem-*
'*poraliter fuiſſet.*) Hac itaq; fiducia fre-
'tus, pro Eccleſiæ tuæ honore & defen-
'ſione, ex parte omnipotentis Dei Patris,
'& Filij, & Spiritus Sancti, per tuam Au-
'thoritatem, & Poteſtatem, *Henrico* Regi
'filio *Henrici* Imperatoris, qui contra tu-
'am Eccleſiam inauditâ ſuperbiâ inſurrex-
'it, totius Regni *Teutonicorum*, & *Italiæ*
'gubernacula contradico, & omnes Chri-
'ſtianos à vinculo juramenti quod ſibi fe-
'cêre, & facient, abſolvo; & ut nullus
'ei ſicut Regi ſerviat interdico. Dignum
'eſt enim ut qui ſtudet honorem Eccle-
'ſiæ tuæ imminuere, ipſe honorem amit-
'tat quem videtur habere. Et quia ſicut
'Chriſtianus contempſit obedire, nec ad
'Dominum redijt quem dimiſit, partici-
'pando excommunicatis, & multas ini-
'quitates

'quitates faciendo, meaq; monita quæ pro
'ſua ſalute ſibi miſi (te teſte) ſpernen-
'do; vinculo eum Anathematis vice tua
'alligo, & ſic eum ex fiducia tua alligo,
'ut ſciant gentes & comprobent, quia tu
'es *Petrus*, & ſuper hanc Petram filius
'Dei vivi ædificavit Eccleſiam ſuam, &
'portæ inferi non prævalebunt adverſus
'eam.

11. Hactenus *Gregorius* apud *Baron.* ad An. 1076. n. 25. licet hæc ſententia aliter longè & crudiùs à *Platina* recitetur. Nihil tamen hìc de *Henrici* Simoniâ adducitur; ſed quod ſuis ſubditis, licèt excommunicatis, communicaverit (quod procul dubiò Regi licebat) aut quod Pontifici in temporalibus vel mixtis non obediverit, (alitèr enim ab Eccleſiâ ſe non ſeparavit) neutra autem excommunicationis vel depoſitionis ſufficiens ratio fuit.

12. Deinde ſi *Henricus* Simoniacus fuerit, cur *Gregorius* in literis ad *Henricum* datis, totamq; litis cauſam exponens, (de quibus *Baron.* ad An. 1076. n. 2.) nullius Simoniæ mentionem fecerit? Quatuor hìc *Henrico* objecerat *Gregorius*. 1. Quod cum quibuſdam Aulæ ſuæ miniſtris excommunicatis participaret in civilibus; quod omnino inhiberi non potuit, ſicut nec quòd uxor cum marito, vel proles cum paren-

parentibus excommunicatis, aut è converſo in civilibus participarent.

2. Quod *Henricus* Eccleſias, & Beneficia, Papâ inconſulto, conferret. Quod certè juxta Canones, cum jus inveſtituræ haberet, licitum fuit. Et tamen hæc fuit univerſa illius Simoniaca labes, hæreſis *Henriciana*, Beneficiorumq; venditio, per adverſarios ſic declamata, diffamataque.

3. Quòd *Henricus* Acta quædam Synodalia, ſeu Reformationis Clericorum contempliſſet; quod tamen probari non potuit, cùm Rex omnium maxime, Reformationem Cleri contenderet, ut ex illius Epiſt. (inter Conſtit. Imperiales) ad *Gregorium* liquet: & notat *Baron.* ad Annum 1075. n. 20.

4. Quòd *Saxonibus* (*Gregorij* compatriotis *) injuriam intuliſſet *Henricus*. Dico, tamen, ſi quæ fuerit injuria (de quâ infrà) civilem temporalemq; fuiſſe, cujus proinde cognitio ad *Gregorium* non ſpectabat. Solius ergo Juris inveſtituræ quæſtio, nomine Simoniæ, venditionis Beneficiorum, iniquitatis, hæreſeos, inobedientiæ, tranſgreſſionis immunitatis Eccleſiaſticæ, *&c.* hîc intervenit; licèt illo jure Imperatores omnes Orthodoxi per 700. circiter annos ante *Gregorium* VII. abſq; ullâ

* *Unde habuerit compatriotas fuiſſe, neſcio.*

ullâ Simoniæ, vel hæreſeos notâ uterentur; eiq; *Gregorius* ipſe, plurimiq; Epiſcopi Sancti ſeſe ſubmitterent. Teſtis (apud *Matth. Pariſ.* ad Annum 1095. in *Guiliel.* 2.) S. *Ulſtanus Vigornienſis* Epiſcopus, qui poſtquam à S. *Edvardo* Confeſſore, & Rege inveſtituram accepiſſet, mox baculum ipſum ſepulchro Regis marmoreo infixit, quem poſtea Rex *Gulielmus*, nec *Lanfrancus*, nec alius quiſquam quàm *Ulſtanus* ipſe, extrahere poterant, ut ſic cœlitus miraculo confirmaretur, quod Jure Regis in terris debebatur. *Tum enim* (inquit *Pariſ.*) *non licuit abſq; Imperatoris, vel Regis authoritate Pontificem aliquem creare. Quod ſi in hæc uſq; tempora mos iſte duraret, melius de Repub. Chriſtianâ ageretur*, ut habet *Cuſpinianus* in *Ludov. Pium.*

12. At inquit (ex *Lamberto*) *Baronius*, Henricus *Eccleſiaſticas vendidit dignitates.* Itane verò? Dicant ergo *Lambertus* & *Baronius*, utrum *Gregorius* ipſe qui inveſtituram ab *Henrico* acceperat, dignitatem Papalem tunc emerit? aut ſi *Henricus* Beneficia tunc vendidit Eccleſiaſtica, cur voluerit *Gregorius*, ut *Anſelmus* ille (de quo *Baron.* An. 1073. n. 11.) inveſtituram Epiſcopatus, priuſquam admitteretur, ab *Henrico* acciperet? Sed nec *Urſpergenſis*, nec *Friſengenſis*, nec ex Veteribus alius quiſquam, præter *Lambertum*, (etſi de

Simonia

Simonia *Henrici* fusius disputassent) venditionem talem interponunt. Imo vero & ab hac Simoniæ labe tres Archiepiscopi testes oculares (etiam & *Henrico* infesti) *Henricum* immunem reddiderunt, *Moguntinus*, *Colonienſis*, & *Wormatienſis*, de quibus *Helmoldus*, c. 32. *Albertus Stadienſis* ad Annum 1106. & *Cratzius* in *Saxonia*, l. 5. c. 20. Atque hinc eos ingratos denunciat *Gotefridus Viterbienſis* in verſib. par. 1. quod nimirum Episcopi illi * de *Henrico* non ita pridem tam bene meriti, *Henricum* postea deposuerint, aut Simoniacum condemnaverint.

* Legendum potius arbitrarer, *quod Epiſcopi illi Henrico non ita pridem tantis beneficijs devincti*, &c.

13. Porro ut quæstionem hanc in radice tractemus, Dicant (velim) in primis Adversarij, Utrum venditio rei spiritualis, v. g. calicis consecrati, Simonia dicatur, si scilicet spiritualitas ipsa in æstimationem non venerit, sed materiale tantum operis, seu temporale rei consecratæ? Dicant, Annon Simonia à Theologis definiatur, *Æstimatio rei ſpiritualis, & quâ talis, pro re temporali?* Demus igitur *Henricum* Beneficia Ecclesiastica vendidisse; spiritualitatem tamen Beneficiorum in contractu non coæstimavit, sed pro temporali temporale tantum pensavit. Quomodo ergo Simoniacus?

Simoniacus? Sed nec ipſum temporale vendidit ut manifeſtis ipſe argumentis demonſtravit. *Henricum* ergo ipſum apud *Helmoldum* ſupra expoſtulantem tantiſper audiamus.

Dic (inquit *Henricus*) *ô* Moguntine! *dic adjuratus per nomen æterni Dei; dic quid exegimus aut recepimus quando te* Moguntiæ *præfecimus? Tu quoq;* Colonienſis, *per fidem te conteſtamur!* Similiter & *Wormatienſem* conjuravit, ut ibidem. Et ſi interfuiſſet *Stephanus Albeſtatenſis* Epiſcopus, *Henrici* licèt accuſator & hoſtis, proculdubio in eandem quæſtionem veniſſet. Si ergo ex Beneficiorum collatione, & inveſtitura Epiſcopi *Moguntini*, vel *Colonienſis*, quæ (ut ait *Henricus*) *præſtantiſſima ſunt, & magnum queſtum Cameræ noſtræ referre poterant*; ſi ex inveſtitura ipſius *Gregorij* VII. vel *Anſelmi* ab eo præſentati nihil Simoniaci interventu pacti *Henricus* acceperit (niſi forte omnes illos, Simoniacos pariter damnaveris:) intruſa profecto hæc, & violenta Simoniæ ſpecies dicetur. Ideoq; *Henricus* ſupra (fatentibus etiam *Moguntino* & *Colonienſi*) expreſſe proteſtatur; *Nihil pecuniæ hujus rei gratiâ* (ſcilicet inveſtituræ) *oblatum vel receptum fuiſſe. Gloria* (inquit) *Deo, quia vel in hac parte fideles adinventi ſumus.* Neq; enim veroſimile eſt, *Henricum*, qui

opima

opima illa *Moguntini* ac *Colonienſis* Beneficia nullius mercedis interventu contulit, levioribus ſe contaminare voluiſſe, quaſi macris ſe pollueret, qui pinguia contemneret; præterquam quod nemo unquam Epiſcoporum *Germaniæ Henricum* de hac labe tanquam teſtis illius ſæculi ocularis accuſaret vel argueret.

14. At (inquit *Bellarminus*) Simoniæ reus eſt quiſquis Laicorum jus inveſtituræ ſibi pretendit. Et hic *Henrici* caſus fuit. Ideoq; (inquit) *Mauritius* Imperator è *Gregorio* magno, aliiſq; illius ævi Imperatoribus diſſerens ait; *Qui omnes reperiuntur fuiſſe Fide Catholica orthodoxi, hacq; tantum ex parte damnandi, quod confirmationem electi in* Romanum *Pontificem, ſibi, ut vidimus, vendicarent.* Simoniaci ergo ſunt omnes tales, imo & Eccleſiaſticæ immunitatis tranſgreſſores, Eccleſiæq; hoſtes, ac perſecutores, ut habet *Gregor.* I. Comment. in Pſal. 101.

At ſi quis Gregorij *illius ipſius* 1. *ſive* Magni *epiſtolas ad Tyrannum* Photium *conſideraverit, haud mirabitur ipſum in hac quoque parte erraviſſe.*

In primis Reſpondeo, Commentarium hunc incertum ac ſuppoſititium eſſe: Deinde *Mauritium*, ſi ex illo capite Simoniacus eſſet, aut Eccleſiæ perſecutor, quod ſcilicet jure Epiſcoporum inveſtituræ

turæ fungeretur, tunc non ſolum, ſed cum eo omnes à *Conſtantino* magno Imperatores ad *Henricum* IV. uſque, qui jus illud inter jura Regalia reponebant, Simoniacos pariter, Eccleſiæq; perſecutores habendos eſſe: Similiter & omnes interea Pontifices *Romanos*, alioſque Eccleſiæ Epiſcopos, qui juri illi ſponte detulerunt, atq; pro inveſtitura juxta conſuetudinem ſolverunt.

Ideoq; Argumentum ſic retorqueo. *Mauritius* Imperator Orthodoxus pecuniam exegit à *Gregorio* Pontifice pro admiſſione ac confirmatione illius in Sede *Romana*, ut docet *Baron.* ad Annum 590. n. 6. atq; hinc à *Baronio* & *Bellarmino* Simoniacus appellatur: Igitur & S. *Gregorius*, Simoniacus fuit, qui pecuniam illam *Mauritio* ſponte ſolvit; ſimiliter & Succeſſores omnes qui per aliquot centurias uſum hunc prorogarunt: Aut certe exactio illa vel ſolutio, Simonia non erat, & ſic tam *Mauritius*, quam *Henricus* immunes reddentur.

15. Unum breviter ſuperaddam: *Bonifacium* II. quòd Authoritate tum ſua ipſius propria, cum Synodi Nationalis *Romanæ*, *Vigilium* Diaconum, inconſulto Rege *Athalarico*, in Succeſſorem delegiſſet, indeque criminatum *, in plena Synodo *Romanæ*

* *Lege melius*, accuſatum.

mana læſæ Majeſtatis culpam agnoviſſe; quòd nimirum contra Regis decretum jura Regalia inveſtituræ adoriretur. Quod certe fieri non oportebat, niſi jus inveſtituræ legitimè, & abſq; ulla labe Regi deberetur; alioquin profecto *Bonifacius* criminis agnitione longiſſimè aberraſſet. Cur ergo vi juris ejuſdem non poſſet *Henricus* Temporalia Epiſcoporum *Germaniæ* pecuniis, taxiſque pari ſorte gravare?

16. Dicant itaq; ingenuè Adverſarij, An non Pontifices *Romani* antequam ex donis Imperatorum in Principes abſolutos tranſiviſſent, Præfectura tantum Urbis *Romanæ* per aliquot centurias tanquam Imperatoris Vaſalli contentarentur? An non & Epiſcopi tunc omnes, ſicut & Pontifices, Principes licèt temporales, in Temporalibus tamen Regibus ſubordinati fuerint? Cur itaq; ex hac ſaltem ſubjectionis Lege taxari non poſſent, dum à Regibus ad Præfecturam temporalem admitterentur? Et hoc eſt quod *Henricus*, cæteriq; Reges, Principeſq; Catholici jure inveſtituræ vendicarunt.

Porro ut ad *Henricum*, Beneficiorumq; vendituras † revertamur, Profecto non eſt veroſimile dignitates illas ab *Henrico* tunc venditas fuiſſe, ratione quarum, Anno ſuperiori 1073,

† *Venditionis.*

viri

viri ſancti, Anno ſc. Colonienſis *Epiſcopus*, & Hermannus Bambergenſis Romam *miſſi ſunt, pecuniam quæ Regi debebatur, colligendi gratiâ*, ut refert. *Baron.* ad Annum 1073. niſi forte viros ſanctos Collectores eſſe velis, & Executores Simoniacæ pravitatis. At inquit *Baron.* Illi *legatione peractâ reverſi, Literas* Alexandri *Apoſtolici detulerunt, Regem citantes* Romam *ad ſatisfaciendum pro Simoniaca hæreſi.* Itane? ergo pecunia Simoniaca illa Regi non debebatur, & ſic Simoniacus erat Pontifex qui illam promiſit; Simoniaci etiam viri illi ſancti, Collectores; quæ facilè *Baronius* non admittet.

17. Dicam ergo quid fuerit. *Henricus* Imperator, ſicut & *Philippus* Rex *Franciæ* ſub eodem pene tempore, de Simonia pariter à *Gregorio* accuſati, ideo, quod non *gratis* (ut loquitur *Gregor.* apud *Baron.* ad Annum 1073. n. 73.) ſed cum onere Beneficia conferrent: ſicut & modò Papa *Rom.* Beneficia omnia majora, etiam & diſpenſationes ſpirituales taxat. Quæro igitur, Si *Henricus*, dum ex Jure inveſtituræ Temporalia Beneficiorum taxaſſet, hoc eſt, dum cum onere Beneficia quoad temporalia conferret, Simoniacus fuerit; quomodo à Simonia liber erit Pontifex *Romanus*, dum mera Spiritualia taxat: hoc eſt, ſi abſq; interventu pecuniarum, tax-

atoq; onere, Episcopatum, Abbatiatum, aliosve titulos vel jurisdictiones mere spirituales, conferre recusêt, aut in impedimentis quibusdam spiritualiter dispensare? Imperator (ut notorium est) temporalitatem tantùm Beneficij taxat, & tamen Simoniacus erit; Pontifices (qui Temporalia taxare non possunt, sed de Spiritualibus tantùm cognoscere) Simoniaci tamen non erunt si titulos & dispensationem mere spirituales, sine pecuniis conferre noluerint. Et hoc est quod famosissimus ille Antistes *Robertus Lincolniensis* apud *Mat. Paris.* ad Annum 1250. in *Henricum* III. olim querebatur dicens; *O pecunia, pecunia, quantum potes in* Romanâ *Curiâ!* Sed pergamus.

18. Demus itaq; ut argumentum currat, *Henricum*, & *Philippum* Reges, Simoniacos fuisse; ideone exauthorari poterunt Simoniaci, plusquam Fornicarij, ita ut nemo illis obedire posset, *nisi* (ut loquitur *Gregor.* de *Philippo*) *Fidem Christianam abjicere maluerit?* Quasi de Fide esset Reges à Pontifice, ratione Simoniæ deponi posse, quod tamen ante *Gregorium* VII. inauditum fuit, attestante *Ivone Carnotensi*, Ep. 6. *Investituras Episcoporum de manu Regis recipere, nec Fidei, nec Sacræ Religioni officere.*

Sit

Sit tamen Simoniacus *Henricus*, Ideone excommunicari, Regnoq; exui poterit Princeps tanta multitudine ſociatus? Audiamus ſi placeat *Auguſtinum*, l. 3. contra *Parmen.* c. 2. *Non poteſt eſſe ſalubris correctio, niſi cum ille corripitur qui non habet ſociam multitudinem: cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud boni reſtat, quam dolor & gemitus*, &c. *ne cum zizanijs eradicent triticum*, &c. *Apoſtolus unum inceſtuoſum excommunicat*; *multos fornicationibus coinquinatos non excommunicat, ſed per luctum ſuum potius eos divino flagello coercendos minatur. Revera ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divinæ diſciplinæ ſevera miſericordia neceſſaria eſt*; *nam conſilia ſeparationis* (excommunicationis) *& inania ſunt, & periculoſa, atq; ſacrilega*; *quia impia & ſuperba fiunt, & plus perterbant infirmos bonos, quam corrigunt animoſos malos.* Excommunicatio ergo & depoſitio *Henrici* qui multitudinem habuit ſociam, inanes erant, periculoſæ, ſacrilegæ, impiæ, & ſuperbæ.

19. Reſpondet *Bellarminus*, Licèt plures in eodem delicto cum *Henrico* eſſent, ſolum tamen *Henricum* ab initio contumaciter Pontifici reſtitiſſe; ideoq; ſolum tunc excommunicatum fuiſſe. At *Bellarminum* longe hîc aberrâſſe conſtat; cum tunc ſimul cum *Henrico* excommunicati fuiſſent

& ante Concilium *Rom.* Episcopus *Ratisbonensis*, Episcopus *Constantiensis*, Episcopus *Lasaunensis*, &c. & in Concilio postea *Romano* Episcopi *Longobardiæ*, Episcopi *Ultramontani*; cæterisq; participibus dies constituti, ut nisi se purgassent, simili etiam excommunicationis sententia ligarentur. Deinde crimen Simoniæ *Henrico* objectum, omnibus pene *Germaniæ* Episcopis commune erat; ac consequenter juxta Adversarios contagio illa multitudinem invasit: Excommunicatio ergo tunc ferenda non erat.

Sed demus *Henricum* solum tunc excommunicari; Nunquid tamen juxta Regulam S. *Augustini*, si per excommunicationem plus perturbentur infirmi boni, quam corrigantur animosi mali, excommunicatio tunc *impia sit, sacrilega, & superba?* Et tamen per excommunicationem *Henrici*, ac depositionem, manifestum fuit, plures bonos perturbandos iri, quam malos corrigendos, ut in omni Regum deprivatione universaliter contingit. Ideo inquit glossa in *Matth.* 13. *Multitudo non est excommunicanda, neq; Princeps populi.*

20. Deniq; etsi gratis admiserimus *Henricum* ab initio omnium pessimum fuisse, *Romam* tamen postea citatus, juxta Adversarios comparuit, mandato Pontificis satisfecit, injunctamq; pœnitentiam perfecit;

fecit; cur igitur in ipsa pœnitentia pœnitens depositus fuerit? Audi *Albertum Stadiensem* ad Annum 1077. *Episcopus*, inquit, *Strazburgensis amicissimus Regis* Henrici, *Regem inter memorias Martyrum* (hoc est *Romæ*) *invenit*; *novum Principem electum* (Rodulphum) *indicat*; *Rex prætendit nequaquam sibi sine licentia Sedis Apostolicæ abeundum. Respondit Episcopus*; *Noveris certe hoc omne conspirationis malum de fonte* Romanæ *perfidiæ manasse: Unde clanculò per noctem* Româ *egressus, exijt* Italia. Et hoc est quod *Leo Ostiensis* indicat l. 3. c. 48. Henrico, inquit, Romæ *pœnitente, consilio* Mathildis *missus est quidam à* Gregorio *qui* Rodulphum *rebellare persuasit. Henrico* ergo inscio, pœnitente, & innocente, depositio tamen illius parabatur, & *Rodulphi* substitutio. Ideoq; minus candide cum Rege pœnitente & humiliato actum fuit; etsi *Lambertus* & *Baronius* factum hoc *Gregorij*, sicut & alia plura silenter pertranseant. Agnoscit tamen *Bellarminus* ingenue Reges excommunicari vel deponi omnino non posse, nisi prius admoniti, postea contumaces inveniantur. Quæro igitur cur *Henricus* jam pœnitens, humiliatusque, depositus fuerit? Cur *Childericum* Regem, nec auditum, nec admonitum, nec incorrigibilem, sed fatuum tantum, depositum tamen à Pontifice *Zacharia*

Adversarij contendant? Ex quibus omnibus manifestum erit, *Henricum* Simoniacum vel Hereticum non fuisse; vel casu quo sic esset, Regem tamen multitudine sociatum, pœnitentem, & humiliatum, absq; summo errore & injuria exauthorari non potuisse.

21. Accedit & hæc ratio, Quòd etsi *Romæ* tanquam Hereticus & Simoniacus insimulatus, ut loquitur *Baron.* nunquam tamen auditus, vel convictus fuerit; quomodo ergo excommunicari poterat? Sed demus convictum fuisse; ideone tamen Regem è Regno suo, bellis, ac rebellionibus lacerato, Regisq; insimul Ministros ac Consiliarios absq; Regis consensu *Romam* citare poterat *Gregorius*? Aut certe nisi comparuissent, contumaces & excommunicatos reddere, Dominijs exauthorare, diris omnibus devovere; idq; in causa temporali vel mixta, ubi & de ruina Imperij, ac coram Judice suspecto, exasperato, *Cæsarisq;* depositionem jam moliente, timebatur? Durum profecto necessitatis telum aut perire aut pati; utrinq; enim necessitas imminebat extrema tam Regi, qnam Ministris, ut vel Imperium amitterent, aut in excommunicationem Pontificis tanquam contumaces laberentur. Ministri itidem, si *Gregorio*, contra vel citra Regis consensum parerent, læsæ Maje-

Majeſtatis Rei erant: *Gregorio* vero reluctando, excommunicationem reportaturi. En *Scyllam* & *Charybdem* quas inter, *Henricus* & Epiſcopi navigarunt; etſi Theologi omnes teneant Pontificem cum gravi periculo vel jactura fortunæ, honoris, vel corporis, nemini mandare poſſe.

22. Supereſt ergo ut demonſtremus Imperij tunc ſtatum, talem fuiſſe, ut neq; Imperatori vel Conſiliarijs tutum fuerit Imperio abeſſe, aut juri inveſtituræ Epiſcoporum quoquo modo renunciare. Audiamus ergo *Onuphrium* in *Gregor.* VII. *Imperij* (inquit) *vel omnino tollendi, vel in perpetuum ſtabiliendi, cauſa tunc maxime tractabatur.* Non oportebat ergo Imperatorem, vel Conſiliarios Imperio tunc abeſſe, aut *Romæ* comparere. Quantum vero ad uſum Inveſtituræ, ſciendum erit, ſtatum tunc Imperij fuiſſe, ut niſi rebelles, potentes, contumaceſq; Epiſcopi & Abbates, jure inveſtituræ coercerentur, mulctis aliiſq; Imperij oneribus gravarentur, paci communi provideri non poſſet. Ideoque *Onuphrius* ſupra de Epiſcopis diſcurrens ait: *Qui cum jure inveſtituræ coerceri non poterant, quid ergo deinceps facturi eſſent ſi omnino ex Imperatoris Poteſtate eruti & liberati eſſent?* Ex jure ergo inveſtituræ, coercitione Epiſcoporum, præſentia *Henrici*, & Conſiliariorum, ſtatus & conſervatio

tio Imperij tunc dependebant; adeoq; *Romam* mandari vel citari non poterant; multo minus tanquam contumaces excommunicari vel deponi.

23. Audiamus si placeat *Huldricum Mutium*, l. 15. Chron. *Germ.* controversiam hanc ab exordio describentem, & quomodo *Gregorius* à *Saxonibus* suis, & quibusdam male-feriatis Aulicis, quos *Henricus* antea Curia sua ejecit, corruptus fuerit. In primis ergo refert *Aulicos illos licentiâ peccandi diuturnâ corruptos, malisq; moribus Nobiles assuetos, odisse Imperatorem, & de alio eligendo cogitasse, & conspirasse. Inter hos, primos fuisse* Saxones; *hos vero victos atq; impares, misisse Legatos* Romam *ad Pontificem* Gregorium VII. *cum mandatis mendacibus, quidquid detestandorum, nefandorumq; scelerum fingi poterat, objecisse.* Super hoc *Henricus* à *Gregorio* sub pœna excommunicationis citatus fuit. *Henricus* autem hîc sub dilemmate cunctatus ancipiti hærebat; si mandatis Pontificis obtemperasset, de *Saxonia* amittenda, jam concluſum; si vero non paruisset, jam excommunicationis & depositionis sententiam verebatur. Videns ergo cuniculos undiquaque, insidiasq; sibi parari, nec *Gregorium* aliter quàm blandis lusisse verbis, quibus *Romam* illum alliceret, concluſit, *Româ* abstinendum, bellumq; *Saxonicum*

cum prosequendum esse. Hinc ex una parte *Gregorius* exasperatus, *Henrico* inobedientiam, contumaciam, Simoniam, transgressionem Ecclesiasticæ Immunitatis, & quidquid excogitari mali poterat, objecit: Ex altera parte, *Mathildis Henrico* rebellis, capitalisq, inimica, quia Provincias suas *Liguriam*, & *Tusciam* contra Imperatorem remunire non poterat, illas Pontifici, Ecclesiæq, *Romanæ* consecravit. Imperatore vero renitente, juriq, suo pristino insistente, hinc novam iterum exasperationis causam *Gregorius* adoritur, ut ad excommunicationem & depositionem acrius prolaberetur.

24. Et hoc est quod *Leo Ostiensis*, l. 3. c. 48. tradit, cui & *Massonus* in *Gregorium* VII. subscribit, dicentes; *In primis* (inquit *Leo*) *causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odij, initium fuit donatio illa* Mathildis *inhibita ab Imperatore. Quapropter Pontifex tantam opportunitatem nactus, quod sibi jura usurparet Ecclesiæ, eundem Imperatorem communione privavit.* Quasi *Mathilda*, inconsulto Imperatore posset Imperium diminuere vel dimembrare. *Pontifex ergo* Mathildæ *consilijs adjutus, quendam ex suis ultra montana dirigens, &* Rodulpho *Duci Coronam Imperij mittens, adversus* Augustum *rebellare persuasit.* Hæc ille. Ubi vides binos hujus excom-

excommunicationis ac depoſitionis fontes, perfidias ſcilicet *Saxonum*, & *Mathildæ*, ex quibus *Henricus* de Simonia, contumacia, hæreſi, *&c.* accuſabatur; ac tandem licèt abſens, nec auditus, nec convictus, ſententia tamen excommunicationis, ac depoſitionis perculſus infamabatur.

Et quamvis *Henricus* poſtea in compoſitionem *Gregorij* veniſſet, abſolutionemq; obtinuiſſet; *ut à ſententia excommunicationis & depoſitionis liberaretur*, ut tradunt *Urſpergenſis, Veroellenſis, & Aventinus* l. 5. ideoq; *Saxonum* Legati plurimùm turbati fuiſſent: Reſpondit tamen *Gregorius*; *Ne ſitis* (inquit) *ſolliciti, quoniam culpabiliorem eum reddam vobis.* Dolus ergo hic ſuberat, quem licèt diſſimulet *Lambertus*, utcunq; tamen prodit, dicens, *Gregorium* tunc Legatis reſpondiſſe; *ſi veraciter eum* (Henricum) *facti pœniteat, Coronam & cætera Imperij inſignia noſtræ Poteſtati dedat, alioquin aut moriar, aut* Henrico *animam, Regnumq; tollam.* Vide Epiſt. *Henrici* ad *Hildebrandum.* Undiquaq; ergo *Henricus* petebatur, ut nec pœnitentia, nec contumacia, nec obedientia excuſari poterat quo minus abjiceretur, niſi Regnum Pontificis arbitrio reſignaſſet.

25. Audiamus ſi placeat Hiſtoricum accuratiſſimum *Joannem Marium* univerſam hanc tragœdiam deſcribentem. 'Cum

'(*inquit*)

'(*inquit*) Imperator graviſſimo, ac diffi-
'cillimo bello *Saxonico* implicitus eſſet;
'Papa pro more ſolito, ab Imperatore,
'confirmatione impetrata, ad eum Lega-
'tos mittit, ſub pœna Excommunicatio-
'nis, magna cum arrogantia, vetantes ne
'cuiquam in Imperio Beneficia Eccleſia-
'ſtica in poſterum conferret, quod ea cu-
'piditate ab Imperatore vendi diceret, quæ
'ipſe, & Succeſſores omnes avaritia inex-
'plebili laborantes, pecunia vendere cu-
'peret. Eo vero jure inveſtiturarum Im-
'peratores perpetuo in terris Imperij ga-
'viſi fuerant. (*Nomine ergo Simoniæ jus*
'*inveſtituræ venit*). Hoc autem *Henrico*
'perquàm novum, & inuſitatum eſt, ſed
'ob bellum quo diſtinebatur, id diſſimu-
'lavit. Papa vero minime contra eum
'procedere ceſſat, ſed habito apud *Late-*
'*ranum* Conciliabulo, aliquos Epiſcopos
'qui Imperatori adhærebant, Anathema-
'tis cenſura notat. (*En Anathematis cau-*
'*ſam, quia* Henrico *adhærebant*). Inte-
'rea Imperator habita de *Saxonibus* Victo-
'ria, aliud Concilium *Wormatiæ* indicit,
'in quo omnibus Cardinalibus mandat, ut
'relicto *Gregorio*, ſe in *Germaniam* confe-
'rant, nec ei ulla in re obtemperent (*Im-*
'*perator ergo prius invaſus, quam invaſit.*)

26. 'Res perquàm longa & faſtidij
'plena eſſet, contentiones, bella, & con-
'venti-

ventiones, quæ hinc & inde ab utraq; parte facta fuêre, commemorare. Papa Imperatorem magna acerbitate excommunicavit: Hic viciſſim *Antipapam* conſtituit; eumque cum antea *Gilbertus* Archiepiſcopus *Ravennas* diceretur, *Clementem* dixit, electum jn Concilio quodam Eccleſiæ *Germanicæ*. At Papa minimè hoc territus, & ipſe Titulum Imperij *Rodulpho* Duci *Sueviæ* contulit, qui quarto prælio ab *Henrico* profligatus, atq; occiſus eſt.

Poſt has victorias *Henricus* Imperator filium *Henricum* in *Italiam* ad domandum ſuperbiam Papæ, ejuſq; adhærentium mittit; inter quos erat maximè *Mathildis* Comitiſſa *Mantuæ*, mulier inſignis Superſtitionis, ac majoris audaciæ quam Sexum muliebrem deceret. Qua devictâ ac profligatâ, Imperator paulo pòſt ſupervenit, & *Antipapam* ſecum ducens, *Romam* manu valida contendit, eumq; in Sedem *Papalem* collocat. *Gregorius* autem VII. omnium malorum Author, aliquando *Romæ* obſidetur, ſed ope *Guiſcardi Normanni*, Principis *Apuliæ* liberatur, & in *Apuliam* abducitur, ubi & paulo poſt moritur. *Et ita qui Imperatorem Imperio dejicere conabatur, ſpe vana fruſtratus, ipſe verè dijicitur, ut ſic pœnam talionis ſubiret.*

27. Ex

27. Ex quibus patet, nullam ex parte *Henrici* inobedientiam vel contumaciam hîc intercessisse; nullamq; Simoniam, aliam, quam juris sui seu investituræ manu-tenentiam, neq; aliter in hac causa processisse, quam juxta regulas justitiæ, defensionis necessariæ, conservationis Imperij, suppressionisq; rebellium subditorum, quibus *Gregorius* opem contulit & favorem. Exasperatus quidem *Gregorius* fuit quod donationem *Mathildis Henricus* remoraretur, deinde quod *Saxones* compatriotas * rebellesq; supprimeret: quod iterum jure investituræ de Episcopis strictè animadverteret, ac tandem quod Legatos *Gregorij* impediret ne Synodum in *Germania* conciviſſent, aut Imperij Præsules adversus Cæsarem subornassent; ideoq; omnium hinc malorum scaturigo nata, totiusq; tragœdiæ Catastrophe quâ universa Ecclesia tanto concitata schismate fuit.

* *Notatum ant.*

28. At inquit *Baron. Simoniacæ hæreseos* insimulatus fuit *Henricus* apud Sedem Apostolicam; ideoq; excommunicatus. Quomodo *Simoniacæ hæreseos?* An forte omnis Simonia, hæresim etiam adjunctam habeat? vel omnis qui de *facto* peccet, hæreticus censeri debeat! Et tamen Simoniam *Henrici* (siqua fuerit) *Lamberto* & *Baronio*

Baronio (viris quasi in causa indifferentibus) *hæreticam* esse placuit.

Porro ut hìc concludamus; demus quod summum esse posset, *Henricum* Simoniacum, & à *Gregorio* legitimè depositum fuisse. Quæro tamen quo jure substitutus à *Gregorio Rodulphus*? nisi forte Pontifex Regnum uni ablatum, alteri pro arbitrio conferre posset; quod tamen ingenuè *Bellarm.* negat; tunc enim Reges omnes Pontificum Vasalli, precarij, & clientes erunt, nec illorum amplius electio, admissio, vel institutio, ad Proceres, Principes, vel Electores spectabunt.

Respondet *Bellarm. Rodulphum* à Proceribus *Germaniæ* electum tunc fuisse. Sed dic *Bellarmine*, quinam illi pròceres fuerint? Non Regni electores, qui *Henrico* adhæserunt; nec alij ulli quàm rebelles *Saxones*, complicesq, qui non tantum *Rodulphum*, sed & *Hermannum*, *Eggebertumq*, pariter in Reges elegerunt. Quæro itaq, quo jure poterat *Gregorius Rodulphum*, aliumve instituere Regem, vivente adhuc *Conrado Henrici* IV. filio cui Jus successionis & sanguinis debebatur. Aut si certe *Rodulphum* instituere, etiam & pro nutu destituere poterat, adeoq, & Reges omnes Christianos precarios sibi vasallosq, reddere.

29. Pec-

29. Peccavit ergo in universo causæ progressu *Gregorius*, cum *Henricus* nec Simoniacus esset, nec auditus, convictus, nec à Judice in causa temporali vel mixta competente citatus, cum deponeretur; Ideoq; sententia tam excommunicationis quam exauthorationis *Henrici*, à *Germanis*, *Francis*, imo & *Romanis* tanquam vana, inefficax, nulla, ac contra *Augustini* præcepta abjiciebatur. Quo supposito, manifestum erit *Gregorij* causam cecidisse; ac consequenter prædicta *Germaniæ* Concilia, Canonica, Orthodoxa, ac Legitima fuisse.

30. Ut vero Episcopos *Henrici* complices specialius hîc eluerenius; dicat nobis candidè *Gregorius* quid istis exprobrandum habeat? si Simoniam objecerit, jam illam in *Henrico* Imperatore, cujus Consiliarij, Theologi, Complices, & Episcopi erant, & quorum causa eadem fuit, satis expurgavimus. Si inobedientiam vel schismatis crimen, quod scilicet *Romæ* non comparerent, aut Pontifici in causa *Henrici* reluctarentur, jam necessitatem Imperij audivimus & *Henrici* innocentiam; adeoq; quidquid *Henricum* expurgaverit, etiam & Episcopos, insontes reddet. Primi etenim *Germaniæ* Episcopi in quos invehebatur *Gregorius*, *Bremensis* erant & *Moguntinus*, quorum scilicet exemplo cæteri omnes Episcopi, Clerus, Populusq; in partes *Henrici* duce-

bantur, ut habent *Baron.* ad Annum. 1076. n. 29. & *Aventinus* l. 5. p. 474. Neuter tamen Episcoporum Simoniæ, vel inobedientiæ tunc criminabatur *; ut de *Bremensi* supra evicimus; & quantum ad *Moguntinum*, in eo tantum compellatus fuit quod in decimatione Ecclesiarum *Saxonicarum* & taxatione, *Henrico* aspiraret, ut habet *Baron.* ad An. 1073. Non ergo ullius tunc Simoniæ prætextu, (ut male loquitur *Lambertus*) *Gregorius* Episcopos *Germaniæ* incursavit, sed quod *Henrici* jus investituræ, Imperiique necessitudines ac privilegia propugnasset, ut supra ex *Platina* & *Mario* audivimus.

* *Accusabatur.*

31. Quantum vero ad oppositionem Legatis *Gregorii* demandatam: ne Synodum in *Germania* indicerent, quâ Clerum, Populumq; in Schismata distraherent, *Henricus* merito prævenit, determinavitq;. Et tamen (inquit *Baron.* ad Annum 1078. n. 5. *Hinc omnium malorum origo fuit,* licet alibi ex *Simonia Henrici* complicumq; exordiatur. Casus fuit iste. Petierunt Legati (inquit *Baron.* ad Annum 1074. n. 2. & 3.) a Rege *Henrico*, ut Synodum in *Germania* celebrarent. Allegavit *Liemarus* Archiepiscopus *Bremensis vices* Romani *Pontificis sibi, sicut &* Moguntino *Archiepiscopo in* Germania, *antiquis*

antiquis privilegiis esse concessas: Adeoq; Legatis fas non esse Synodum celebrare. Responderunt Legati; *Quod neq; Authoritas Canonica, neq; Mos Ecclesiasticus est, ut ultra obitum ejus qui dederat (Privilegia) Romani Pontificis Authoritas protendatur.* Quasi dicerent, Acta omnia, Decreta, & Privilegia Pontificum, cum ipsis Pontificibus expirare: quod tamen nullo jure comprobare poterant; & tamen *Liemarus* ille *pro inobedientia & rebellione ab Officio Sacerdotali suspensus erat*, ut ibidem *Baron.* Ubi vides *Liemarum* nullius Simoniæ reum, sed privilegium Sedis suæ juste propugnantem, a Legatis tamen & *Gregorio* propulsari; imo & deponi, ut undiquaq; sic cuniculos erueret, ac de *Henrico* se vindicaret.

32. *Gregorius* tandem cum ex censuris & excommunicationibus nihil proficeret, nec alium ex conatu, quam bella, seditiones, & scandala, effectum sortiretur, literis ad Regem *Hispaniæ* datis, de suis miseris sic queritur; *Portamus* (inquit apud *Baron.* ad Annum 1074. n. 62.) *non solum spiritualium ingens pondus negotiorum, ut casum nostrum quotidie ex imminenti sarcina formidemus; & nisi fidelium orationibus juvemur, nostrum, & quod majus est, Ecclesiæ periculum evitare non poterimus:* sed unde tibi Beatissime Pater pondus illud tam

grave negotiorum temporalium, quasi dictum non esset, *nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus?* Aut cur Ecclesiam tantorum mole gravaminum, temporaliumq; negotiatione periculis tantis exposueris?

Gregorius quidem errorem suum tandem expertus fuit; ideoq; morte jam imminente, ac conscientia stimulante, factorumq; suorum pœnitens, Deo omnipotenti, sanctis Apostolis *Petro* & *Paulo*, totiq; Ecclesiæ culpam agnovit; quodq; Sathanæ instinctu ad prædicta motus fuerit, palam confessus est, ut infra latius ex *Sigeberto*, *Florentio Vigornienſi*, illius ætatis testibus, *Vincentio* etiam *Beluacenſi*, *Mathæo Pariſ.* & *Cuſpiniano* demonstrabimus. Quo supposito, manifestum erit, (vel ipso *Gregorio* teste) censuras ac depositiones in *Henricum*, vel Episcopos latas ipso jure irritas fuisse? ideoq; ab ipso *Gregorio* jam moribundo retractatas; ac consequenter ex parte *Henrici*, Episcoporumq; *Germaniæ* jus stetisse; adeoq; prædicta sex Concilia, Canonica, Legitimaq; & non Schismatica fuisse.

33. Supereſt ut unicum *Baronij* argumentum enodemus. Contendit *Baronius* quibus potest viribus persuadere Pontificem *Gregorium* ab *Henrico* Imperatore prius impetitum, atq; ab Episcopis *Germaniæ*

in

in Concilio *Wormatiensi* prius abrenunciatum fuisse, quàm de excommunicatione vel depositione illorum *Gregorius* resolvisset; adeoq; *Gregorium* prius lacessitum, quam invasisset, cum non nisi post Concilium *Warmatiense*, excommunicaret, vel deponeret; sed dico ego sive prius, sive posterius excommunicaverit, vel deposuerit, nulliter tamen processisse, contraq; justitiam & innocentiam *Henrici* ac complicum (ut supra) peccasse. Dicam ergo quid fuerit. *Henricus*, quod *Mathildis* donationem retardaret; *Saxones*q; rebelles cohiberet; jureq; investituræ uteretur; Ecclesias *Saxonicas* ex necessitate communi decimaret; cum ministris suis quos *Gregorius* excommunicavit, participaret; Legatos Papæ ne Synodum in *Germania* cogerent, impediret; (quæ omnia licet de jure posset, necessitasq; temporis urgeret) *Romæ* tamen de Simonia, transgressione immunitatis Ecclesiasticæ, hæresi, *&c.* criminatus * fuit; ideoq; à *Gregorio Romam* citatus: ubi cum comparere, nec posset nec deberet, ob rationes superius allegatas, à *Gregorio* excommunicatur; simulq; de illius depositione consulitur. *Henricus* ergo quod jure suo uteretur, primo impetitus fuit; ideoq; cum ulteriora Pontificis molimina postea penetrasset, non tantum co-

* *Accusatus.*

gitantis, ſed & actu præparantis depoſitionem ſuam, atq; Imperij in alterum tranſlationem (ut infra ex literis *Henrici* ad *Annonem* Archiepiſcopum *Colonienſem* conſtabit) Concilium hinc *Wormatij* Anno 1075. pro Pentecoſte ſequenti celebrandum indixit: *Annon* interim moritur, Cæſarq; bellis *Saxonicis* diſtrahitur, ideoq; Concilium *Wormatienſe* ad Dominicam Septuageſimæ Anni ſequentis 1076. protrahitur, in quo Concilio *Gregorius* tanquam nulliter electus, Simoniacus, Hæreticus, *&c.* abrenunciatus fuit. Exacerbatus hinc *Gregorius*, Concilium *Romæ* Dominica ſecunda Quadrageſimæ ſequentis indixit, ibiq; *Henricum* depoſuit, Epiſcopos complices, pro Schiſmaticis denunciavit, cenſuravitque. *Henricus* igitur primò impetitus à *Gregorio* fuit, ideoq; Concilium *Wormatienſe* indixit. Et hoc eſt quod *Helmoldus* Epiſcopus *Strasburgenſis* teſtis rei ocularis, *Albertus Stadienſis*, *Leo Oſtienſis*, *Maſſonus* & *Marius* ſupra atteſtantur, initium omnis mali à *Gregorio* incepiſſe; *omne hoc conſpirationis malum ex fonte* Romanæ *perfidiæ manaſſe* inquit *Strasburgenſis* ſupra. Quod & expreſſe *Henricus* ipſe ante Concilium *Wormatienſe* Epiſt. ad *Annonem Colonienſem* (de qua *Baron.* ad Annum 1076. n. 16.) manifeſte atteſtatur, dicens;

34. Me

‘34. Me quoq; quem Deus in Regnum, non autem illum (*Gregorium*) vocavit ad Sacerdotium, qui me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, (quia ipse Regem me constituit) Regno privare studuit, minitans Regnum, animamq; mihi tollere; quorum neutrum concessit. (*Ante ergo Concilium* Wormatiense *volebat* Gregorius Henricum *exauthorasse.*) Hæc, & his similia cum sæpius in nostram (ut ipse nosti) contumeliam struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem nova exquisita confusionis genera nobis ingerit, ut in nostris Nuncijs noviter argumentum dedit. Nam charta exponere non sufficit qualiter eosdem nostros Nuncios tractaverit, quam indignis modis affecerit, quam crudeliter eos incarceravit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti, ac plagis contriverit; sicq; demum ad exemplum, per medium civitatis circumductos, omnibus spectaculum præbere jusserit, ita ut eundem cum *Decio* tyranno insanire, & sanctos assare credas, & dicas. Unde ne pigeat charissime, communi nostrûm, scilicet meæ, & Coepiscoporum tuorum petitioni satisfacere, ut in Pentecoste *Wormatiam* venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias princi-

 ‘pibus

'pibus, & quid agendum ſit, doceas, ro-
'gatus per dilectionem Coepiſcoporum,
'monitus per Eccleſiæ utilitatem, obliga-
'tus per vitæ noſtræ, & Regni totius ho-
'norem.

Ubi vides ante Concilium *Wormatienſe*, *Gregorium Henrico* arma, bellum, depoſitionem, Imperijq; in alterum tranſlationem minitaſſe; quod & expreſſe atteſtantur *Benno* Cardinalis, teſtis tunc coævus, & *Rainerus* in vita *Henrici*.

Ad hæc reſpondet *Baron.* Epiſtolam hanc ſuppoſititiam eſſe, cum *Annon* Colonienſis Anno *priori* vita defunctus fuerit, ut habent *Sigebertus*, & *Albertus Stadienſis*. 2. Quod Concilium *Wormatienſe* non pro Pentecoſte, ſed pro Septuageſima ſequenti indictum fuerit, ut *Lambertus* tradit. 3. Quod Imperator toto illo Anno 1075. bellis *Saxonicis* impeditus fuerit, ut veroſimile non ſit illum de Concilio aliquo tunc cogitaſſe, niſi devictis prius *Saxonibus*, quod in illo Pentecoſte non contigit. Ita *Baron.*

35. At pace doctiſſimi Cardinalis nihil horum nos commovet. Non primum; Quia ſi per *Annum priorem* intelligat 1074. aberrat *Baron.* quia *Annon Colon.* necdum mortuus fuit; nec *Sigebertus* vel *Stadienſ.* id tradunt: Si vero Annum 1075. convenimus, quia *Annon* hoc Anno, ſed ante Pente-

Pentecoſten pro Concilio *Wormatienſi* indictam, poſtque *Henrici* literas receptas, obijt; ideoq; ab mortem *Annonis*, belliq; *Saxonici* molem ut ſupra, Concilium ad Dominicam Septuageſimæ ſequentis Anni 1076. dilatum fuit. Atq; hinc ad ſecundum reſpondeo, Indictionem Concilij primam, pro Pentecoſte fuiſſe, ſed ob cauſas allegatas, ad Septuageſimam tranſlatam. Ad tertium dico, Imperatorem (vivente adhuc *Annone*) de Concilij *Wormatiæ* celebrando excogitaſſe, ſuperveniente tamen *Saxonica* rebellione, *Annoniſq;* morte, ad finem illius Anni diſtuliſſe, quod *Saxonibus* ſubjugatis, Concilium Anno ſequenti mox indixit.

36. At inquit *Baron.* ad Annum 1076. *Gregorius* omnem *Henrico* pacem obtulit, ſupplicans, præſtolanſq; ut ad cor rediret, Simoniamq; reformaret: quo non obſtante, *Henricus* in ſua contumacia perſiſtens, à *Gregorio* depoſitus fuit. Igitur (inquit *Baron.*) non *Gregorius*, ſed *Henricus* Schiſmatis author erat. Ego quidem *Baronium* ſupra modum veneror, non uſq; tamen adeo ut infallibilem eſſe credam; licetq; cum *Baronio* plures in eadem relatione concurrere non ignorem, omnes tamen unum *Lambertum* conſtituunt, ex quo ſolo tanquam fonte, ſua omnia depromunt, cuiq; nos ejuſdem ſæculi torrentem

tem opponimus, omnes pene *Germaniæ* Episcopos & Historicos qui depositionem *Henrici* ream peragunt, ut supra; culpamq; in *Gregorium* refundunt. Ut vero *Baronio*, vel *Lamberto* respondeamus, æquum erit ut alterutrum probent, vel quod *Gregorius* juste mandaverit *Henrico*, juri investituræ abrenunciare, (hæc enim illius Simonia fuit) vel non potuisse gravare Episcopos, Abbatesve ab eo investitos, aut Ecclesias *Saxonicas* de rebellione suspectas decimare; tuncq; vicerunt. Sin vero neutrum probaverint, causâ profecto ceciderunt. Dicant ergo quo jure usus investituræ, quâ Predecessores *Henrici* Orthodoxi à *Carolo* magno per 300. annos antea fungebantur, Pontificesq; omnes usq; ad *Gregorij* tempora admiserunt, *Henricum*, Simoniacum convicerint, nisi insimul & Predecessores omnes, etiam & Pontifices damnare velint? Aut quo jure mandari possit ne Imperator, dum de Imperij subversione ageretur, bellisq; contra rebelles implicaretur, potentiamq; ditissimorum Episcoporum & Abbatum suspectorum pertimesceret, non posset tanta necessitudine coactus Ecclesias gravare, Episcopos, Abbatesq; tales suspectos onerare, ut sic exhausto Potentum illorum ærario, securitati Imperij providere posset, insolentiamq; Cleri prædomi-

dominantis ſupprimere? Audiamus (ſi placeat) *Innocent.* IV. *Papa*, inquit, *obediendum eſt, niſi præcepto injuſto vehementer præſumeretur ſtatum Eccleſiæ turbari, vel etiam forte alia mala ventura eſſe: quia tunc peccat obediendo, cum debeat futura mala præcavere, non juvare.* Peccaret ergo tunc *Henricus* parendo Pontifici, hoc eſt, ſi juri inveſtituræ renunciaſſet; aut Eccleſias illas non gravaſſet, dum neceſſitas publica utrumq; cogeret, & exigeret.

37. Quod autem *Baron.* ad Annum 1076. doceat, *Gregorium* ante Annum 1076. ſeu ante literas illas pacificatorias, quibus *Henricum* ad pacem & unionem invitaverat, nullas *Henrico* cenſuras minaſſe; adeoq; *Henricum*, dum Concilium *Wormatienſe* indixiſſet, non fuiſſe in aliquo laceſſitum à *Gregorio*; conſequenter omnis mali initium *Henrico* aſcribendum eſſe. Dico, hæc nunquam à *Baronio* convincenda; imo contrarium ſupra, ex Epiſcopo *Strasburgenſi*, *Henrico* ipſo, *Bennone*, *Rainero*, *Maſſono*, *Leone Oſtienſi*, *Mario*, &c. evictum fuiſſe: Quorum ſententiæ & omnes tunc *Galliæ*, *Germaniæq;* Epiſcopi (ſi *Saxonas Gregorij* Compatriotas * exceperis) apud *Urſpergenſem* ad Annum 1075. ſubſcripſerunt; *Omnes* (inquit *Urſpergenſ.*) *una voce*

* *Notatum ſæpe.*

Gregorio

Gregorio objecerunt; *quod Eccleſia Dei tam gravi tempeſtate per abuſionem novitatum tuarum periclitatur.* *Gregorius* ergo novitates illas initiavit. Unde *Deſignatus Treverenſis* Epiſcopus, factorumq; teſtis, Epiſt. (ut videtur ad Concilium *Wormat.*) de quâ tom. 1. Conſtit. Imper. *Gregorium* criminavit*, *Quod unitatem Eccleſiæ ſcindat, quodq; inauditum eſt, Regnum, & Regem Catholicum deſtituere præſumat—Regem liberum & legitimum, & cum memoria nominis Regij extinguere meditetur.* Cui & *N. Verdunenſis* alter ejuſdem rei teſtis, ſuffragatur dicens; *Quis enim neſcit, ex hoc (Gregorij facto) quaſi fonte omnis diſſentionis, & capite omnis Schiſmatis, excluſa pace Eccleſiæ, diſcordiam totius mundi evaſiſſe.* Et tamen inquit *Baron. Henricum* ab initio non offendit *Gregorius*, nec Author Schiſmatis fuit.

* *Accuſavit, vel criminatus eſt.*

Sed videamus quid ipſe *Baronius* doceat ad Annum 1076. n. 5, 6, & 7; quo anno (inquit) *Gregorius* (ante Concilium *Wormat.* Septuageſima ſequenti coactum) literas ad *Henricum* 8. *Januarij* dedit, quibus fatetur ſe Synodum *Romæ* ante celebraſſe in quâ ſententiam Excommunicationis (ut ait *Platina*) in *Henricum* protulit, ideoq; *Henrico* jam mandat ut per Legatos

Legatos *Romam* mittendos reſponderet, ita *ut ſi ſalvo æterni honore, & ſine periculo animarum noſtrarum, promulgatam Sanctorum Patrum poſſe temperare ſententiam, eorum conſilijs condeſcenderemus.* Ergo ante Concilium *Wormat. Gregorius Henricum* ſententialiter laceſſivit (quod & *Cuſanus* inferius innuit) ideoq; Imperator de Concilio *Wormat.* excogitavit.

38. Reſpondet tamen *Gregorius, Nihil novi* ſe ſtatuiſſe, *ſed primam & unicam Eccleſiaſticæ diſciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam repetere, nec alium introitum Chriſti ovibus, eorumque Paſtoribus patere velle, niſi à Chriſto monſtratum.* Itane vero? Dic ergo Beatiſſime Pater, ubi in Chriſto, Patribus, aut primæva Sanctorum diſciplina, *Regulæ Breviores* tuæ, de quibus ſupra, legantur? ubi itidem Reges à Pontifice deponi poſſe, aut excommunicari niſi cum periculo Imperij Pontifici pareant? Hæc tamen ſtatuiſti, & feciſti; quod certe à Chriſto monſtratum non fuit.

39. Ex quibus concludo, depoſitionem & excommunicationem *Henrici* Imperatoris à *Gregorio*, nullam fuiſſe; quod & Cardinalis *Cuſanus*, l. 3. concord. c. 41. exponit dicens; *Non defuerunt Antiqui qui* Henricum IV. Baſileæ *coronatum per* Romanorum *Legatos ab excommunicatione* Gregorij

Gregorij *sive* Hildebrandi *defendebant, etiam Apostolicæ Sedis Cardinales pro tunc, & quoddam Concilium* Romæ *pro tunc celebratum; imo ipsa generalis* Basilienſis *Synodus tunc celebrata, illa egit eligendo* Honorium *Papam, propter quæ* Henricus *demum excommunicatus pronunciabatur.* Cauſa ergo *Henrici* à variis tunc Cardinalibus, etiam & à Concilio *Romano* purgata fuit, quos certe ſi Schiſmaticos exiſtimaſſet Cardinalis *Cuſanus*, non eos utiq; in arenam hanc adduxiſſet: Synodus etiam *Basilienſis* generalis, hoc ipſo *Henrici* cauſam confirmavit, quo ipſa pari ſe injecit actioni & exemplo; ut mirum ſit quomodo novelli quidam Theologaſtri, *Sadducæorumq;* principijs obſtinati, velint quaſi fidei articulum eſſe, Reges aliquando à Pontificibus exauthorari poſſe, illoſq; læſæ fidei reos haberi qui facta Pontificum quæcunq; aut ſaltem *Gregorij* adverſus *Henricum* impugnant. At Religio Catholica vijs iſtis non defenſatur, adulationibus non increſcit, mendacijs non ſtabilitur, ſimplex eſt, veritate fovetur, antiquitate regitur & ſuſtinetur.

Quod autem *Baronius* miretur Concilia *Germaniæ*, non tantum *Henrico* adſtitiſſe, ſed etiam & *Gregorio* (jam poſſeſſione (ut ait) pacifica adepta) renunciaſſe, mirandum profecto non eſt; quia ſi cauſa *Hen-*

rici

rici legalis fuerit (qualem illam hactenus fuisse demonstravimus) *Gregorius* ab Episcopis *Galliæ*, *Germaniæq;* nunquam adscitus, imo semper ab exordio electionis exclusus, & impugnatus, rebelliumq; fautor habitus, Imperij hostis, pacisq; communis turbator; adeoq; interim donec in Concilio generali legitimo, quæstio facti & juris utrinq; decideretur, non erat mirandum, si *Gregorio*, cujus possessio pacifica non fuit, Episcopi illi abrenunciassent.

Quod autem *Henricus* jus investituræ suæ (pro quo in tantum cum *Gregorio* concertatum fuit) *Calisto* postea *Gregorij* Successori remiserit, causa fuit, non ullius conscientiæ stimulus vel remorsus; sed utriusq; partis conventio, ut *Cæsare* juri investituræ cedente, Pontifex Civitates quasdam Imperiales, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus Imperio ante ablatos, denuò restitueret; ut patet ex Constitutionib. *Henrici* Anno 1110. inter Constit. *Henrici*, tom. 1. licèt tamen redditio sic promissa, postea gesta non fuerit.

Hæc sunt quæ *Baronius* objicit, quibus & (ni fallor) abunde satisfecimus. Cum itaq; justitiam *Henrici* & innocentiam sufficienter vindicaverimus, clarum erit partes *Henrici* Schismatis criminari *

* *Accusari.*

non

non posse, nec censuram ullam, vel infamiæ sententiam incurrisse; adeoq; Concilia *Germanica*, non Schismatica, sed legitima, & Canonica censenda; quod & primò assumptum fuit: Aut certè in quantum legitima non essent, intento tamen nostro satis aliunde provisum esse.

Rursus

Rursus

Eundem lege Cap. x. *ejusdem* Partis II. *ubi nimirum Historicos magno numero, & pro quatuor suis propositionibus, contra* Lovanienses *citans, interque alios, ad propositum nostrum sequentes, in hunc modum procedit.*

1. BENNO Cardinalis de vita & gestis *Hildebrandi*, ubi & illius Decretum 15. q. 6. c. *Nos sanctorum*, quo scilicet Potestatem Pontificis in Regum Coronas ac Regalia prætendit, in medium adducit, dicens; *Hoc est Decretum* Hildebrandi, *in quo à Doctrina, & Fide Catholica aberravit.* Si dixeris *Bennonem* hunc schismaticum fuisse, quia ex parte *Henrici* adversus *Gregorium* stetit. Dicas & consequenter *Germaniam* pariter universam, *Galliam*, *Italiæ* partem maximam, adeoq; & Principes, Episcopos, Concilia, Provincias, Clerum, Populumq;

Europæ (ac consequenter Ecclesiæ partem potiorem) qui *Henrico* adstiterunt, *Frederico*, *Philippo*, &c. schismaticos fuisse; Atq; ita usq; ad *Baronii* vel *Bellarmini* tempora Ecclesiam in schismate, tenebrisq; ambulasse.

Anonymus in vita *Henrici* IV. ubi de fuga *Rodulphi* ac *Henrici* reditu sic habet; *Sed ad ultimum* (Henricus) *reversus, tam notanda, quam felici victoria vicit; magnumq; mundo documentum datum est, ut nemo contra Dominum suum consurgat; nam abscisâ* Rodulphi *dextrâ, dignissimam perjurij vindictam demonstravit, qui fidem Domino suo Regi juratam violare non timuit; & tanquam vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam hujus membri pœna, ut per pœnam agnosceretur & culpa.* Ubi vides Depositionem *Henrici* à *Gregorio* attentatam, atq; à *Rodulpho* ex *Gregorij* instinctu prosecutam, veram rebellionem fuisse, atq; ideo à Deo punitam.

2. *Sigebertus* ad Annum 1285: de ultima *Gregorij* VII. pœnitentia & retractatione sic habet; *Hildebrandus* Papa qui & *Gregorius* VII. apud Salerum *exulans moritur; de hoc ita scriptum reperi: vulumus vos scire qui Ecclesiasticæ curæ solliciti estis, quod Dominus Apostolicus* Hildebrandus, *qui &* Gregorius, *nunc in extremis positus ad se vocavit unum de* 12. *Cardinalibus quem mul-*

multum diligebat præ cæteris, & confessus est Deo, & sancto Petro, *& toti Ecclesiæ, se valde peccasse in pastorali cura quæ ei ad regendum commissa erat, & suadente diabolo, contra humanum genus iram & odium concitasse. Tunc demum misit prædictum Confessarium ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, ut optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ suæ aspiciebat; & tam cito induebat se angelica veste, ac dimisit, ac dissolvit vincula omnium Bannorum suorum Imperatori, & omni populo Christiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis; & jussit suos abire de domo* Deoderici, *& amicos Imperatoris ascendere.* En *Gregorii* retractationem; deq; præteritis pœnitentiam & exhomologesim.

3. Respondet *Bellarm. Sigebertum*, sectatorem *Henrici* fuisse, ideoq; suspectum, fideq; hic indignum. Retorqueo. Igitur nec *Marianus Scotus*, *Lambertus*, alteruter *Anselmus*, nec *Geberhardus*, *Stephanus Alberstatensis*, *Bertholdus*, vel alius quisquam ex ijs qui *Gregorio* addictissimi erant, & *Henrico* infensissimi, fidem ullam in hac controversia merentur, & sic neutri patri deferemus.

At inquit *Bellarm. Sigebertus* in hoc specialiter suspectus fuit, quod authorem istius suæ relationis non producat; nos vero (inquit *Bellarm.*) *Othonem Frisingensem* authorem fide dignissimum adducimus,

qui l. 6. c. 36. refert, *Gregorium* paulo ante mortem protestatum fuisse, se pro justitia in exilio mori; *Dilexi*, inquit, *justitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Et ita *Otho Frisingensis* dum pro *Gregorio* loquitur, Bellarmino *fide dignissimus* est; sed dum *Gregorio* adversatur (ut infra) suspectus condemnabitur. *Sigebertum* porro vera scripsisse, inde 1. convinco, quod nulla sit apparentia, Relationem illam eodem ipso *Gregorij* ævo scriptam, atq; in re tam ardua & publica, quæ mundum latere non potuit, (qualis erat retractatio *Gregorij*, pœnitentia, censurarumq; revocatio, quæ caput rei erant) figmentum esse, & tamen à nemine tunc exploratam vel impugnatam; imo ab omnibus illius ævi scriptoribus absq; contradictione, admissam. 2. *Sigebertus* inde *Bellar.* suspectus, quia authorem suæ relationis non producit; *Ita* inquit, *scriptum reperi.* Igitur & *Otho* suspectus erit, cujus de *Gregorio* moriente verba sunt hæc; *dixisse fertur, Dilexi justitiam,* &c. Imo magis suspectus *Otho*, in solo utpote rumore fundatus, quam *Sigebertus*, qui scriptum Authoris licet *Anonymi* producit. Sed quid istis immoror? cum neq; *Otho*, neq; *Sigebertus* ullatenus sibi contrarientur, *si enim tempora distinxeris, Scripturas reconciliabis.* *Otho* de Gregorio ait, *Appropinquante morte dixisse*

dixisse fertur, dilexi justitiam, &c. *Sigebertus* autem de eodem sic; *In extremis positus ad se vocavit*, ut supra. Et ita utrumq; potuit esse verum. Aliter enim in extremis tangitur conscientia, aliter in initio, vel etiam progressu morbi; & ita in initio morbi vel progressu potuit *Gregorius* cum *Othone* loqui; in extremis autem cum *Sigeberto*; & ita magnum Chron. *Belgiæ* contigisse refert ad Annum 1084.

4. At contra, ex *Bertholdo Bellarminus* objicit dicens, *Gregorium* pro defensione justitiæ *ad mortem usq; constantissime pugnasse*. Respondeo; *Bertholdum*, quamvis partialissimum, intelligi tamen sic posse, ut per *ad mortem usq;* velit, *ad extremum usq; mortis*; postea in ipso extremo, quo scilicet certo se moribundum noverat, peccatum agnovisse, ac pœnitentiam demonstrasse. Vel *pro justitia*, hoc est, pro jure investituræ, ac cælibatu Clericorum ad ipsam usq; mortem continuo concertasse; etsi justitiam censurarum vel Depositionis Imperatoris, Episcoporumq; in fine retractasset. Interim tamen mirari non possum, cur *Leo Ostiensis* l. 3. c. 64. mortem *Gregorij* latissime describens, nihil tamen de tali illius innocentia, vel ad mortem usq; constantia, scriptum nobis reliquerit.

At inquit *Bellar.* si *Gregorius* peccatum suum sic agnoverit, ita ut in genus huma-

num (ſuadente Diabolo) odium & iram concitaverit, cur tunc moribundus veſte angelica ſe induerit, cùm veſtes potius lugubres peccatorem & pœnitentem decerent? Reſpondeo *Gregorium* ſine dubio peccatorem ſe, pœnitentemq; in articulo mortis agnoviſſe, alioquin Chriſtianus verus non eſſet. Et tunc quæro, cur veſtem angelicam induerit? Mihi profecto probabilius videtur cauſam hanc fuiſſe; quod jam pacem omnibus obtulerit, pacemq; petierit; ideoq; conſcientiâ jam ſerenatâ, veſtem pacis ac lætitiæ induiſſe.

Quidquid horum ſit, non *Sigebertus* ſolus, ſed & ante illum Cardinalis *Benno* eadem pene verbatim refert; *Hildebrandus*, inquit, *in extremis ſuis vocavit ad ſe unum de Cardinalibus duodecem*, &c. ut habet *Sigebertus*. Deinde & *Florentius Wigorienſis Sigeberto* coævus, qui poſtquam eadem penè cum *Sigeberto*, verba retuliſſet, *teſtem* Moguntinum *Archiepiſcopum* adducit; Et ita *Bellarminus* certos jam ac determinatos authores habet. Sed & poſt *Sigebertum* ac *Florentium*, *Vincentius Bellouacenſis Baronio* ac *Bellarmino* longe ſenior, *Sigeberto* ſubſcripſit; ſimiliter & *Matthæus Pariſ.* in *Gulielm.* I. dicens; *Eodem anno* Gregorius *Papa, qui &* Hildebrandus, *apud* Salernum *moritur, & moriens, Cardinalibus*

nalibus advocatis, confessus est se valde peccasse, &c. ut apud *Sigebertum* supra.

5. Deinde *Cuspinianus* in *Henricum* IV. *Invenio*, inquit, *in vetustissimis Annalibus* Hildebrandum *Monachum qui septimus* Gregorius *dictus est, dum moreretur, plurimum, quod* Henricum *Imperatorem molestasset, doluisse; atq; ob id ante obitum suum eum absolvisse.* En vetustissimorum Annalium testimonia? si itaq; *Henricum* tunc absolverit, quo fundamento velit *Bellarminus* sententiam *Gregorij* (ab ipso licet *Gregorio* revocatam) postea tamen à Successoribus illius, *Victore, Urbano, Paschali, Gelasio,* & *Calixto,* confirmatam, renovatamq; fuisse? Relatio ergo *Sigeberti* fundata est; adeoq; sententia *Gregorij* omni ex parte revocata & nulla; nec mirum cum undiquaq; fuerit injusta tam ex animo, ordine, & causa. Ex animo, quia inordinato compatriotarum * *Saxonum* zelo, ac patrimonij temporalis *Romani* amplificandi affectu prolata; nulloq; ordinis jure servato; quia contra Principem absentem nec auditum, nec convictum pronunciata; & absq; legitima causa lata, ut supra demonstravimus; ac consequenter undiquaq; nulla. Porro, ut ad *Sigebertum* denuo redeamus;

* *Hoc alibi sæpius notatum.*

Idem *Sigebertus* Epist. ad *Hermannum Metensem* Episcopum (de qua &. *Possevinus* in Apparatu) ita in Chronograph. ad Annum 1088. factum ac processum *Hildebrandi* adversus *Henricum* IV. describit; *Nimirum, ut pace omnium bonorum dixerim, haec sola novitas, ne dicam haeresis, necdum in mundo emerserat, ut Sacerdotes illius qui dixerat Regi, Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, doceant populum quod malis Regibus nullam debeant subjectionem; & licet ei Sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem; nec perjuri dicantur qui contra Regem senserint; imo qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur, & contra Regem fecerit, à noxa injustitiae, & perjurij absolvatur.* (Audiant *Lavonienses.*) Igitur ex mente *Sigeberti, Hildebrandus* haereticus fuit; & quotquot *Henrico* tunc restiterunt, perjuri erant. Episcopi vero, & qui *Henrico* adhaeserunt per *Gregorium* hoc ipso excommunicabantur; rebelles vero ab omni noxa absolvebantur. Et hinc *Gregorij* processus plane nullus erat. Deinde ex mente *Sigeberti*, Regibus etiam malis & hypocritis, adeoq; & haereticis, jure divino, sicut & bonis obediendum erat; quod *Perron.* non satis advertit.

Vincentius Bellouacensis, Spec. Histor. l. 26. c. 84. eadem cum *Sigeberto* verba omnia repetit, confirmatq;. De-

Deinde *Otho* Episcopus *Frisingensis* (Author *Bellarmino* fide dignissimus) l. 7. Histor. in Prol. *Videntur* (inquit) *tamen Sacerdotes culpandi per omnia, qui Regnum suo gladio quem ipsi de Regum habent gratia, ferire conantur.* Ergo & qui Reges deponere attentant, armisve impetere.

Idem, Ep. ad *Fridericum* Enobarbam; *Soli*, inquit, *Reges, utpote constituti supra Leges, divino examini reservati, sæculi Legibus non cohibentur; unde est illud tam Regis quam Prophetæ, Tibi soli peccavi.* Ergo a Deo solo puniri possunt. Unde mox addit; *Cum enim juxta Apostolum, omni mortali horrendum sit incidere in manus Dei viventis; Regibus tamen qui nullum præter ipsum supra se habent quem metuant, eo erit horribilius, quo ipsi cæteris peccare possunt liberius.*

Respondet *Bellarm. Othonem* hoc tantum velle; Reges scilicet non subesse Legibus sæculi, etsi Lege Ecclesiastica exauthorari possint. Quid? Lege sæculari seu temporali, quæ vitam temporalem dirigit, deponi seu puniri temporaliter non possunt Reges; & tamen Lege spirituali quæ vitam temporalem non dirigit sed spiritualem, puniri temporaliter seu deponi poterunt? Certe qui Legi temporali non subest, nec etiam pœnæ temporali, vel peccato civili subjicitur: ubi vero peccatum

catum civile non est, nec erit pœna civilis. Et hinc Sacerdotus arguit, l. 7, supra, quia Regnum temporale *ferire conantur*. Unde ad Annum 1150. l. 6. c. 3. dum *Greg.* IX. *Freder.* II. Imperatorem prætextu hæresis deponeret; *Vide*, inquit, *jam Regno decrescente, Ecclesiam tantæ authoritatis, ut etiam Reges judicet.*

7. Ut vero mentem suam apertius prodat, audi quid de *Gregorio* VII. in causa *Henrici* IV. scribit, c. 35. de *Henrico* differens; *Lego*, inquit, *& relego* Romanorum *Regum & Imperatorum gesta, & nunquam invenio quenquam illorum ante hunc* (Henricum) *à* Romano *Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum, nisi forte quis pro Anathemate habendum ducat, quod* Philippus *ad breve tempus inter pœnitentes collocatus*; *&* Theodosius *à Beato* Ambrosio *propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.* Agit ergo *Otho* de excommunicatione majori, quæ scilicet Regem jure aliquo civili, hoc est Regno, fidelitate, obedientia, vel communione Subditorum civili privet; & non de excommunicatione mere spirituali, quæ scilicet excommunicato communionem Sacramentorum, vel ingressum Ecclesiæ inhibeat.

At inquit *Bellarm. Otho hic errat*; quia *Arcadium Innocentius* I. excommunicavit, dum

dum *Chryſoſtomum* ejiceret; ut refert *Niceph.* l. 13. c. 34. cujus & excommunicationis meminit *Gregorius* VII. Ep. ad Epiſcopum *Metenſem.* Sed dic *Bellarmine!* Quomodo *Otho vir fide digniſſimus* hic aberret, & non alibi? dum *Gregorio* favet, omni exceptione major eſt; dum *Henrico*, errat. Sed qua *Bellarmine* excommunicatione excommunicatus fuerit *Arcadius?* An mere ſpirituali? & talis non eſt ad rem. An mixta ut ſupra? & toto tunc cœlo *Bellarminus* aberrat. Certe *Onuphrius* in vita *Gregorij* VII. expreſſe tradit totam illam *Nicephori* de *Arcadij* excommunicatione, ſicut & de *Anaſtaſij*, & *Leonis* Imperatorum, relationem, *fabulam eſſe*; nec mirum, cum nullius talis hiſtoriæ meminêre *Socrates*, *Sozomenus*, vel *Theodoretus*, qui ſæculo eodem ſcripſerunt; Et tamen *Nicephoro*, mille fere annis *Socrate* juniori, homini *Græco*, & fide *Græca* ſcribenti, de ijs quæ in Eccleſia *Rom.* contigerint, fides potius abhibenda, quam ijs qui eodem ſæculo *Arcadij* & *Innocentij* acta tradiderunt. Imo vero mentitur hic ſplendidè *Nicephorus* dicens, *Chryſoſtomum* ante *Eudoxiam* mortuum fuiſſe; cum certum ſit *Chryſoſtomum* tribus annis *Eudoxiæ* ſupervixiſſe.

8. Porro ut veritas ipſa appareat, hoc eſt, *Arcadium* ab *Innocentio* excommunicatum

catum excommunicatione illa majori civili seu mixta non fuisse, sed tantum à communione Sacramentorum, ingressuq; Ecclesiæ excluſum, patet ex *Innocentij* verbis; *Ego*, inquit, *segrego, & rejicio te & illam* (Arcadium & Eudoxiam) *à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri.* In fine vero Bullæ dum *Theophilum* excommunicat, sic fatur; *Ad* Thephili *abrogationem, excommunicationem, Anathematismum, & absolutam à Christianismo alienationem pronuncio.* Excommunicatio ergo *Arcadij*, vel *Theodosij*, à communione tantum Sacramentorum spirituali illos excluſit.

At inquit *Bellarminus*; *Leo Isaurus* excommunicatus à *Gregorio* II. ob hæresem *Iconoclasticam*, vectigalibus etiam *Italiæ* privatus fuit; quod nec *Othonem* latere potuit. Resp. non vectigalibus, sed Sacramentis à *Gregorio* excluſum esse, etsi suasione forte *Gregorij Italiam* ab illius Imperio recessisse, gratis admiserimus; sed de hoc latius infra. Maneat interea ratum confirmatumq; quod *Otho* tradit, ante *Gregorium* VII. neminem unquam Pontificum *Rom.* Regem ullum Regno exuisse, aut à communione Subditorum civili segregasse.

9. Quid vero *Otho* de excommunicatione, vel depositione *Gregorij* VII. senserit, supra

ſupra patet, c. 34. & 35. *Excommunicatur* (inquit *Otho*) Henricus *à* Gregorio, *cui nimirum excommunicationi rebellio cauſam dedit.* Et iterum; *Saxonibus*, inquit, *rebellionem machinantibus, conſpirationes fiunt, detractiones in Principem*, &c. Ex rebellione ergo excommunicationes illæ ac depoſitiones *Gregorij* natæ, ideoq; non niſi malum effectum (inquit *Otho*, c. 36.) ſortiebantur, *bella, bellorumq; diſcrimina. Quoties*, inquit, *miſera* Roma *obſeſſa, capta, veſtata, quod Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit, tædet memorare. Denique tot mala, tot Schiſmata, tot tam animarum quam corporum pericula hujus tempeſtatis turbo involvit, ut ſolus ex perſecutionis immunitate, ac temporis diuturnitate ad humanæ miſeriæ infœlicitatem ſufficeret approbandam.* Et tamen inquit *Bellarm.* vix ulla detrimenta ex illa depoſitione *Henrici* inſequebantur. Quid? An non detrimentum ſupremum, maximumq;, Papam in Papam inſurrexiſſe? Papam in *Cæſarem*, & è converſo; Subditos in Principem; Epiſcopos in Pontificem; Clericos in Clericos, Laicos in Laicos, filium in patrem, ac tandem univerſam Eccleſiam Schiſmate commoveri? Et hæc omnia, inquit *Otho*, ex rebellione, cui *Gregorius* favit, naſcebantur.

10. Reſpon-

10. Respondet *Bellarm.* dici improprie rebellionem, hoc est, rebellionem *de facto*, & non *de jure*; quia (inquit) *Henricus* de facto tantum regnavit postquam à *Gregorio* deponeretur, & non de jure: Sic *Ezechias* dicitur *rebellasse* contra Regem *Assyriorum*, 4. Reg. 18. & *Jehu* contra *Joram*, 4. Reg. 9. quæ tamen de jure rebellio vel conjuratio non fuit. At aberrat hic longe *Bellarm.* 1. Quia nec *Ezechias*, nec *Jehu*, Subditi unquam erant *Joræ*, vel Regis *Assyriorum*, sicut Saxones *Henrici*. 2. Quia rebellio illa *Saxonum* depositionem *Henrici* antecessit; ut habet *Otho*, l. 6. c. 34. Formalis ergo rebellio & de *jure* fuit.

At inquit *Bellarm.* Si ita fuerit, quomodo *Gregorium* VII. laudet *Otho*, l. 6. c. 34? *Forma*, inquit, *gregis factus, fortis per omnia athleta, murum se pro domo Domini ponere non timuit.* Respondeo, *Gregorium* hic laudari, sed non in eo quod *Henricum* excommunicaverit, deposueritq; sed in eo quod Sacerdotes incontinentes tanquam zelosus Pastor reformaret, licèt aliquando præter discretionem pro domo Domini concertasset; quod & palam ex ipso *Othone* patet, l. 1. de gestis *Frederici* Imp. c. 8. ubi de *Bertolpho* differens, (qui nimirum Pseudo-Regis *Rodulphi* dono Ducatum *Suviæ* post depositionem *Henrici* accepit)

pit) juſte tamen ab *Henrico*, Ducatu poſtea privatum fuiſſe, terramq; illam *Frederico* donatam; Bertolphus, inquit, *Imperio ſimul ac juſtitiæ ceſſit*: Cenſuit ergo *Otho* (vir fide digniſſimus) *Bertolphi* jus nullum fuiſſe, conſequenter & *Rodulphi*; adeoq; inſtitutionem *Rodulphi* à *Gregorio* invalidam eſſe, ac per conſequens *Henrici* deſtitutionem, nullam.

11. *Mathæus Weſtmonaſterienſis*, l. 2. de Coronat. *Gulielmi* Conqueſtor. p. 9. poſtquam depoſitionem *Henrici* à *Gregorio* VII. retuliſſet, ſubjungit; *Eodem anno* 1084. *Romani* Henricum *Imperatorem receperunt, & à Papatu eorum judicio abdicatur* Hildebrandus, *&* Wibertus Ravennenſis *Urbis Epiſcopus in Sedem Apoſtolicam intronizatur, &* Clemens *nominatur, ac juſtè omnes* Hildebrandum *fuiſſe depoſitum conclamant tanquam læſæ Majeſtatis reum, qui contra Imperatorem* Henricum *alium ordinavit.* Omnes ergo Romani *Gregorium* tunc rebellionis accuſarunt.

Albertus Stadienſis in Chron. Anni 1240. refert Principes *Germaniæ Gregorio* IX. ſollicitanti alterius Imperatoris electionem novam, ſic reſcripſiſſe; *Non eſſe ſui juris Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum à Principibus coronare.*

Matthæus Pariſ. in *Henricum* III. Anno 1237. in Ep. Germ. de Schiſmate *Gregorij*

rij VII. differens ait; *Divisio nostræ unitatis processit à tyrannide vestræ oppressionis & exactionum* Romanæ *Ecclesiæ, quæ de matre facta nouerca, suos quos diu educaverat, more rapacis volucris pullos expellentis, filios elongavit.* Authore ergo *Matth. Pariſ.* Pontifex, quod Temporalibus, Regumq; depoſitionibus ſe nimis implicaret, Schiſmati viam paravit. Nec aliud *Alex. Cæmentarius* (de quo in claſſe Theologorum ſuprà) docuit vel affirmavit.

Hinc *Roffenſis*, l. 2. de Poteſtate Papæ, c. 9. p. 349. ait; *Principes Chriſtiani nunquam ab Eccleſia* Romana *defeciſſent, ſi jugum hoc Poteſtatis temporalis aliter excutere potuiſſent.* Cauſa ergo defectionis Principum Catholicorum ab Eccleſia fuit, quod Pontifices *Romani* Temporalibus nimis ſe intromiſcerent.

12. *Dodechinus* in Append. *Marian.* ad Annum 1106. de eodem ſubjecto; *In tantum*, inquit, *crevit hoc malum* (Gregorij) *ut Apoſtolica cenſura pro nihilo haberetur.* Et tamen inquit *Bellarm.* exiguum malum ex hoc Schiſmate exortum fuit.

Dantes Aligherius de Monarchia, l. 3. ubi fusè & clarè probat Imperium non à Pontifice, ſed immediatè à Deo naſci: Deinde in Reſponſ. ad Argumenta, ſupponens ſignum illud univerſale, *Quodcunq; ſolveris ſuper terram*, &c. non extendere ſe

se ultra habitum termini distributi, hoc est, ultra forum spirituale, subjungit; *Ideo dico, quod etsi Successor Petri secundum exigentiam officii commissi Petro, posset solvere & ligare, non tamen propter hoc sequitur quod posset solvere vel ligare Decreta Imperij, sive Leges, ut ipsi dicebant, nisi ulterius probaretur hoc spectare ad officium Clavium, cujus contrarium inferius ostenditur.*

Iterum; *Quidquid solveris, &c. id est, peccata, non Leges Imperij; alias solvere posset Pontifex conjugia; adeoq; omnes contractus humanos; posset etiam solvere non pœnitentes, quod ipse Deus non potest.* Non potest igitur Pontifex ex illis verbis Christi, aliter quam à peccatis solvere; non ergo in Civilibus dispensare.

Deinde de duobus gladijs differens ait, juxta Adversarios per duos gladios intelligi duo regimina, spirituale & temporale *Petro* concessa, *quod*, inquit, *omnino negandum est.* Cumq; objiciatur *Saulem* à *Samuele* depositum fuisse, Respondet, quod *Samuel, non ut Vicarius Dei, sed ut Legatus specialis, sive Nuncius portans mandatum Domini expressum, hoc fecit.*

Unde contra Adversarios sic argumentatur; *Quod est contra naturam alicujus, non est de numero suarum virtutum, cum virtutes uniuscujusq; rei consequantur naturam ejus propter finis adeptionem: Sed virtus ex-*

 authori-

authorizandi Regnum noſtræ mortalitatis eſt contra naturam Eccleſiæ (hoc eſt, viventium, juxta dicta, factaq; Chriſti, ut ibidem ipſe exponit): *Ergo non eſt de numero virtutum ſuarum.* Non ergo Poeta (ut vult *Bellarm.*) fuit *Aligherius*, ſed & inſignis Theologus ac Philoſophus.

13. *Helmoldus* in Chron. *Sclavonico*, c. 33. de factis *Gregorij* VII. & *Henrici* IV. *Diſputaverint*, inquit, *de his qui ſciverint, vel auſi fuerint; unum hoc ſcire licet, quia* Rom. *Sedes adhuc hodie luit factum illud*, ſcilicet depoſitionis *Henrici*.

14. *Joannes Aventinus* in Annal. *Boiorum*, l.v. (ſolam veritatem coram Deo proteſtans) *Sanctiſſimi Patres, quemadmodum Chriſtus Dominus & Deus noſter, Comites & Legati ejus fecerunt, & alios docuerunt*, Cæſares *in terris à Deo ſecundos, ante omnes mortales primos, à ſupremo Numine datos, divinitus conſtitutos, ab immortali Deo electos, & (ut illi vocant) coronatos, venerabantur; Dominoſq; ſuos vocare ſolebant; iiſdem tributum, & cenſum non denegabant; pro eorum ſalute comprecabantur: imperata detrectantes, tanquam cœleſti Provinciæ reſiſtentes, videri contra pietatem Chriſtianam feciſſe decernebant: Grande nomen eſſe Imperatoris, à Deoq; tradi prædicabant:* (Audiant *Lovanienſes.*) *Reipub. turbellis, nedum armis, ut milites Chriſti ſe non immiſcebant: Paupertate & modeſtia cum cæteris Chriſti-*

Christianis decertabant; quo quisq; submissius se gereret, hoc majorem esse sentiebant: Ensem ancipitem, gladium duplicem Christianæ Civitati datum ad servandum, vivificandumq;, non occidendum, esse putabant; eundemq; spiritualem appellabant, qui est Sermo Dei, vita & lux hominum, & mortuos ad vitam revocat, ex hominibus Deos, ex mortalibus æternos facit: tantum abfuit, ut illi vel Regum quempiam, vel impium, vel Arianum Regno pellere, eidem Sacrificijs interdicere, populum Sacramento solvere tentarent, aut Regna evertere, sanguine humano se polluere, pro Principatu cum Christianis decertare sibi permittant.

Et infra; Hildebrandus *has ob causas ambitione in præceps abivit, cum Potestatem immortalis Dei, cujus Nuncius duntaxat est, sibi usurpavit.*

15. *Joannes Cuspinianus* in *Henrico* IV. *Sed is filius* Henricus *Rex suasu* Theobaldi, &c. *contra jus fasq; rebellionem in Patrem molitur, prætextu Religionis, quod Anathemate nondum esset liberatus Genitor suus. O iniqua soboles quæ cupidstate regnandi, eum per quem vitam accepit, & Regiam dignitatem odio prosequitur & ferro! cum tamen nusquam legatur* Cæsarem *à Pontifice, qui ejus beneficentia auctus, locupletatus, ac confirmatus est, ita esse diris devotum, à quo sibi olim Potestas fuit concredita, & concessa:*

Sed id Deo discernendum relinquamus, qui cordium est scrutator.

Joannes Trithemius, Chron. *Hirsaug.* ad An. 1106. *Ipse autem* Henricus *primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus: Scholastici certant, & adhuc sub Judice lis est, utrum Papa Imperatorem posset deponere.* Et tamen vixit *Trithemius* post Concilium *Lateran.* in quo Adversarij volunt oppositam sententiam de fide definitam fuisse.

16. *Onuphrius Panvinius* in vita *Greg.* VII. edita per *Gretserum*: *Nam etsi ante* Romani *Pontifices tanquam Religionis Christianæ capita, Christiq; Vicarij, &* Petri *Successores colerentur; non tamen eorum authoritas ultrà protendebatur, quam in fidei dogmatibus ultro asserendis, vel tuendis; cæterum Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia fiebant, ab ijs creabantur. De ijs judicare, vel quicquam decernere non audebat Papa* Romanus. *Primus omnium* Romanorum *Pontificum* Gregorius VII. *armis* Nortmannorum *fretus, opibus Comitissæ* Matildis, *mulieris per* Italiam *potentissimæ confisus, discordiaq;* Germanorum *Principum bello civili laborantium inflammatus, præter Majorum morem, contempta Imperatoris Authoritate & Potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset,* Cæsarem *ipsum à quo, si non electus, saltem confirmatus fuerat,*

non

non dico excommunicare, ſed etiam Regno, Imperioq; privare auſus eſt; Res ante ea ſæcula inaudita; nam fabulas quæ de Arcadio, Anaſtaſio, *&* Leone Iconomacho *circumferuntur, nihil moror.*

Denique

Part. v. In qua rationes Adverſariorum & Argumenta, quibus Reges a Pontificibus aliquando exauthorari poſſe contendunt, examinantur. *Hujus enim* Partis V. caput 1. *hoc lemma habet:* De Gregorio VII. *atq; adeò totum de eo ſolo eſt, in hæc ipſa verba quæ jam ſequuntur.*

1. JAM ſæculum undecimum erat, cum hæc Quæſtio in Eccleſia agitaretur, inciperentq; nova Ar- Formoſus *An. Chriſti* 891. *factus eſt Pontifex. Anno poſtea Septimo, id eſt Chriſti* 897. Stephanus VII. *invaſit tiruitque Sedem ad quatuor alios annos. Dein poſt alios Intermedios Pontifices, invaſit Papatum* Sergius III. *anno* 908. *defunctus poſt biennium, ſeu anno Chriſti* 910. *Itaque ſi incipias hoc* Sæculum barbarum *Authoris, ab invaſione prædicti uſurpatoris peſſimi* Stephani VII. *reperientur*

vientur eodem ſæculo, id eſt Centenario, inſignes iſti Formoſus, Stephanus, *&* Sergius *cum* Hildebrando, *ſeu* Gregorio VII. *Pontificatum Romanum tenuiſſe.*

Factiones Guelphorum *&* Gibellinorum, *quod diſtincta & appropriata ipſis hæc nomina, diu poſt* Gregorium VII. *nec ante Annum Domini* 1193. *exorta ſunt. De quibus vide* Spondanum, *Continuat.* Baronij, Tom. 1. *ad An. Chriſti* 1228. num. 4. *Si autem non de nominibus, ſed rebus quæritur: haud dubium eſt, ſub eodem* Gregorio VII. *primum ortas; quarum una Papalinorum erat, altera Imperialiſtarum.*

Neutiquam de Gregorio VII. *&* Henrico III. *ſed de* Alexandro III. *Papa, &* Friderico I. *Imperatore cognomento* Ænobarbo, *quæ hic leguntur, ſeu vera, ſeu falſa, ab Hiſtoricis commemorata ſunt. Vide* Spondanum Epitomes Part. ultera, *ad An. Chriſti* 1177. *ubi fatetur* num. xi. *narrationem haberi, velut alteram, in Codice* Beſſarionis; *immò & quædam alia Monimenta eidem favere.*

gumenta confingi, quibus Pontifici Romano liceret, Reges exauthorare. Sæculum plane barbarum, & ſchiſmaticum; Pontificibus non modo Reges, ſed & ſe ipſos, mutuis execrationibus, depoſitionibus, cenſurisque impugnantibus, ut de *Stephano* liquet, *Theodoro*, & *Sergio*, Pontificibus, qui *Formoſum* Pontificem, jam licet mortuum, ſepultumque, non excommunicarunt modo, ſed & in *Tyberim* dejecerunt. Sic *Joannes* 12. omnis venerij ſententia damnatus; *Joannes* 17. ab *Ottone* 3. Imper. exoculatus; *Gregorius* 6. de

Simonia

Simonia criminatus; *Gregorius* tandum 7. omniumq; primus Regnorum aggressor, qui & dissertationi huic originem dedit, universamq; Ecclesiam hac Quæstione turbavit. Ideoq; S. *Thomas* 2. 2. *q.* 12. *art.* 2. Quærens, Utrum Princeps infidelis possit suo Regno, aut in subditos dominio civili à Pontifice Rom. privari, duas ponit sententias: Patrum antiquorum unam pro parte negativa; alteram *Gregorij* 7. cap. *Nos sanctorum* pro affirmativa; quia anteriorem producere non potuit. Et licet D. *Thomas* ibidem *Gregorio* subscribat, (nec enim contradicere ausus) quia tamen nec rationem, nec aliam quam *Gregorij* authoritatem adduxit, ideo à Sorbona in hac quæstione continuo rejicitur.

2. Recens ergo hæc sententia est, nunquam inter Christianos excogitata, antequam Pontifices Romani, ab initio licet Regum tributarij, servorum servi, jam tamen tributis Ecclesiarum Regnorumq; ditati, tanquam domini dominorum, Regumq; Magistri, sceptris minitarent, & coronis; Reges exauthorarent, temporalibusq; Regum se intromiscerent, Concilijs generalibus terminos ponerent, omniaque pro suo nutu tam in civilibus quam in Ecclesiasticis & mixtis attentarentur, ut sine bellis, populorumq; commotionibus

obsisti non posset vel contradici. Hincq, factum, ut plura jam Pontificum decreta à tempore *Gregorij* VII. deprehendamus, eaq, pene omnia in materia civili vel mixta, quam unquam antea Ecclesia vel antiquitas decernenda proposuit.

3. Pontifices olim pacifici suis terminis spiritualibus contenti erant; gladioq, spirituali pugnantes triumpharunt, vel saltem persecutores patientia vicerunt, aut sub illis martyrio coronati, sanguinem patienter & cum incremento effuderunt; Hisque pugnando telis, insignes de hæreticis,, schismaticis, paganisq, victorias reportarunt. At postquam gladio temporali concertassent, & in Reges machinas suas ac molimina converterent, sacerdotes aurei in ligneos transformati sunt, & calices lignei in aureos, indeque, malo ducum exemplo, clerus corruptus; corruptoq, clero, hæreses & schismata in populo revixerunt, ac supra sæcula omnia priora, susius fluendo inundarunt.

4. Hujus rei (ut notavi) *Gregorius* VII. primus exemplum dedit. Quem licet *virum sanctissimum, vitæ innocentia & miraculis clarum* Bellarminus describat, idque (ut ait) *testimonio omnium illius ætatis Scriptorum innixus*; ab aliis tamen pluribus, aliter definitur, & innocentia hæc in dubium revocatur. *Petrus* quidem sanctus fuit,

fuit, ſicut & *Paulus*, non in eo tamen quod ille Chriſtum abnegaverit, aut Eccleſiam Dei hic perſecutus fuerit. Sanctus probabiliter *Gregorius* VII. ſed non in eo certè quod Reges exauthoraret; miraculis forte clarus, non tamen ex vita priori dum univerſum imperium ſuſq; deq; inverteret; ſed jam pœnitentia tactus, dum moribundus, culpam agnoſceret, vitamq; priorem defleret, univerſæq; Eccleſiæ de præteritis ſatisfaceret.

5. Sed dic, *Bellarmine*, quomodo *teſtimonio omnium illius ætatis Scriptorum* Gregorius, Sanctus vel innocens fuerit? Cum te non latuerit plurimos illius *Gregorij* ætatis teſtes, & coævos, imo & per *Germaniam*, *Galliam*, *Italiamq;* Concilia plena, *Gregorium*, *velut hæreticum*, *Simoniacum*, *omniumq; malorum fontem* accuſaſſe (ut latius par. 2. demonſtravimus.) Quod cum tu negare non attentaſſes, inter ſchiſmaticos, vel Simoniacos eos omnes reponis, ut ſic illorum teſtimonia, fidemq; enervares; quod & iterum ibidem refutavimus.

6. Ut tamen argumentum ſuum ex ſanctitate Pontificum illorum per quos Reges exauthorati erant, confirmaret *Bellarminus*, à *Gregorio* ad *Innocentium* 3. & 4. digreditur; *Pontifices* inquit *laudatiſſimos*, qui tamen Reges depoſuerunt. Depoſuit quidem *Innocentius* 3. perjurum *Ottonem*, Regiq;

Regiq, ſuo *Frederico* rebellem, quem & ipſe *Innocentius* in flagranti licet rebellione convictum, ad Imperium tamen provexit, eundemq, poſtea (non quia rebellem, ſed quia ſibi infeſtum) Imperio deprivavit. Quid tum? Nec enim abſtulit poteſtatem quam Deus firmavit, ſed quam ipſe Pontifex ſubdito rebelli conceſſit. *Philippum* quidem poſtea Regem Regno exuit; ſed audi *Maſſonium* in *Philippum*; *Tuba* inquit *bellorum* Innocentius, *non ſecundum æquitatem judicavit.* Quare? Quia paſſione ductus definijt; *aut ablaturus* Philippo *diadema Regium, aut ſibi diadema Apoſtolicum, ut loquitur* Urſpergenſis *ad Annum* 119. Quantum vero ad *Innocent.* 4. qui *Fredericum* Imper. in Concilio *Lugdunenſi* exauthoravit, audiat *Bellarminus* quid *Binnius* in actis hujus Concilij notet; depoſuit (inquit) ſed *cum ſtupore & horrore omnium*, quia nec auditum, nec convictum, nec examinatum. Et hi ſunt Pontifices illi *ſancti* ac *laudatiſſimi*, qui huic tragœdiæ initium dederunt, quorum & exemplo alij in hac Scena luſerunt ſed luſu ſemper infælici, inefficaci, Eccleſiæque fatali; quia quod in terris ligatum erat, in Cœlis ratum non fuit.

7. Attamen ut *Bellarmino* qualitercunque gratis cedamus; demus Eminentiſſimo, Reges aliquando à Pontificibus, iſq, ſanctiſ-

ſanctiſſimis, Regnis ſuis deſtitutos fuiſſe. Quid igitur? De jure ne? an de facto? Non negabit *Bellarminus* ſummum ſacerdotem *Aaronem* etſi Idololatriæ reum *Exod.* 32. à *Moyſe* tamen Judæorum tunc principe depoſitum fuiſſe, Eleazarumq; pro eo ſubſtitutum; Abiatharem iterum ſacerdotem rebellem à *Salomone*; *Joazarum* ſacerdotem ſummum à Cyrenio Judeæ Gubernatore, ac pro eo Ananum ſubſtitutum: Ananum poſtea à Valerio Grato, eique *Iſmaelem* ſuffectum, ac poſt *Iſmaelem*, Alani filium. *Eleazarum* poſtea depoſitum & *Simonem Camilli* filium pro eo introductum. Deinde in nova lege Sergium Papam à Juſtiniano incarceratum; *Joannem* 12. ab *Ottone* Imperatore *Roma* depulſum, ac pro eo in Concilio Romano *Leonem* inſtitutum; Liberium Papam à *Conſtant. Benedictum* 9. ab *Henrico* 3. *Bonifacium* Papam à *Philippo* pulchro; alios à *Carolo* 5. Imperat. & *Carolo* 6. Rege, quoſque *Roma* vi expulerunt, alioſq; eis aliquoties ſuffecerunt; nec tamen *Bellarminus* hæc inter Regulas juris ſed facti reponit, licet à pijſſimis alioquin principibus ſancita: Ut quid ergo facta Pontificum pro jure nobis intrudat?

8. Pontifices quidem Romani olim Chriſtianis omnibus ſanctitati erant, honori

noci ac venerationi maximæ: Viguit tum in populo ſimplicitas & devotio; in Pontificibus doctrina, fides, & innocentia; Gladius excommunicationis rariſſime tum evaginatus, ideoq; Chriſtianis timori erat & terrori. At langueſcente tandem utriuſq; partis innocentia, ſedeq; Apoſtolica in curiam elevata; utraq; de ligno Scientiæ veſci videbatur, indeq; oculos aperire Reges, faſtigiumq; elevare Pontifices cœperunt, ut tam Reges, quam Pontifices ſubinde terminos exceſſerint. Hinc potens tunc Sacerdotium & exaſperatum, Imperium invaſit, falcemq; in meſſem alienam immiſit, atq; inde factum (ut ait *Sigebertus* ad Annum 1077.) ut *Gregorius Henricum* 4. alius *Fredericum*, &c. excommunicarent hoc obtentu, ut quaſi ex juſta cauſa excommunicatis, ſubditi contradicerent facilius. Atque ita gladius ſpiritualis temporalizatus in abuſum tandem abivit.

9. Unde *Florentius Wigornienſis*, ſicut & *Matthæus Paris* in *Gulielmum* Conqueſtorem, de gladio excommunicationis diſſerentes, *per hunc inquiunt gladium, Romani Pontifices ſua jura tutati, obedientiam in provincijs plenam, adverſantibus mundi poteſtatibus ſunt conſecuti:* Gladio enim temporali in ſpiritualem commutato, jam Sacerdotium utroq; fungitur enſe: Si ſpiri-

ſpiritualis coercere nequeat, non (ut olim) ad Regis recurritur brachium, ſed gladium temporalem ſacerdos ipſe quaſi à latere tenens, indirecte evaginat, ſibiq; ipſi, pars ſimul & Judex ſententiam pronunciat. Si *Carybdim* tranſieris, in *Syllam* incides; ſi gladium ſpiritualem, temporalis cædet; quaſi reliquias bruci comederet locuſta, & reliquias locuſtæ comederet erugo. Hinc principum, populorumq; metus ne qualitercumq; Sacerdotium offenderent, increvit, parati potius in Deum ipſum, quam in Puntificem ſubinde peccare, rerumq; ordo inverſus fuit. Teſtis nuper *Hibernia*, ſacrato, venerandoq; Pontificis Romani nomine in tantum illigata, cujus honorem ne in aliquo iniquius delibaret, ſeipſam eouſq; exinanivit, ut niſi arbitrio illius cuicunq; deferret, delictum eſſe inexpiabile arbitraretur. Ideoq; Pontificis *Nuncius* hac ſimplici populorum pietate adductus utrumq; gladium eadem quaſi vagina recondens, quemq; voluit, ſelegit, atq; indifferenter in quacunq; materia evaginavit. Quapropter in civilibus omnibus leges dedit, militiæ præfectos, pacis belliq; regulas aſſignavit, caſtris & munitionibus duces, quibus obviare ne forte quis auderet, cenſuras & excommunicationes parentiæ adjunxit: indeq; Regnum illud deperditum. Quod tamen

men perijſſe, ſimplicitas aliquorum maluit, quam ne pontificis, vel aberrantis Nuncij honorem offenderent. ‘Peream ‘(inquit *Viridarius*) ſi non facilius in Spi‘ritum ſanctum quam in Pontificem Ro‘manum peccent Chriſtiani noſtri, igno‘rantia ſimul & timore conducti. *Mox*‘*que cauſam ſubjungit*; Quid mandat ‘*Roma*, quod opponi poſſet? quod enim ‘Pontifici placet, præpoſiti majores exe‘cutioni mox demandant; quod illi ju‘bent, ſubditi inferiores Evangelizant: ‘Quod Paſtores animarum deprædicant, ‘oves teneræ hauriunt & credunt; indeq, ‘tanquam ex fonte per ſcaturigines varias ‘tot abuſus erroreſq, morum, dum Scrip‘turarum ac traditionis limites quidam ig‘noranter excedunt. Sed ad *Gregorium* 7. redeamus.

10. *Gregorius* 7. (ut dixi) primus inter Pontifices Regum invaſor, *Henricum* 4. Imperatorem, eo titulo excommunicavit, quaſi *Simoniacus* eſſet, Eccleſiæq, jura inverteret, hoc eſt, quod Juri inveſtituræ Pontificis Romani, Epiſcoporumq, Imperij, non abrenunciaſſet; in cujus tamen poſſeſſione Imperatores Romani à tempore *Conſtantini Magni* per 700. circiter Annos regnarunt, etiam & approbantibus variis Pontificibus, & Concilijs, ut *Hadriano* 1. cum Concilio Romano 153.

Epiſco-

Episcoporum, de quibus dist. 63. *cap. Hadrianus*; ac postea *Leone* 8. ut patet cap. *in Synodo* ibidem; imo & *Gregorio* ipso 7. ut testantur *Onuphrius* in vita *Gregorij*, & *Lambertus Schafnaburgensis* ad Annum 1073. dicentes: *Cogi nullo modo potuisse, ut ordinari, consecrari, vel coronari se permitteret, donec in electionem suam tam Regem* (Henricum 4.) *quam principes Teutonici Regni consensisse certa legatione cognosceret.* Jus ergo investituræ *Gregorius* tunc in *Henrico* recognovit, pro quo tamen postea *Henricum* tanquam legis divinæ, Ecclesiasticæq; immunitatis transgressorem in pleno Concilio Romano exauthoravit. Sed quomodo? *Laudantibus* (inquit *Bellarminus*) patribus Concilij; sed dissentientibus patribus Concilij, inquit Fragmentum rerum Francorum. Quodq; longe verosimilius est; cum juxta Canones, nemo in sua causa pars simul & Judex admitti debeat; adeoq; nec *Gregorius* in quæstione investituræ, quam juris sui esse prætendebat. *Quis est ille*, inquit S. *Augustinus* 2. quæst. 1. c. 18. *qui simul judex & pars esse præsumit?* Quis est ille qui quod ante approbavit, quod & priores Pontifices confirmarunt, jam legi divinæ contrarium affirmat, reprobatq;?

Argu-

Argumenta Gregorij VII.

11. Allegavit tamen in ſui Patrocinium *Gregorius*, coronam Regibus non deberi niſi quamdiu jura Eccleſiæ propugnarent, ſaltemve non invaderent; adeoq; *Henricum* Eccleſiaſtici juris tunc propulſatorem, corona, imperioq; exui poſſe. Sed dic beatiſſime Pater; Quo tum jure regnarunt *Nero*, *Diocletianus*, *Juliamus*, ceteriq; Eccleſiæ hoſtes (imo & quotquot pene 500. annis à *Conſtantino* imperarunt) in quos tamen deum tranſtuliſſe Imperium, *Auguſtinus* ingenue fatetur? Sed his miſſis; doceri volumus, quomodo Eccleſiaſtici juris invaſor *Henricus*, qui præter hoc, aliud non prætendit, quam jus inveſtituræ (à tempore *Conſtantini* præſcriptum, trecentiſq; Annis poſt *Carolum Magnum* continuatum, atq; à duobus pontificibus expreſſe confirmatum) eodem curſu contineri & præſervari?

12. Reſpondit *Gregorius*; Jus illud in *Carolo Magno* quidem fuiſſe, ut patet *diſt.* 63. *c. Hadrianus*; ſed à *Ludovico Caroli* filio abrenunciatum eſſe *cap. Ego Ludovicus. diſt.* 63. At è contra allegavit Imperator caput illud *Ego Ludovicus* ſuſpectum, Apocryphumq; fuiſſe, cum illius abrenunciationis

ciationis vel capitis nullibi extaret originale, Forma ipſa ſine data eſſet, ſignatura, vel teſtibus, quæ hujuſcemodi abeſſe inſtrumento, atq; in re tam gravi, incredibile videretur. Deinde quod *Leo* Papa VIII. centum poſtea circiter annis *Ottoni* I. Imperatori, jus illud *Carolinum* iterum confirmaverit, ut patet cap. *in Synodo. diſt.* 63. ubi & contravenientes excommunicationi ſubjicit.

13. Ad hæc reſpondit *Gregorius*; abrenunciationem tamen illam *Ludovici* confirmatam ſeu renovatam poſtea fuiſſe; ideoq; caput *in Synodo* merito ſuſpicandum, cum contrarietur capiti *Inter nos*, & cap. *Conſtitutio*, & cap. *Tibi.* ibidem. At è contra, allegavit Imperator duo illa capita priora omnino incerta eſſe; ideoq; ſub nomine *Paleæ*, authoris incerti, circumferri; de capite vero *In Synodo* dubitari non poſſe. Deinde capita illa à nonnullis *Leoni* 4. attribui, cui *Leo* 8. (qui jus *Carolinum Ottoni* I. confirmavit) centum circiter annis ſucceſſerit: Quantum vero ad cap. *Tibi*, ad rem non eſſe, cum de jure inveſtituræ non loquatur.

14. Hinc *Gregorius* minus hic fundatus, aliunde ſuppetias inquirit, dicens; Pontifici Romano divinitùs conceſſum eſſe, ut quidquid ligaret in terris, ligatum eſſet & in *Cœlis*; adeoq; & cum Reges deponeret

in terra, depoſiti eſſent & in Cœlo. At Beatiſſime Pater, An non *Henricum* Imperatorem Tu in terra depoſueris; quod tamen in Cœlo ratum non fuit, cum poſtea ſibi, hæredibuſq; Imperium *Henricus* continuo conſervaverit? Imo vero depoſitionem illam *Henrici* in Cœlis rejectam fuiſſe, clariſſimum eſt. 1. Quod non in *Henricum* ſed in ipſum *Gregorium* depoſitio illa redundaret, qui cito poſtea depoſitus, Salernum fugit, ibiq; mortuus mox renunciatur. 2. Quod *Gregorij* in hac cauſa complices, Imperatori tunc rebelles, hoſteſq;, miſerè omnes perierint. *Rodulphus* enim quem *Henrico Gregorius* ſuffecit, eadem manu ictus vulneratuſq; qua (tactis Evangelijs) fidelitatem *Henrico* antea juraverat, poſteaq; pejeraverat; tandem facti licet & rebellionis pœnitens, miſerè tamen obijt: Moxq; poſtea Epiſcopium in quo *Bambergæ* pſeudorex electus erat, igne conſumptum fuit. Deinde *Hermannus*, alter *Gregorij* complex, miro Dei judicio, porta arcis per quam victor ingreſſus fuit, cardinibus evulſa, cum alijs plurimis attritus eſt, vel ut alij ſcribunt, à fœmina ictu lapidis interemptus. *Eggebertus* dein ad Imperium ſeditiosè accitus, in molendino peremptus, turpiter inventus eſt. *Conradus*, *Henrici* filius ſenior, ac in patrem rebellis, immaturo caſu interijt.

terijt. *Henricus* 5. *Henrici* 4. filius junior, etſi patri in Imperio ſucceſſerit, quia tamen in patrem perjurus fuit, non eſt proſperatus in omni vita ſua; tandemq; abſq; omni hærede deceſſit. Ita *Helmoldus* refert, & *Albertus Stadienſis* ad Annum 1087. & ſeq. Quibus & *Matthæus Paris* in *Gulielmum* Conqueſtorem ad Annum 1089. hoc addit, aliquos *Henrici* perſecutores à Muribus exeſos; alios à Canibus dilaceratos fuiſſe, ut omnibus palam fieret, excommunicationem *Henrici*, vel exauthorizationem in terris attentatam, in Cœlis ratam non fuiſſe.

15. Ego profecto qua poſſum animi indifferentia (coram Deo loquor) invocatoq; Dei Opt. Max. auxilio, mecum ſæpius cogitabundus admiror, quomodo *Gregorius*, *Bonifacius*, &c. viri alioquin doctiſſimi, Scripturas in hac Quæſtione detorqueant: Quibus & adinventis formalitatum diſtinctionibus ac gloſſis, ferantur *Bellarminus* & *Suares*, ut poteſtatem Eccleſiæ Spiritualem, directe vel indirecte in temporalia cogant. Axioma Canonicum eſt, ab *Innocent* 3. c. *inter corporalia. de Tranſlatione Epiſcopi*, recitatum; *Quod non eſt ſanctorum patrum decreto ſancitum, ſuperſtitioſis non eſt adinventionibus preſumendum; præſertim cum nonnunquam intelligatur prohibitum, quod non invenitur conceſſum.*

ceſſum. Quæro itaq; ex *Gregorio*, *Bellarmino*, &c. ubi in ſanctis patribus conceſſum legerunt, Reges à Pontificibus deponi poſſe? ubi poteſtatis illius directæ, indirectæq; inter patres documentum? Deſinat ergo Superſtitioſa novitas, & adinventa præſumptio; aut certe Axioma illud *Innocentij* è Canone eradatur. Porro *Gregorij* argumento plenius obviemus. Non eſt dubium promiſſionem illam ante paſſionem *Chriſti Petro* factam, Tibi dabo claves Regni cœlorum, & quodcunq; ligaveris, *&c.* non de clavibus Imperij, ſed de peccatis ligandis ſolvendiſq; intelligi; ideoq; dum promiſſio illa poſt reſurrectionem per conceſſionem poteſtatis actualis *Joan.* 20. exprimeretur, dictum fuit; Quorum remiſeritis peccata (non Regna vel Imperia) remittuntur eis; & quorum ſolveritis ſoluta ſunt. Nec de *Petro* tantum vel Pontificis *Romani* poteſtate hic definiri, ſed & de Apoſtolorum omnium, Epiſcoporumq; quibus tamen Regum deponendorum poteſtatem, vel Imperij claves etiam indirecte conceſſas, nefas eſſe adverſarij arbitrantur.

16. His ergo cuniculis obſtructis, *Gregorius* aliud excogitavit effugium, dicens; Imperatorem à Pontifice Romano coronari; ac conſequenter ab eo Imperium mutuaſſe: quo ſuppoſito, manifeſtum erit, &

& ab eo (causa exigente) deponi posse. Ut ergo vim hujus argumenti ponderemus, sic discurramus. Rex *Franciæ* ab Archiepiscopo *Rhemensi*, vel Abbate S. *Dionysij* unctionem coronationemq, recipit: igitur & Regnum; ac consequenter ab eis deponi aliquando poterit. Pontifex *Romanus* ab Episcopo *Ostiensi* consecratur, coronaturq, ; ergo ab eo potestatem Spiritualem recipit; ac consequenter (causa exigente) deponi poterit. Quid ad hæc *Gregorius* excogitabit?

17. At inquit *Bellarminus*; Pontifices erant qui Imperium Occidentis ad *Carolum Magnum* transtulerunt; atq, adeo Imperium Pontifici subjicietur. Sed patientiam *Bellarmine*, mioxq, tibi cum fœnore solvam.

18. Interim ut jus investituræ Episcoporum principibus adimat *Bellarminus*, *Synodum* 8. *Act.* 10. interpellat, ubi jus investituræ laicis inhibetur: adeoq, *Henricum* 4. de jure investituræ contendentem, a *Gregorio* 7. merito excommunicatum, depositumq, fuisse. Sed quid, *Bellarmine*, si in *Synodo* 8. nihil tale legatur? *Matthæus* certe *Raderus* ejusdem cum *Bellarmino* Scholæ & Societatis, Anno nuper 1604. Canones octavæ Synodi græcolatinas in lucem edidit; de quibus & testatur, non plures in græcis reperiri codici-

bus; & tamen nihil tale de inveſtitura Epiſcoporum producit, ſicut nec *Fragmenta* Canonum à *Surio* Collecta; ubi licet de electione & promotione Epiſcoporum agatur, nihil tamen de inveſtitura per annulum & baculum. Nobis autem certiſſime conſtat, jus inveſtituræ Pontificum, Epiſcoporumq;, Regibus olim & Imperatoribus debitum fuiſſe; ab Eccleſia etiam admiſſum, confirmatumq; cap. *Hadrianus* Supra; verba enim Canonis ſunt iſta; *Hadrianus vero Papa, cum univerſa Synodo* (Lateranenſi 153. Epiſcoporum) *tradiderunt* Carolo *jus & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi ſedem Apoſtolicam.* (En jus inveſtituræ.) *Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias, & ab eo inveſtituram accipere definivit, ut niſi à Rege laudetur, aut inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur ſub pœna anathematis.* Ita Pontifex. Quod decretum poſtea à *Leone* 8. in Synodo *Romæ* congregata, *Ottoni* 1. confirmatum fuit, ut ibidem.

Neque vero novum jus hoc fuit ab *Hadriano* conceſſum, cum teſte *Arnaldo Pontaco* in Chronographica ad Annum 794. *Tutela* Romani *Pontificis à* Conſtantinopolitanis *Imperatoribus ad* Carolum Magnum *Imperatorem, & ejus ſucceſſores (quorum eſt confirmare electionem) tranſlata eſt.*

19. Qui-

19. Quibus omnibus non obſtantibus, *Gregorius* in ſua perſtitit ſententia, ut *Henricum* exauthoraret; ideoq; filium *Henrici* adverſus patrem concitavit, ut tota jam *Italia* bellis flagrante ſeditionibuſq; Regnum in duas factiones *Guelphinorum* ex parte Pontificis, & *Gibellinorum* ex parte *Ceſaris*, divideretur. Hinc Theologi omnes, citramontani potiſſimum, & hiſtorici, ad rei novitatem attoniti. Atq; inter alios, *Otto Friſingenſis* (de quo inter Hiſtoricos ſupra) & *Trithemius* in Chronograph. ad Annum 1106. exclamarunt, nihil unquam tale in Eccleſia ante viſum, etſi plures fuiſſent principes hæretici, Eccleſiæq; perſecutores, ut *Conſtantius*, *Valens*, *Julianus*, *Anaſtaſius*, *Heraclius*; atque ante *Gregorium* centum ſexaginta tres Pontifices, quorum tamen nemo hujuſmodi facinus adoriretur aut Regum deponendorum uſq; ad *Gregorium*, jus unquam vindicaret. Ideoq; *Otto* ſæculo illi coævus, ita in hac cauſa infremuit, ut *Rodulphum* cæteroſq; *Henrici* tum hoſtes, expreſſe *rebelles* appellare non vereatur. *Vide lib.* 1. *de geſtis Frederici c.* 6. *& lib.* 7. *Chronograph. c.* 8.

20. At inquit *Bellarminus*, *Henricus* ipſe, licet Reges à Deo ſolo amovibiles acriter ſuſtinuiſſet, crimen tamen *hæreſeos* excepit; atq; adeo Reges aliquando à Ponti-

fice deponi posse admisit. Respondeo *Henricum* ex superabundantia justitiæ suæ sic excepisse, non quod principes hæreticos (quorum eadem cum reliquis in temporalibus sors esset) Pontifici in terrenis subjiceret, sed ut depositionem *Gregorij* extra aleam redderet nullam, cum extra casum (cujus ipse reus non esset) Reges deponere juxta adversarios non posset. Unde mox subjungit; *licet sancti Episcopi nunquam audebant* Julianum *apostatam deponere, sed dispositioni divinæ relinquere.* Ac si dixisset, ipsos etiam hæreticos dispositioni divinæ relinquendos esse. Sic & Concilium *Tridentinum* dum adversus *Pelagianos* & *Anabaptistas* definiret omnes ex *Adamo* per viam concupiscentiæ natos, in peccato concipi originali, *B.* tamen Virginem *Mariam* excepit; non quod de fide excipienda esset, (cum hoc inter Theologos acrius tunc disputaretur) sed ut reliquos omnes contra *Pelagianos* includeret, tanquam intentum Concilij principale. Atq; ita *Henrici* Imperatoris scopus hic erat, alios saltem quam hæreticos, (de quibus tunc quæstio non erat) à Pontifice deponi non posse; Adeoq; exauthorationes principum Catholicorum (qualis *Henricus* erat) ipso jure nullas esse.

21. Urget tamen *Bellarminus*; Si (inquit) depositio *Henrici* vel excommunicatio

catio, nulla fuerint, ut quid *Henricus* poſtea ad pedes Pontificis culpam agnoverit, Imperiumq; filio ſuo reſignaverit? Cur peccatorem ſe *Romæ* præſentaverit ſupplicem, ut ab excommunicatione abſolveretur? An non convictus tunc *Romæ Henricus*, dum ſub pedibus Pontificis proſtratus, à *Gregorio* his verbis conculcaretur, *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem?* & tamen poſtea relapſus fuit, depoſituſq;, tandemque miſerè ſublatus; ac de mandato *Gregorij* quinquennio terra ſacra interdictus, ut refert *Carion* in *Henricum* IV. Quid fecerit *Henricus* in hac re (de qua inter authores non convenit) non eſt noſtrum inter dogmata reponere, ſed quid de jure feciſſe potuerit. Ut tamen lectori ſatis eat, dico illam *Carionis* relationem, nullam eſſe, ſaltemve adverſarijs in nihilo, niſi *Gregorium* pariter condemnent, conferre. Veritas hæc eſt, *Gregorium Henrico* potius, univerſo q; mundo culpam agnoviſſe; indeq; cenſuras ſuas tanquam invalidas retractaſſe; quorum & nullitatem, eventus poſtea comprobavit. Audiamus *Sigebertum* in Chronographia Anni 1085. & in Chronograph. Anni 1084. de *Gregorio* VII. diſſerentem. *In extremis* inquit *poſitus*, (Gregorius) *confeſſus eſt S.* Petro *& toti Eccleſiæ ſe valde peccaſſe in paſtorali*

curæ

cura quæ ei commissa erat, & suadente Diabolo contra humanum genus, iram & odium concitasse. Tum demum misit prædictum Confessorem ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, ut optaret ei indulgentiam. Cui relationi subscribunt *Florentius Vigornienſis* sæculo isti pene coævus, *Archiepiscopus* etiam *Moguntinus* ab eodem citatus, viri utrinq; in hac causa indifferentes, *Cuspiniani* etiam & alij, de quibus parte 2. supra.

22. Quod autem *Henricus* ad pedes Pontificis prostratus à *Gregorio* his verbis salutaretur, *super Aspidem & Basiliscum ambulabis*, &c. Satis certe incongruè, quæ de Christo Domino dicta sunt, contra Christum Domini assumi poterant. Nec minus inconcinnè, à *Bonifacio* VIII. (dum cineres in oculos *Porcheſi* Episcopi *Genuenſis* conjiceret) verba illa Domini protoplasto dicta, *Memento homo quia cinis es*, &c. *Gibellinis* applicabantur; *Memento* inquit *quia Gibellinus es, & in cinerem cum Gibellinis reverteris.* Sed his missis; videamus quis tantorum omnium tonitruum effectus? *Gregorius* certè cum *Henricum* exauthorasset, Bullam *Romæ* publicavit Nonis *Martij Indict.* 3. in qua Cœlum terramq; adversus *Henricum* invocans, Sanctos Apostolos *Petrum* & *Paulum* oravit, ut depositionem illam in Cœlis ratam haberent,

rent, ſignoq; viſibili id in terris demonſtrarent, ac ſubditorum animos ab *Henrico* ad *Rodulphum* (ut ait *Platina*) converterent: Et tamen his votis nihil ſucceſſit, quia ex Deo non erant. Quinimo *Henricus*, Imperator continuo regnavit, cui & filius *Henricus* V. ſucceſſit; *Gregorio* interim depoſito, exule, mortuoq;. Non obſtantibus itaque omnibus illis *Gregorij* imprecationibus, vidit *Henricus Gregorium* depoſitum, exanimemq;: vidit & *Gregorij* complices rebelleſq; *Conradum* miſerè ſublatum; *Rodulphum* conſternatum, ac perduellionis pœnas luentem; quibus manifeſte ſignis S S. Apoſtoli demonſtrarunt depoſitionem *Henrici*, ſeu facta *Gregorij* minus placuiſſe, cum neq; in cœlo neq; in terra ratificarentur.

Erro tamen; effectum ſortita ſunt: ſed qualem? *Tot mala, tot Schiſmata, tot tam animarum, quam corporum pericula hujus tempeſtatis turbo involvit*, inquit *Otto* Friſingenſis *lib.* 6. *Chron. cap.* 36. Hoc eſt, ex illa depoſitione *Henrici* univerſa Eccleſia turbata, ſcandalizata, Schiſmatiq; expoſita fuit: ut mirum ſit quomodo *Bellarminus* doceat *parum inde mali* inſequutum fuiſſe.

23. Proſequitur tamen *Bellarminus*: Non ſolus (inquit) *Gregorius Henricum* Imperatorem damnavit, ſed & quinq; inſuper

Gregorij

Gregorij ſucceſſores Pontifices, totidemq; ſubſequentia Concilia, ſententiam *Gregorij* firmarunt. Ac 1. *Victor.* 3. in Concilio *Beneventano*; *Urbanus* II. in utraq; Synodo *Romana*; *Gelaſius* II. in utroq; Concilio, *Colonienſi*, & *Friteſtarenſi*; *Caliſtus* II. in Synodo *Rhemenſi*; adeo ut opinio hæc noſtra, jam tunc, *hæreſis Henriciana* & *Wecilonis* communiter vocitaretur. Bellè profecto. Opinio ergo noſtra, *hæretica* tunc fuit; quod nec *Bellarminus* ipſe audet affirmare, neq; adverſariorum quiſquam, niſi forte intra maceriem tanquam cicada crocitans, aut velut noctua quæ lucem pati non poteſt cæcutiens. Eminentiſſimus certe *Peronius* ſæculi ſui miraculum, (cui & omnem honorem defero) etſi *Bellarminianæ* opinionis, in quantum potuit, & licuit, defenſor, non eoſq; tamen illam elevavit, ut fidei terminos ingrederetur vel ſaperet, cum inter probabilium problemata utramque reponeret. Sed dic *Bellarmine*, Utrum decreta illa vel ſententiæ ſubſequentium illorum Pontificum, Conciliorumve, conſcientias noſtras magis obſtringant, quam ipſius *Gregorij* VII. cum Concilio Romano? Hoc eſt, Utrum juri inveſtituræ *Henrici* IV. tot annorum centurijs præſcripto, amplius derogare Pontifices illi, quam *Gregorius* ſolus, vel cum Concilio Rom. poſſet?

Gregorium

Gregorium autem derogare non potuiſſe, ſupra evicimus; vel in quantum derogaſſet, ſeipſum retractaſſe. Sed ut rem exactius ponderemus, certè in literis *Gregorij* plurima continebantur, Excommunicatio ſcilicet *Henrici*, & depoſitio, inveſtiturarum à Laicis recipiendarum inhibitio, Canones de Clericis uxoratis rejiciendis: & tunc ex *Bellarmino* ſcire velim, quo ſpiritu hauſerit ipſe primum illum articulum vel ſecundum à Pontificibus illis confirmatos fuiſſe: Tertium de Jure Inveſtituræ reprobatum: & non potius quartum tantum, qui tamen rem noſtram non attinet?

24. At inquit *Bellarminus*; *Gregorius* VII. ſanctus fuit, miraculiſq; clarus; ideoq; plures ex ijs *Germaniæ* Epiſcopis qui *Gregorio* obſtiterunt, miraculosè à Deo punitos, deſperabundè interiiſſe, ut refert *Lambertus* de *Gulielmo* Epiſcopo Treverenſi; Ac per conſequens facta *Gregorij* divinitus tenent, adverſariorumq; ſunt reprobanda. De Sanctitate *Gregorij* ſupra egimus. Quantum vero ad illos *Germaniæ* Epiſcopos à Deo miraculosè (ut ais) afflictos, potuit facile contigiſſe aliquos in modo vel materia exceſſiſſe, eos nimirum qui *Gregorium Necromantiæ*, *Hæreſis*, *Simoniæ* acrius criminati ſunt, non eos qui *Henricum* tantum defenderent, aut rebellionem

lionem adversariorum merito reprobandam, propulsarent. Quod autem *Lambertus* de Episcopo illo Treverensi commemorat, vagum est; qui ex nullo determinato Authore, *ut asserunt* (inquit) ita contigit. Neq; revera illa *Lamberti* relatio probabilis videtur; cum (ut supra ostendimus) *Gregorius* ipse, ejusq; in depositione *Henrici* complices, *Conradus*, *Rodulphus*, &c. cœlitus à Deo pœnas solverint, conatibusq; frustrati, non obstantibus ijs, quibus cœlum terramq; commoverunt imprecationibus. Ut vero vagam illam *Lamberti* relationem clarius evertamus, incertoq; certum authori opponamus, audi quid *Cuspinianus* in vita *Henrici* IV. de *Imbrico* Episcopo Augustensi, *Henrici* hoste commemorat. Hic (inquit) *Missam* ea conditione celebravit, ut in judicium ei proveniret, nisi *Henricus* in errore fuisset. Sed eventum videamus; *Nunquam postea se sanum de lecto levavit, & sic sine Ecclesiastica communione defunctus est.* Quid ad hæc *Bellarminus?*

Respondet, (his omnibus non obstantibus) *Gregorij* innocentiam à magnis, magniq; nominis Authoribus propugnari, causamq; *Henrici* tanquam impiam rejici. Sed qui sunt illi? *Marianus* (inquit) Scotus, *Anselmus* Cantuariensis, *Anselmus* Lucensis, *Gebehardus* Salzburgensis, *Stephanus*

phanus Albeſtatenſis, *Leo* Hoſtienſis, *Bertholdus*, *Gulielmus* Epiſcopus Tyrenſis, *Otto* Friſingenſis, *Dodechinus*, Abbas Urſpergenſis. At dic *Bellarmine*, quales ſunt omnes iſti? An non *Gregorij* in hac cauſa Advocati, vel Partes manifeſtæ? Quot qualitate, vel numero, ſi ad eos comparentur Cardinales, Epiſcopos, Theologos, Hiſtoricos, *&c.* quos ſupra recenſuimus? Ut vero ſingulos ſeorſim decurramus, certè *Marianus* Scotus primo ſeipſum confundit, dum *rebellionem* ſubditorum in principem, certis caſibus licitam propugnat. Nec minus *Anſelmus* Cantuarienſis, docens ſuprà, gladium Spiritualem ad Temporalia non extendi; & tamen *Henricum* à *Gregorio* juſtè deponi potuiſſe. *Lucenſis* & *Gebehardus Gregorij* advocati erant; *Otho* noſter erat; *Hoſtienſis* utrumq; verberavit; *Gregorium* quem *electione turgidum* appellat, ſicut & *Henricum*. Cæteri *Henrici* hoſtes erant, rebellionis Rei, & *Gregorij* complices. Atque hæc de *Henrico* dicta ſufficiant.

26. Sed & *Gregorij* exemplum (utcumque illud fuerit) proſequuti ſunt ſucceſſores plurimi: *Bonifacius* VIII. *Urbanus* II. *Hadrianus* IV. uterq; *Innocentius*, *Gregorius* IX, X, & XI. *Joannes* XXII. *Benedictus* XII. *Clemens* VI. *Urbanus* V. *Eugenius* IV. *Julius* II. *Paulus* III. *Sixtus* V. &

& *Gregorius* XIV. qui non ſolis contenti cenſuris, niſi ſubditos ad arma moverent, à fidelitate principum abſtraherent, vicinoſq; principes ſubinde in auxilium evocarent, ut jam Reſpub. univerſa Chriſtiana ſanguine maderet, diſſidijs, & bellis. Hæc quidem facti erant; Quid vero juris, infra patebit. Hoc interea certum, ex ejuſmodi attentamentis non niſi Hæreſes, Schiſmata, & Scandala, per *Germaniam*, *Franciam*, *Italiam*, *Poloniam*, *Angliam*, &c. exorta fuiſſe, ut jam navis *Petri* ſubmergi, Petra ipſa quaſſari, & Eccleſia peſſumdari videretur. *Hucuſq; Author.*

Atq;

Atque ita demum habes, Lector benevole, omnia quæcunque, de Gregorio VII. *alias* Hildebrando, *varijs locis præfati operis (cui titulus* Remonſtrantia Hibernorum, *&c.) dedit, examinavit, diſputavit (*bonæ memoriæ*) Venerabilis ille vir* Raimundus Caron *Ordinis S.* Franciſci *Fratrum Minorum ſtrictioris obſervantiæ & Provinciæ Hiberniæ S. Theologiæ Profeſſor. Nec tamen ignoro, ut jampridem ante ejus tempora, in eodem argumenti genere operam ſuam feliciſſimè, ſub* Jacobo *Magnæ Britanniæ Rege, poſuerit* Joannes Roſſenſis Epiſcopus. *Nec diffiteor ſanè, ut ante viginti annos, limatiſſimi Auctoris illud opus* * *& lectum & relectum mihi fuerit: nimirum*, Dioniſij *illius Magni Alexandrini exem-*

*Titulus huic operi eſt: De poteſtate Papæ in rebus temporalibus, ſive in Regibus deponendis uſurpata, adverſus *Robertum Cardinalem Bellarminum* Libri duo. In quibus reſpondetur Authoribus, Scripturis, rationibus, exemplis contra *Gulielmum Barclaium* alios. Nec non ſex, vel verius quinque exemplis: quibus morte præventus, non reſponderat *G. B.* Authore *Joann. Roſſenſi.* Luc. 22. 26. *Vos autem non ſic.* Diſt. 40. cap. mult. *Quicunque diſideraverit*

 plum

primatum in terra, inveniet confusionem in cælo: nec inter servos Christi computabitur, qui de Primatu tractaverit. Prodijt Londini, an. 1614.

plum in hac parte sequuto. At quoniam ab initio statui mecum, in istiusmodi, aut quibuscumque alijs cum Romana Curia velitationibus nihil planè subsidij ex alienis castris arcessere: hinc factum est, ut authore isto, quamtumvis eruditissimo & lectissimo, nullibi sim usus; nullibi vel una dictio quidem à me ex duobus ejus Libris desumpta sit. Quamquam illud interim animadvertero primùm, quod Roffensis *hic ipse, non alijs utatur, ne alicubi quidem in toto opere, neque authoritatibus, neque rationibus, responsionibusve, quàm Catholicorum. Deinde, quòd Apostolus Gentium divinus* Paulus *tum* Arati *tum* Epimenidis *Authorum Idolatrarum loca intento suo accommodarit. Tandem quòd, si contra vel Regulas* Tridentini Indicis, *vel censuras* Bullæ cænæ Domini, *privilegia quæpiam Missionario* Regulari, in partibus, *necessaria forent, neque ejusmodi quidem privilegia (sive quas vocant,* Facultates), *desint mihi ad legendum,*

gendum, utendumque adeò fidei orthodoxæ causa, Libris quibuscumque prohibitis; tantùm, qui Carolo Molinæo *&* Nicholao Macchiavello *inscribuntur, exceptis: nec privilegia etiam, authoritate* Pauli V. *olim concessa, absque termino durationis alio quàm vel Schismatis Ecclesiæ, vel vitæ ejus cui contingeret ipsa communicari. Etenim excommunicatio omni jure nulla, neminem ullo jure suo, ne privilegij quidem aut* Facultatum, *privat. Verumtamen propositum, immò consuetudinem quæ in cæteris meis quibuscumque scriptis hucusque servata est, religio fuit non transgredi: ac idcirco in hac præsertim de* Gregorio VII. *Appendice, neque momentum, neque argumentum, neque unum denique verbum, ad causæ meæ defensionem contra Aulæ Pontificæ Ministrorum sive placita sive dogmata, ex Authore quovis alio desumere, qui alienæ à Romana communionis erat. Talis non erat Reverendus ille Caronus. Totam vitam ille, si quis alius, cum in Romano-Catholica fide, tum in Pontificia communione, quoad vixit, traduxit:*

totam & sanctissimè finijt, extremum spirans in utraque: ab alia, nec non semper, quapium sive fide sive communione, idque tam in vita quàm in morte, omnino alienus: quemadmodum ex Breviculo ejus vitæ, quod infra sub finem est, videre licet. Quapropter, maximè verò cùm cætera, quæ superius in Admonitione *dedi, concurrerent, eundem bonæ memoriæ Venerabilem virum delegi, ac ut æstimo, satis ad propositum appositè, quem haberes (Lector) hujus* alterius Appendicis *nisi unicum, certè (ob ea quæ tam prolixè atque enucleatè ex ipso disputata sunt) præcipuum Authorem.*

Dico notanter nisi unicum: *&,* certè precipuum Authorem. *Nam quæ sequuntur posthac de* Gregorio VII. *panca, Authorem alium habent. Etsi enim ex Ecclesia Anglicana, aut quavis earum quæ à Romana secesserunt, non liceat mihi quemquam advocare qui Carono subsidium ferat, sicubi in ipso Lector curiosus vel ampliorem vel exactiorem rei quæ tractatur animadversionem requirat: quemadmodum ibi fortassis*

fortaſſis requiret ubi ſpeciatim, in Gregorij *Dictatus à* Carono *agitur, ijdemve Dictatus numerantur: quia tamen neque propoſitum mihi erat, neque religio eſt, ex Eccleſia Gallicana neminem laudare ſubſidiarium: cur non liceat nunc, ejuſcemodi ſaltem unum è famoſiſſima toto orbe Pariſiorum Schola producere? Certè unus erit, qui non modò in quæſtione principe, ſeu præcipua (inquam) Chriſtianorum ab octingentis annis Controverſia, Theologiæ omnis defæcatæ ſuo ævo fons, Theologorumque omnium in ea cauſa vel ſummorum quidem apex, verumetiam uti religione, communione, vita, morte puriſſimus, præſtantiſſimus, hoc eſt Catholiciſſimus pariter & ſanctiſſimus, jamdudum ijs nominibus per Europam in pretio maximo eſt, præſertim inter eruditos. Hic, nimirum,* Edmundus *ille* Richerius *eſt, Doctor Sacræ Facultatis Pariſienſis, Sorbonæ Socius, & Collegij Cardinalicij Magnus Magiſter. Idem qui Author operis de Eccleſiaſtica & politica poteſtate, atque adeo & alterius Libri qui Defenſio atque Demonſtratio illius*

operis est. Idemque porro & Author Historiæ Conciliorum Generalium in quatuor Libras distributæ, quæ hoc ipso Anno Domini MDCLXXXIII. *typis Colonienſibus impreſſa, prodijt.*

Ex hujus Historiæ accuratiſſimæ lib. 1. cap. xiii. *quæ ſequuntur hic de præfato* Gregorio VII. *ac Dictatibus ejus, vel ad verbum quidem deſumpſi. Nam poſtquam* Richerius *Author, in priori parte capitis, decemque articulis* (n. 1.) *ſummam rerum, quæ iſta ſua eadem octo primorum Conciliorum generalium hiſtoria continentur, ob oculos exhibuiſſet: mox inſtituens* (num. 11.) *earumdem rerum comparationem cum diſciplina poſt decimum ſeculum introducta: & obſervans quanta diſciplinæ veteris Eccleſiaſticæ, regiminis ariſtocratici, & juris communis conturbatio poſt occaſum Imperij, atque Sedium Patriarchalium Orientis everſionem ſequuta fuerit: quin & Monarchicæ Eccleſiarum omnium Occidentalium diſciplinæ, poſt ea tempora prævalentis, rem pariter & formam* Gregorio VII. *velut novo novæ iſtius Fabricæ architecto attribuens: in hæc verba ſcribit.* II. Cæ-

II. Cæterum quantam inclinationem & corruptelam hæc ſanctiſſima & Apoſtolica diſciplina, cum Eccleſiæ atq; Imperij Orientalis ruina, poſt decimum ſeculum ſenſerit, hiſtoriæ temporum nobis demonſtrant. Siquidem cum Eccleſia Romana alijs Sedibus Patriarchalibus Orientis quaſi libramento quodam æquabili in officio contineretur; tandem illis proſtratis omnia cœpit monarchice peragere, ope preſertim monachorum Benedictinorum, Cluniacenſium, *&c.* quos à poteſtate Epiſcoporum omnino exemit, ac tum demum ipſis Epiſcopis oppoſuit, ipſoſq; Imperatores cum Occidentali Imperio funditus excidit. Cujus rei non alium teſtem quam ipſummet *Gregorium* VII. ordinis Cluniacenſis monachum proferre lubet, qui anno Domini 1073. ad Sedem Apoſtolicam aſſumptus Synodum ex aliquot *Italiæ* Epiſcopis & Abbatibus ordinis S. *Benedicti* conflavit, in qua HOS xxvii. DICTATUS, ut appellat, monarchicè ſtatuti, qui *lib.* II. poſt Epiſtolam 55. ejuſdem *Gregorij* leguntur.

III. 1. Quod Romana Eccleſia à ſolo Domino ſit fundata.

2. Quod ſolus Papa jure dicatur univerſalis Romanus Pontifex.

3. Quod ille ſolus deponere poſſit Epiſcopos vel reconciliare.

4. Quod Legatus ejus omnibus Prælatis in Concilio præsit, etiam inferiori gradu constitutus, & adversus eos sententiam definitionis dare possit.

5. Quod Papa absentes deponere possit.

6. Quod non debeamus manere in domibus excommunicatorum à Papa.

7. Quod illi soli liceat pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare: de Canonicis Abbatias facere & divitem Episcopatum dividere, & duos pauperes unire.

8. Quod solus Papa possit uti Imperialibus insignibus.

9. Quod solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur.

10. Quod illius solius nomen in Ecclesijs recitetur.

11. Quod unicum est nomen in mundo.

12. Quod illi liceat Imperatorem deponere.

13. Quod illi liceat ad Sedem ob necessitatem Episcopos transmittere.

14. Quod de omni Ecclesia quemcumque voluerit Clericum valeat ordinare.

15. Quod ab illo ordinatus alij Ecclesiæ præesse potest, sed non militare: & quod ab aliquo Episcopo non debet superiorem gradum accepere.

16. Quod

16. Quod nulla Synodus abſq; præcepto ejus debeat generalis vocari.

17. Quod nullum capitulum, nulliq; libri Canonici habeantur abſq; ejus auctoritate.

18. Quod ſententiæ illius à nullo debeant retractari, & ipſe omnium ſolus retractare poſſit.

19. Quod à nemine ipſe judicari debeat.

20. Quod nullus audeat condemnare Apoſtolicam Sedem appellantem.

21. Quod majores cauſæ uniuſcujuſq; Eccleſiæ ad eam referri debent.

22. Quod Romana Eccleſia nunquam erravit, nec ſcriptura teſte in perpetuum errabit.

23. Quod Romanus Pontifex, ſi canonice fuerit ordinatus, meritis B. Petri indubitanter efficitur ſanctus, teſte B. Ennodio Epiſcopo Papienſi, & multis ſanctis Patribus faventibus, ſicut decretis B. Papæ Symmachi continetur.

24. Quod de illius præcepto & licentia ſubjectis liceat accuſare.

25. Quod abſq; Synodo poſſit Epiſcopos deponere & reconciliare.

26. Quod Catholicus non habeatur qui non concordat S. Romanæ Eccleſiæ.

27. Quod à fidelitate iniquorum ſubjectos abſolvere poſſit.

Verum,

Verum, nolo jam in explicanda analysi horum dictatuum *Gregorij* VII. immorari, tantum dicam, ex eorumdem cum decem superioribus articulis comparatione, promptum cuiq; esse videre, quantum Ecclesiæ regimen, quod & adfectavit & introduxit *Gregorius* VII. ab Evangelica & Apostolica moderatione discrepet. Siquidem cum ex triplici potestate quam Dominus noster Jesus Christus habuit, *Auctoritatis nimirum, Excellentiæ, & puri ministerij spiritualis*; *hanc ultimam duntaxat Ecclesiæ contulerit.* Contra *Gregorius* VII. effecit, ut Ecclesia, vel, ut verius dicamus, Romana Curia absoluto atq; pure Monarchico dominatu cogeret quæcumq; Christianis præciperet: adeo ut ab illo tempore omnes Ecclesiæ jugum horum DICTATUM subire coactæ fuerint: propterea quod ejusmodi Dictatus dehinc fuerunt instar Instructionis & Commentariorum ad quos Curia Romana jugiter noctes atq; dies pro asserenda infallibili Papæ Monarchia collimaret: in eumque finem Legati atq; Nuncij sæpissime ad Christianos Principes missi. Deinde, ut sensim & sine sensu Episcopi nativa sua potestate exarmarentur atque memoria regiminis aristocratici penitus deleretur, crebro factæ sunt Privilegiatorum & Mendicantium missiones; qui cum sua privilegia à solo Pontifice Romano derivent, in eo etiam uno, tanquam

in

in ipſomet Chriſto, ſummam totius poteſtatis Eccleſiaſticæ & Religionis communicandæ & conſtituendæ collocarunt: huicq; operi, noſtro ſeculo Jeſuitæ (mixtum & biforme, partim ſeculare partim regulare, imo vero ſi cum antiquis conferamus, nec ſeculare nec regulare genus religioſorum) ſummam impoſuerunt manum: adeo ut ſola facultate Presbyterorum ordinandorum excepta, hodie Privilegiati & potiſſimum Jeſuitæ, multo plus colligant auctoritatis quam omnes Ordinarij. Horum autem immoderatis ſtudijs atq; immunitatibus Schola Pariſienſis ſtrenue ſemper obſtitit, ut ex varijs monimentis quæ in tabulario Facultatis Theologiæ aſſervantur, nec non etiam ex varijs Gerſonij opuſculis liquet: tandemq; Synodus Conſtantienſis & Baſileenſis indictæ fuerunt, ut aliqua medicina huic malo fieret atq; diſciplina Apoſtolica juſq; commune quantum ratio gravitatis temporum pati poterat, velut jure poſtliminij revocarentur: ſed Lateranenſis Synodus ſub *Julio* II. & *Leone* X. omnes illos eximios & ſanctiſſimos Scholæ nobiliſſimæ conatus ſubruit, ſacris electionibus tanquam impijs & ſchiſmaticis oblitteratis: atq; etiam Regibus & politicis poteſtatibus ſub jugum miſſis planeq; exarmatis, conformiter ad xii. & xxvii. Dictatus *Gregorij* VII. Siquidem

dem Jesuitæ non modo docent, Papam habere potestatem Regum abdicandorum ut *Gregorius* VII, verum etiam & capite puniendorum in officio sacræ Inquisitionis, ut vocant: quod facile colligitur ex *lib. Bellarmini* adversus *Barclajum*, *cap.* vii. Controversia Anglicana Becani, & nominatim docetur à *Francisco Suare* in opere quod inscripsit *Defensio fidei Catholicæ*, lib. vi. c. 4. num. 18. idq; conformiter ad placita Directorij Inquisitorum de quibus alias disputabitur.

IV. Ut ergo omnes intelligant quales habitæ sint Synodi post *Gregorium* VII, & quantum operæ Romana Curia in absoluta potestate super alios Episcopos sibi arroganda impenderit, hic adscribam mandatum *Paschalis II.* qui tertius à *Gregorio VII.* in B. *Petri* cathedra sedit, fuitq; pariter ordinis Cluniacensis Monachus. Ille igitur Titulo de Electione & Electi potestate, *cap.* Significasti. Scribens Archiepiscopo Panormitano, *Significasti*, ait, *Reges & Regni majores admiratione permotos, quod Pallium sibi ab Apocrisarijs nostris tali conditione oblatum fuerit, si sacramentum quod à nobis scriptum detulerant exhiberes*, &c. *Ajunt in concilijs statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint: cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem & facta sint & robur*

robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Hæc ille. Nam *Gregorius VII.* contra conſuetudinem mille atq; amplius annis uſitatam in Eccleſia, hunc morem introduxit, ut quaſi in rebus ſecularibus atq; feudalibus Sacramentum ab Epiſcopis exigeret, cujus formam legimus in ejuſdem Epiſtolis relatam in Decretales Titulo de Jurejurando, cap. *Ego N. Epiſcopus ab hac hora in antea fidelis ero S.* Petro, *ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ, Dominoq; meo Papæ C. ejuſq; ſucceſſoribus Canonice intrantibus,* &c. *Papatum ſanctæq; Romanæ Eccleſiæ & regulas ſanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines: vocatus ad Synodum veniam niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione: legatum Apoſtolicæ Sedis quem certum eſſe cognovero in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in ſingulis neceſſitatibus adjuvabo. Limina Apoſtolorum ſingulis annis aut per me aut per certum nuncium viſitabo, niſi eorum abſolvar licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.* Hinc ergo exploratum redditur, quæ tum eſſe potuerit libertas Epiſcoporum in Synodis, cum ſingulari ſacramento Pontifici Romano tanquam abſoluto Monarchæ adſtringantur, ut Papatum S. R. E. ideſt, Curiæ Romanæ uſurpationes defendant. Quæ libertatis Eccleſiæ oppreſſio multo magis

magis locum habet ſacris electionibus abrogatis, quoniam hodie Papa omnes confert dignitates & beneficia Eccleſiaſtica: ita ut hoc ſtante regimine omnino impoſſibile videatur liberum haberi Concilium: jam enim Eccleſia non amplius Canonibus & Ariſtocratico regimine, ſed abſoluta poteſtate, vel ut quidam ſcriptor ait, *Decretis alatis regitur.* Almainus libro de Eccleſiæ auctoritate *cap.* 7. ad ſextum argumentum Cajetani, hanc Paſchalis Decretalem objicientis, reſpondet, *Ejuſmodi auctoritates eſſe ſummorum Pontificum qui in pluribus ſuas nimis extendunt fimbrias, ſibiq; attribuunt quod eſt Eccleſiæ proprium: & caput* Significaſti *eſſe intelligendum regulariter: ita ut Concilia ordinarie & regulariter legitime congregari nequeant abſq; auctoritate Papæ congruenter ad totam diſtinctionem* 17. *Sed poſtquam ſemel congregata ſunt Papæ auctoritate vel aliter, tum immediate ſuam auctoritatem habere à Chriſto non à Papa: & auctoritati huic ſummum Pontificem ſubjici, ſicut miniſtrum Dominæ ſuæ.* Nam Eccleſia domina eſt, atque ſponſa Chriſti, Papa vero ſolumodo miniſter *& paranymphus ſponſæ*, ſicut eum vocat S. *Bernardus, cap.* ult. *lib.* iv. de Conſideratione. At *Joannes Major* Doctor Pariſienſis commentarijs in *caput* 18. *Matthæi* poſt Gerſonium aſſerit, *Jura Romanorum*

norum Pontificum esse reverenter glossanda & interpretanda conformiter ad legem divinam: alias non mereri dici jura. Quod si quis contendere voluerit illa esse vera ut jacent, cum libertate Evangelica hæc jura esse negat, attexit, *caput* Significasti *duas habere partes: prima est, quod Concilia robur accipiant à summo Pontifice & ejus auctoritas est patenter excepta: Dico,* inquit, *quod ad eum spectat convocare Concilium, & ita facit communiter: & sic aliquo modo dat robur Concilijs: quia est causa congregandi Concilij: sicut ad aliquem sensum concedi potest quod Sacerdos dat characterem baptismalem, quia ponit requisita ad hoc ut characterem Deus infundat. Etiam Pontificis auctoritas communiter est excepta in Concilijs: quia multæ Conciliorum definitiones sunt humanæ, & interdum patiuntur exceptionem & ἐπείκειαν: & Concilium non potest semper congregari: Ergo rationi consentaneum est habere aliquem qui in illa materia dispenset: ille erit Romanus Pontifex, & hoc satis facit capiti* Significasti. Porro hæc Doctorum scholæ nostræ responsio plane diruit caput *Significasti,* quamquam tamen illa responsio supponat primatum Papæ jure divino esse monarchicum: hoc autem quam verum sit superior historia clare demonstrat.

V. Post Dictatus *Gregorij VII.* Romani Pontifices quas habuerunt Synodos in illis omnia

omnia ex privato motu tanquam monarchæ absoluti sub hac formula edixerunt: *Nos sacro approbante*, vel *consentiente Concilio sancimus, decernimus, statuimus*, &c. qua de re legendum Lateranense Concilium sub *Innocentio* III. Ad hæc autem Cardinalis Cusanus cum attenderet *lib.* II. de Concordantia *cap.* 28. graviter dolet, *quod ab Octava Synodo generali quam præcedenti capite explicavimus, Ecclesia nullam talem celebrarit:* id est, in qua omnia Acta diligentissime scriberentur, atq; omnibus & singulis Episcopis libertas dicendæ sententiæ sigillatim permitteretur, omniumq; vota cum eorumdem syngraphis exscriberentur. Insuper capite VIII. ejusdem libri hæc nominatim refert: *Sequitur juxta subscriptiones Patrum, vigorem statutorum Canonum in Concilio non ex Papa, nec ex capite Concilij, sed ex unico concordanti sensu vigorem habere*, &c. *Et si aliquando reperitur Papam de consilio Concilij hoc statuisse (quod tamen nunquam legitur in antiquis Concilijs) hoc tantum de consilio affirmativo & per quod consensus habebatur, intelligendum est.* Deinde, *cap.* XII. ubi probavit vigorem legis & statutorum à concordantia & consensu subjectionali illorum, qui per eas leges ligantur, manare, subnectit, *in Concilijs Romanum Pontificem in condendis statutis genenalibus eam non habere potestatem quam*

quam quidam adulatores eidem contribuunt: ſcilicet quod ipſe ſtatuere habeat alijs conſulentibus. Non nego tamen Papam ad conſultationem reſpondere, ſuadere & ſcribere ſemper potuiſſe: ſed dico de ſtatutis quæ vim Canonum habent, & decretis quæ ligant univerſaliter in Eccleſia. An etiam hodie ex longa conſuetudine introducta Papa ſolus univerſaliter ſtatuere poſſit pro nunc non examino: tamen dico etiam ſi hoc poſſet non eſt contra propoſitum noſtrum, in quo ſolum ad hoc tendimus quod Canonum ſtatuendorum auctoritas non ſolum dependet à Papa, SED A COMMUNI CONSENSU. ET CONTRA HANC CONCLUSIONEM, NULLA PRÆSCRIPTIO VEL CONSUETUDO VALERE POTEST, *ſicut nec contra jus divinum & naturale, à quo iſta concluſio dependet.* Cardinalis Alliacenus parte III. c. 2. libri de Eccleſiæ auctoritate: Item *Gerſonius* de poteſtate eccleſiaſtica conſideratione x. ſub finem (quos libros uterq; compoſuit & recitari fecit in Synodo Conſtantienſi coram Patribus) diſputant, an uni & ſoli Romano Pontifici facultas definiendi ſub hac formula competat: *Nos ſacro approbante Concilio damnamus, aut decernimus,* &c. Vel etiam ſub hac alia: *Sacroſanctum Concilium damnat,* &c. Quam quæſtionem minime inutilem eſſe, & utramq; formam in de-

cretis generalium Conciliorum reperiri Alliacenus demonstrat: *Priorem quidem in multis constitutionibus synodalibus, & maxime in juribus novis: Posteriorem vero esse antiquiorem & convenientiorem, ac Theologiæ magis consonam: quia in Actibus Apostolorum auctoritas definiendi attribuitur Concilio & non specialiter* Petro: *ubi dicitur: Placuit nobis collectis in unum,* &c. & B. Gregorius 15. *Dist. Can. Sicut.* Ubi dicit *se quatuor Concilia sicut sancti Evangelij quatuor libros venerari:* Causam subdit; *quia universali consensu constituta sunt. Unde videtur sequi quod auctoritas definiendi maxime in materia fidei pertineat ad Concilium generale: & idem dicunt aliqui quando agitur de facto Papæ: quod patet in Concilijs Symmachi ubi dicunt Episcopi, Decernimus, & Synodi auctoritate roboramus ut Synodalis ordinatio vigeat: & in superscriptionibus Episcoporum dicitur, his constitutis Synodalibus à nobis probatis atq; firmatis, & multa alia ejusmodi.* Aliquanto post Alliacenus adfuit, *Concilium præsente Papa, à quo ipsum Concilium vocatum est, esse velut unum corpus mysticum cujus Papa est caput, & alij membra: & ideo secundum aliquos non solum falsum sed & fatuum esse dicere quod major sit auctoritas partis quam totius corporis mystici. Et ex præmissis secundum aliquos sequi falsam esse quorumdam Juristarum*

rum opinionem, dicentium quod in Concilio generali Papa duxtaxat judicat, & definit: & ſi eo non præſente, ibi aliqua ſtatuerentur, Concilium nihil ſtatuere ſed ſuadere & conſulere: nec Papam teneri ſequi deliberationem vel ſuaſionem Concilij, ſed ſtandum videri ſententiæ Papæ ſi contradiceret Eccleſiæ vel Concilio. Atq; hujus aſſertionis falſitatem ex eo probat Alliacenus, *quod univerſalis Eccleſia à Chriſto non à Papa hoc privilegium auctoritatis habet, quod in fide errare non poſſit: ſed talem auctoritatem Papam non habere cum errare poſſit in fide. Ergo & in hoc major eſt auctoritas Concilij vel Eccleſiæ quam Papæ: unde oppoſitum dicere multis eſſe hæreticum & ex juribus male intellectis erroneè concluſum.* Hactenus Cardinalis de Alliaco. Hercle quidem, ſicut formula hæc *Sancta Synodus decernit*, regimen ariſtocraticum & veterem diſciplinam commendat & vindicat: pariter hæc alia, quæ ſeculo *Gregorij* VII. introducta eſt: *Nos ſacro approbante aut ſuadente Concilio decernimus*, puram putam monarchiam adſtruit: *atq; Romanam ſingularem & particularem Eccleſiam pro tota Eccleſia univerſali aggerit*, contra quam ſub octo primis univerſalibus Concilijs uſitatum fuit. Porro hæc apoſtolicæ diſciplinæ, ariſtocratici regiminis & juris communis conturbatio quam *Gregorius* VII.

* Joannes Launoius, *Epistolarum Part.* vi. *ad* Antonium Faurum *scribens conatur ostendere, Dictatus* I. II. I I. VII. X. XI. XXIII. & XXV *non* Gregorij *sive Hildebrandi, sed* Innocentij *alicujus, adeoque apocryphos & supposititios esse. Post alia vero argumenta, quibus id specialiter de titulo (ut ipse loquitur) seu Dictatu* XXIII. *nititur probare, ultimum in hac ipsa verba habet: Postremo numquam dixisset* Gregorius *meritis Beati Petri sanctos effici nonnullos Formosi Papæ Successores, de quibus* Baronius *ad annum* DCCCXCVII. *sic loquitur:* Cum verò hos Romana Ecclesia passa est tyrannos Tusciæ Principes dominantes sive pecunia sive armis populo Cleroque Romano, per quos intrusi in Cathedram Petri, solium Christi, homines monstruosi, vita turpissimi, moribus perditissimi, usquequaque sœdissimi, vestimentis exuta gloriæ atque lætitiæ, mœrens, dolens ac lugens, sedit in tristitia Domina gentium. Cæterum etsi interdum deforme valde, turpeque contigerit apponi Ecclesiæ caput, tolerandum tamen ipsi fuit. *Quæ illustris Annalium Ecclesiasticorum conditor monumentis confignat suis, ita nota erant* Gregorij VII. *tempore, ut ea ignorare non potuerit. Quemadmodum & probè noverat, quæ* Luitprandus *in Libri* VI. *de rebus per Europam gestis capite* VII. *de* Joanne XII. *tradit: referens acta Romani Concilij, in quo hic Pontifex abdicatus est:* Tunc consurgens Petrus Cardinalis Presbyter, se vidisse illum

suis dictatibus * & rebus gestis in Ecclesiam invexit, tantum indies incrementum fecit, ut tum demum Ecclesia Catholica gravitate malorum atq; oppressionis expergefacta, reformandæ Ecclesiæ rationem in capite & in membris in Synodo Constantiensi & Basileensi inierit, ut sequentibus libris demonstrabitur.

illum Missam celebrasse, & non communicasse testatus est. *Joannes* Episcopus Narniensis, & *Joannes* Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo non certis temporibus sunt professi. Benedictus cum cæteris Condiaconis & Presbyteris dixit se scire, quòd ordinationes Episcoporum pretio faceret, & quod annorum decem Episcopum in Tudertina civitate ordinarat. De sacrilegio non esse necesse percontari, dixit, quia plus videndo, quam audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quòd oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam Rainerij, & Stephanam Patris concubinam, & Annam viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum Palatium lupanar & prostibulum fecisse. Venationem dixerunt publicè exercuisse: Benedictum spiritualem Patrem suum lumine privasse, & mox mortuum esse. *Joannem* Cardinalem subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse; ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse, testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam Clerici, quàm Laici acclamarunt. In ludo aleæ, Jovis, Veneris, cæterorumque Dæmonum auxilium popoſciſſe dixerunt. Matutinas, ac canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniviſſe professi sunt. *Deinde capite* x. *de morte horribili* Joannis *ejusdem Papæ* XII. Quadam nocte extra Romam, dum se cum cujusdam viri uxore oblectaret, in temporibus adeò à Diabolo percussus, ut intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed Eucharistiæ viaticum ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit, quemadmodum à suis cognatis & familiaribus, qui præsentes erant, persæpe sub attestatione audivimus. *Hæc autem omnia cum perfectè teneret* Gregorius, *is prudens & attentus dixisset nusquam Romanos Pontifices meritis beati Petri sanctos effici*, &c. Sic nempe Launoius ad abjudicandum *Gregorio* dictatum hanc XXIII; *qui tamen apud* Caronum *decimus tertius tantùm est.*

Hucusque, à num. 11. *ad finem præfati* cap. (*nec plura vel ibi, vel alibi, de* Gregorio VII. *habet*) *Magister ille verè magnus, vere pius & per omnia Orthodoxus* Edmundus Richerius *ævi hujus lumen. Cui tanto viro, ob impugnatam Romanæ Aulæ insana dogmata, à* Gregorio VII. *derivata, immo ob impugnata vel in specie quidem ea ipsa quæ coronas Regum Pontificiæ mitræ, etiam quoad pura temporalia, subjiciunt, si non defuerit, piorum omnium in hac vita sors, persequutio, ne in* Gallia *quidem: haud mirum videri debet, si Carono, quippe doctrinam simul & pietatem illius viri sequuto, sua quoque tam in* Anglia *&* Hibernia *quam in* Belgio, *perpessionum portio, à* Romanæ *curiæ Ministris procedens, quamquam* Richerij *portione nonnihil major, fuerit tolleranda. Utrique tamen adeo favit Numinis providentia, ut Capitolij minas tantùm, non reapse diras & fulmina, non excommunicationes inquam & anathemata in se excussa aut viderint aut audierint. Utrumque ex ærumnosa vita Deus bo-*

nus

nus & misericors ad se vocavit prius-quàm Romana ira tempus nacta fuisset opportunum ejusmodi tonitruis quæ viros optimos terrefacerent: illum Parisijs in senectute bona, ac dierum plenum, ætatis suæ anno 84. *Christi autem* 1633. *istum verò* Dublinij, *sexagenarium aut circiter, anno Salvatoris* 1666. *Ac* Richerij *quidem fortuna, si supervixisset inquam ipse, quæ à Romanis foret, quæ à Censoribus Senonensibus, quæ à Doctore Vallio, quæve demum à Cardinale Perronio, Concilioque sanctiori Regis Minorennis, etsi ignoro: & vel maximè quidem propterea ignoro, quòd* Richerius *interim, ex alia parte vero similiter, & Ecclesiam Gallicanam & Parliamentum Parisiense patronos suæ causæ haberet: id tamen probè scio (qua inquam de futuris contingentibus conditionatis quidquam absque revelatione mortalis homo scire potest) quòd* Caronus, *si vixisset ad* 24. *Mensis Maij anni millesimi sexcentesimi septuagesimi, eandem planè cum* Valesio *fortunam fuisset expertus. Scilicet, quo Ministrorum Aulæ Pontificiæ,*

Cardinalium atque Nunciorum deſpoticæ Dominationi ſatisfieret, primùm in Belgio *à Patre* de Riddere *tanquam ex cauſa contumaciæ, licet revera fictæ, nominatim excommunicatus, affixuſque palam* Bruxellis *vel ad S.* Franciſci, *vel S.* Gudulæ, *aut utriuſque valuas. Dehinc verò, intra ſextum poſtea menſem, in* Hiſpania *& à Patribus quidem Valliſoletanis illic, id eſt, Capitulo generali Fratrum Seraphici Ordinis ex univerſo orbe congregatorum* Valliſoleti, *etiam altera, vel fictitij quidem Juris tum excommunicatione percuſſus, tum denunciatione ejus vel Decreto pariter impreſſo & per Europam omnem diſperſo, devotus ubique diris. Procul dubio audiviſſet, in ſe animadverſum ita, ſi ad præfatum diem anni* 1670. *in hac vita permanſiſſet. Nam hic idem eſt* Raimundus *ille* Caron, *quem Decreto illo* contra fratrem Petrum Valeſium & ſequaces *eadem die edito, quod ſuperius datum eſt Append. priori, Inſtrum.* 1. *Patres Valliſoletani perſtrinxerunt; etſi noviſſent eum quadriennio ante fatis conceſſiſſe. Sed male-*

dicti-

dictiones hominum, benedictionibus Dei prævenit felicior Caroni *ſors. Tranſtulitque illum Deus ad communionem longè ſanctiorem, longè beatiorem ea, qua iniqui Judices privarent ipſum ſi ſuperſtes eſſet tunc quando hora ipſorum erat & poteſtas tenebrarum; quando alij ambitione cæci, alij terrore fracti, nonnulli vecordes, ignari, ignavique omnes ad unum velut Judices verè Juniani, in Valeſium pronunciaverunt. At ſatis dictum eſt de utroque hujus alterius Appendicis Authore; ſaltem quod præſentem locum aut Lectorem ejus ſpectat. Ipſorum verò met, addidiſſe plura, quid interſit? Illi in præſentia neque commentatione, neque rerepreſentatione, neque laudatione aut panegyri hominum egent. Illi modò ſupra ignorantiam, invidiam, malitiam, perſequutionem mundi ſunt. Et,* amodò jam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: opera enim illorum ſequuntur illos. *Ac deinceps quidem illi* in me- Apoc. 14. 13. Pſal. 111. 7.

moria

moria æterna inter juſtos erunt; *nec* ab auditione mala timebunt quidquam. *Immò velut qui, præſtantiſſimè pariter ac ſapientiſſimè* docti, *non tantum ſemetipſos ad Evangelij normam compoſuerint, ſed alios quoque* multos erudierint ad juſtitiam, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. *Et cum hoc elogio Prophetarum Dei ſanctorum de clariſſimis ejuſcemodi viris, eſto nunc ut alterius Appendicis, ita etiam opuſculi totius, quem ab initio præfixi,* Finis.

Dan. 12. 3.

Addita-

Additamentum de Carono Authore Appendicis alterius, &c.

ETſi etiamnum ultra proportionem juſtam excreverit Libellus: quia tamen de *Carono* illo, utpote alterius Appendicis pro multo maxima parte Authore, quique adeò tam fincerè, liberè, & intrepidè haud ijs tantum quæ ex ipſo de *Gregorio* VII. data ſunt, verumetiam innumeris penè alijs in laudato Opere Latino *Remonſt. Hiber.* &c. contra Romanæ Aulæ dogmata, conſcientiam ſuam pro juſtitia, veritate, Religione declararat, curioſus Lector fortaſſe plura cupiet noſſe quàm nudum vel nomen, vel cognomen, aut ſolum, aut Inſtitutum, vel profeſſoris etiam Theologiæ titulum, vel alia denique illa pauca de ipſo hactenus tranſeunter tacta: idcirco haud abs re viſum eſt, ceu Breviculum ejus vitæ, Additamentum iſtoc apponere. *Richerium* enim, quem ſubſidiarium ei ſub finem Appendicis advocavi, quod attinet: illius & ratio vitæ, & excellentia doctrinæ, & diſcrimina magna, & merita ingentia, & quæcumque alia quidem notiora mundo jamdudum ſunt quam ut calamo meo egeant. Habet ille præclariſſimos Galliæ Scriptores admiratione virtutum ejus raptos. Habuitque etiam à triginta annis *Moriſotum*, qui nomen ejus immortale reddidit vel hoc elogio: 'Humanis ſuavitatibus intactus, vultu habi-

'habitumque moris antiqui, qui dignus etiam ab ini-
'micis ſuis exiſtimatus ad quem divinarum huma-
'narumque rerum diſceptatio & judicium deferre-
'tur. Memorabilem cum fecit renovata toties diſ-
'crimina, notumque periculis nomen. Libellulum
'an. ſalutis 1611. ſcripſerat, de *Eccleſiaſtica & poli-*
'*tica poteſtate* ſuadente *Henrico Borbonio* primo Prin-
'cipe, maximis omnium Doctorum ſcriptis æqui-
'parandum, quem verè dicere poſſum, libertatis
'Gallicæ, totiuſque Eccleſiæ Gallicanæ, Regumque,
'& Principum, quotquot ubique regnant, firmiſſi-
'mum tutiliſſimumque Voſumen & Munimen, *&c.*
Porrò & habebit quoque *Richerius* poſthac in omni
gente Catholica innumeros alios nominis ſui præco-
nes novos, ubi Hiſtoria ejus de Concilijs Generalibus, quæ hoc ipſo anno primum prodijt nota ſatis, perlecta, conſiderata fuerit. Quare cum opera mea illi tanto viro ſuperflua ſit, ad inſtitutum nunc, de *Carono* ſolo.

Raimundus Caron Natione *Hibernus*, Patria *Midenſis* erat: quippe in ea parte agri *Athlonienſis* quæ in *Midia* eſt, ac vetuſta quidem *Caronorum* familia Catholica, tractum illum, ad decimum ab *Athlonia* miliare ſitum, ab antiquis diebus incolente, ortus. Ni autem ad *O Nellos*, Gentem inter Hibernos *veteres* longè illuſtriſſimam genus ſuum multa ſæculorum ſerie, velut propago quædam ejus, referunt. Natus eſt circiter annum Domini MDCV. Parentum curâ humanioribus literis imbutus: inclinatione autem propria & divino inſtinctu motus, anno ætatis decimo quinto aut ſexto, Inſtitutum atque habitum Ordinis Fratrum Minorum ſtrictioris Obſervantiæ S. *Franciſci*, idque (ni fallor) in Conventu *Athlonienſi*, ſuſcepit. Novitiatus, quem vocant, exacto anno, profeſſioneque adeò, ut moris eſt, ſolemnium votorum emiſſione facta, *Pontanum*, urbem Hiberniæ orientalem & maritimam, ad ſtudia Philoſophica, quæ tum temporis illic in Conventu Minorum, ac docente quidem ejuſdem Ordinis

Ordinis R. P. *Alexandro Flemming*, habebantur, missus, haud tamen permissus est, ut neque cæteri studentes, eursum absolvere. Impedimento fuit inopinata illa in Conventus Regularium cujuscumque Instituti per totum Regnum persequutio, quæ ut prima omnium quotquot memoria nostra in eo regno exortæ sunt: ita, quando nihil minus timebatur, Duumvirorum Proregum, nempe Cancellarij *Loftusij* & Comitis Corcagiensis *Boyllij*, authoritate cepit: initio scilicet ejus tum *Dublinij*, tum pro more solito, in æde Franciscanorum illic abunde manifestato. Nam solemnia quidem Saluatoris Dei natalitia ab omnibus, *i. e.* ab utriusque communionis cultoribus, celebrabantur, cùm in festo S. *Stephani* protomartyris, hora circiter undecima pomeridiana, adeoque sub ipsius solemnis Missæ tempus, de repente ex mandato prædictorum Pro-regum, qui & ipsi eadem hora prope in Templo *Christi* suæ Religionis sacris intererant, immissus in præfatam Franciscanorum ædem globus militaris terrore omnia replevit, populum Catholicum divinis præsentem fugavit, cœnobitas loci incolas apprehendit, (etsi mox per insanientem plebem ereptos) altaria profanavit, supellectilem omnem diripuit, Sacellum ipsum, Scholam, (quippe illic aliquot jam annos Theologiam publicè docebant RR. PP. *Flannus Grains* & *Thomas Strang*) officinas cæteras, domum denique universam solo æquavit. Quare extemplo cætera omnia in toto Regno & cœnobia & Scholas, præsertim quæ in urbibus erant, dissolvi necesse fuit. Eademque ex causa, & Ministro Provinciali (qui tunc erat R. A. P. *Valentinus Brown*) visum, fratres juvenes quotquot necdum absolvissent studia, binos & binos, prosequendi nempe studiorum gratia, ad Provincias ultramarinas, cum literis celeriter recommendatijs, mittere. Inter quos *Raimundi* nostri *Caron* sors obtigerat, in *Germaniam superiorem* fuisse destinatum. Ibi ad nonnullos annos primùm Philosophiæ, dehinc Theologiæ in Cœnobio Fratrum

trum Minorum *Saltzburgi* fluduit. Inde verò ad Collegium ejusdem Ordinis Hibernorum, quod *Lovanij* Divo *Antonio Paduano* nuncupatum est, literis Superiorum evocatus, hic biennium quoque alterum discipulatus sub magisterio Patrum *Malachiæ Falloni* & *Bonaventuræ Delahoyd* S. Theologiæ professorum egit. Quo quidem tempore ea profectus, ingenij, subtilitatis extraordinariæ, eaque pariter & modestiæ & probitatis morum argumenta dedit, ut communi omnium consensu tum docendæ Philosophiæ in eodem Collegio circa annum Domini 1634. Professor institutus, quadriennio, quod proximè sequutum erat, binos cursus Philosophicos cum summa laude absoluerit: tum postea statim, anno 1639. ad Theologiæ Cathedram ibidem loci promotus, eamdem haud minori cum applausu tenuerit, docens continenter ad annum usque 1649. Enimvero hic ille annus, qui quemadmodum, ob infanda & multiplicia mala quæ advexerat, Hiberniæ populo simul & Regno ipsi fatalis, sic Carono imprimis molestus erat, nimirum tunc ex umbratili vita Scholæ ad provinciam Reipublicæ difficillimam evocato. Quod ut contigerit, nunc dicendum est. Ex occasione censurarum Apostolici Nuncij *Joannis Baptistæ Rinuccini* Archiepiscopi & Principis *Firmani* anno præcedenti 1648. latarum, scisso in duas partes, præcipitatoque etiam in bellum civile atrox contra se invicem universo Confederatorum Hibernorum Catholicæ communionis & populo & Clero, abierunt in easdem partes vel conspicuè admodum & Minoritani Ordinis Fratres: alijs Concilio Supremo & Comitijs generalibus Regni, juxta sacramentum fœderis Catholici, obtemperantibus: alijs contra vel pertinacissimè quidem adhærentibus *Joanni Baptistæ Rinuccino* & *Eugenio O Nello*. Inter hos eminebant Minister Provincialis & Patres Definitorij: idque non tantùm ex sola prædictarum censurarum causa suspendendo, excommunicando, deponendo ab Officijs Regiarum sive pacificarum

Partium

Partium Fratres; quin & nonnullos eorum etsi cæterà graviſſimos & ſanctiſſimos Provinciæ Patres, vel ad communionem quidem laïcam reducendo: verumetiam urbes, arces, Duces, legiones pro virili corrumpendo, ſollicitandoque etiam apertè ad rebellionem. Præ omnibus autem Miniſter Provincialis adeò ſe obſtinatum pariter & perfidum Reipublicæ Fœderatæ hoſtem comprobavit, oſtenditque palam, ut eo nomine á Marchione *Clanrickardiæ* viro licet Catholiciſſimo apprehenſus, & in Caſtro *Athlonienſi* Regio cuſtodiæ mancipatus, inde verò, pœnitentiam ſimulans & promittens meliora, *Jacobi Dillon* equitis aurati opera dimiſſus liber, non modò ad vomitum redierit; ſed multo quàm ante vehementiùs & furioſiùs promovendæ cauſæ peſſimæ incubuerit: & cum ipſo quidem Fratres quotquot ei parebant, belli (nimirum, inter Confœderatos ipſos Romano-Catholicos) longè, poſt hominum memoriam, & impijſſimi, & infeliciſſimi velut totidem faces. Enormia hæc Seraphici Ordinis profeſſorum flagitia, per literas nuntioſque Supremi Fœderatorum Catholicorum Hiberniæ Concilij, ex induſtria in *Belgium* deſtinatos, tandem ſub finem præfati anni 1648. Reverendiſſimo Patri *Petro Marchantio*, viro Belgæ *Leodienſi*, Ordiniſque ejuſdem Franciſcani per Nationem *Germano-Belgicam* adeòque & *Britannicam* & *Hibernicam* quacumque diffuſi Commiſſario Generali, repreſentantur. Porròque etiam & ijſdem literis ſignificatur, brevi fore ut Ordo ille ipſe totus penituſque vel authoritate quidem publica, legeque lata, univerſim in Hiberniæ Regno extingueretur, niſi Reverendiſſima Paternitas ſua homines ejuſmodi nefarios omni poteſtate eccleſiaſtica quam primùm abdicaret, reformaretque deinceps ad Religioſæ vitæ normam. Et hæ quidem literæ atque nuncia, ea ipſa & ſola quidem fuerunt quæ *Caronum* ex palæſtra Scholæ ad aliuſmodi luctam avocarunt. *Marchantius* enim, qui ubique Reformator Inſtituti ſui cum ſumma laude audiebat, quique

quique (Ministro Generali nuper defuncto, nec substituto adhuc Vicario) tum temporis forte, etiam cum suprema ejusdem Instituti potestate, Nationi Belgicæ annexisque Provincijs alijs, adeoque & Hiberniæ præerat, ubi præfatas literas, momentaque representationum omnium seriò consideraſſet; statim conjecit oculos in *Caronum* unum, uti nempe virum in istis rerum atque temporum circumstantijs dignissimum cui vices suas in Hibernia committeret. Itaque ineunte vere anni 1649. hoc est, paulo postquam Hiberniæ populus Catholicus, eousque confœderatus, pace altera & optimis quidem pro Religione conditionibus pacta, in potestatem Regis omnino concessisset, ab eodem *Marchantio* triplicibus literis patentibus tum Judex Delegatus & Executor injunctorum, tum Commissarius Visitator & futuri Provincialis Capituli Præses, cum plenitudine potestatis in utroque foro, super universos Instituti Franciscani Provinciæ *Hiberniæ* Fratres pariter & Sanctimoniales instituitur. Etsi interim neque Deleganti neque Delegato non satis perspectum, cujusmodi causa esset, quam nunc tractandam susceperunt. Utpote, in qua non modò ab una parte, secundum divina jura, & justitiæ læsæ, & Majestati Regiæ, esto communionis alius à Romana, oporteret satisfacere: verumetiam ab altera parte, secundum corrupti seculi morem, necesse foret Romanæ Aulæ & gratiam amittere, & indignationem, odium, persecutionem deinceps per totam viram experiri. At *Marchantius*, vir planè Apostolicus, omnique ambitu major fuit, quippe qui Episcopatum *Namurcensem*, à Principe *Lignio*, ex parte Regis Catholici oblatum, recusavit. Et *Caronus*, divini *Pauli* exemplo, *animam suam pretiosiorem se non faciens*, tamquam *verus Israelita* cupijt *anathema esse* pro salute civium, & fratribus præsertim *qui secundum carnem erant*. Quare sub ætatis initium prædicto anno 1649. trajiciens ex *Belgio* in *Hiberniam*, appellensque *Waterfordiam*, &

post

post alterum diem honorifice ac reverentiâ quidem insolita primùm à *Commissarijs pacis* *, deinde ab *Ormonio*, Majestatis Regiæ in universo regno locum tenente, perbenignè exceptus *Kilkenniæ* Caronus, utrosque statim rogavit, dignarentur salvum conductum præstare Ministro alijsque Fratribus Ordinis, qui tum fortè, majestatis aut accusati aut suspecti, procul inde degebant meticulosi, vel delitescebant inter Cohortes & recessus *Eugenianorum*. Annuerunt tum Prorex tum Commissarij quamprimum. Nec quiequam cunctatus Delegatus, transmisso, simul cum salvoconductu, Patentium delegationis exemplari authentico, Ministrum per amicas literas invitavit *Kilkenniam*. Nectentem portò moras, secundo nuntio, & mandato peremptorio sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ citavit. Et ille quidem comparuit. Verum cum post aliquot dies, sermocinationi mutuæ, & multæ disputationi datos, adeò non obsequentem ut & tergiversantem, & decreta Commissarij Belgici contemnentem, declinantemque judicium regulare comperisset, sedens pro Tribunali Delegatus in Conventu *Kilkennienſi*, præsente universa tum domesticorum tum hospitum communitate, ministrum, qui prope locum Capituli in eodem conventu manebat, semel, iterum & tertia vice citat. Neque tamen ille se præsentem stitit, sed ad tertiam monitionem Secretarium intromisit, cum brevi Instrumento scripto in forma *recusationis* Delegati velut Judicis incompetentis, quòd nimirum datus esset ad instantiam seu requi-

* *Commissarij pacis dicebantur duodecim viri illustres Romanæ communionis qui, post initam cum Regijs alteram pacem communibus Fœderatorum Ordinum suffragijs electi, administrabant vi & tenore* Articulorum pacis, *eam quæ hactenus vocabatur* Fœderatorum Respublica, *sub Pro-rege, & authoritate Regis, abolito* supremi concilij *nomine.*

 sitionem

ſitionem Fratrum adverſariorum, quodque eorumdem familiari uteretur convictu: Quorum illud ſanè falſum, iſtud frivolum. Itaque Delegatus juxta poteſtatem ſibi factam, & inſtructiones privatas, rerumque Provinciæ neceſſitatem, & muneris quo fungebatur obligationem, proceſſit ad executionem: & ſententiâ in ſcriptis prolatâ, & palam lectâ, hominem declaravit Provinciæ regendæ munere depoſitum: addito, ſub excommunicatione latæ ſententiæ aliiſque cenſuris & pœnis, mandato ad omnes & ſingulos Provinciæ *Hiberniæ* Superiores & ſubditos, Fratres & Sanctimoniales, ne depoſito parerent amplius, neve communicarent; atque Depoſitionis Inſtrumentum miſit ad Cœnobia.

P. *Thomas Makiernan*, jam tum, ut relatum eſt, Provincialatu depoſitus, exacerbatus furenſque ex oppido *Kilkennienſi* inſalutato hoſpite elabitur fugâ (quamquam reverâ per ſalvum conductum libero, non erat opus abitu clandeſtino:) atque clancularium extemplò Definitorium, ubi tutior ſibi videbatur, convocat; impotentis animi vindictam evomit; & veluti per Canones liceret, uſurpata Miniſteriatus poteſtate, excommunicationis pœnam (Apoſtaſiæ etiam notâ, ut ex titulo conſtat, inuſtâ omnibus, hæreticæ pravitatis ſuſpicione uni *Valſio*) fulminat in octo vel novem Patres, quorum adverſantem operam præcipuè metuebat, nempe P. *Valentinum Browne*, S. Theologiæ lectorem jubilatum, olim Provinciæ Miniſtrum, P. *Joannem Barnevallum* item Theologiæ profeſſorem, ac nuper Conventus *Dyblinienſis* Guardianum; P. *Patricium Plunket* Athlonienſis Clariſſarum monaſterij Confeſſarium; P. *Joannem Dormerum* Deſerti Guardianum, P. *Antonium Sweetmanum* Confeſſarium & Prædicatorem; P. *Chriſtopherum Plunket* Dublinij Guardianum; P. *Antonium Gearnonum* Guardianum Dundalchiæ, & P. *Petrum Valſium* S. Theologiæ ſtudij *Kilkennienſis* Lectorem: datis inſuper ad monaſteria literis circulatorijs, mandatis, & declarationibus, Cenſurarum

rum in obſequentes P. *Carono* Commiſſarij Belgici Delegato.

Exarſit contumaciâ mali incurabilius, atque ipſo remedio exulceratum vulnus, viſaque ſciſſura longe major. Attamen non deſpondens animum Delegatus Congregationem generalem graviſſimorum ex univerſa Provincia Patrum indicit *Kilkenniæ* ad nonas *Julij*. Dum expectantur conventuri accidit infelici noſtratium fato facinus in cœnobio *Kilkenienſi* ſanè atrox, & quod profeſſores Inſtituti ſeraphici mage quam ante inviſos reddidit apud Hibernos. Porrò monendus eſt Lector, illius res cœnobij peſſimo tum temporis loco fuiſſe. Floruerat aliquamdiu præ reliquis totius Provinciæ monaſterijs, conventus *Kelkennienſis*: Fratres alebat numeroſos, quos pietas commendabat & doctrina, & Concionatores plures avidè & cum plauſu auditos; inibi quoque feruebant ſtudia Philoſophiæ ſimul & Theologiæ publica, ingenti circumquaque confluentium ardore & frequentia celebria. Averſabantur, ſi pauculos demas, omnes perfidiam infractæ pacis, & quos ad conſilia pacifica animos gerebant ipſi, propagabant in auditores. Cum rebus ſuis id obeſſe cernerent, qui partibus *Eugenianis* addicti erant, locumque celebrem, & cæterâ opportunum, in ſua cuperent eſſe poteſtate, depoſiti nuper Miniſtri operâ, ſuarum partium præſidem *Paulum King*, (alias *O Ceangha*) inſtituì curarunt. Deinde extinctis ſtudijs, & Patribus partim quæſitis coloribus, partim pro imperio ablegatis, cœnobium planè dederunt peſſum. Ægerrimè vivebant decem, qui ex quinquaginta ſupererant fratres, atque hi infamiâ apud vulgus laborantes, quòd peſſimè eſſent de republicâ meriti, quòd interdictum ſoli, præter *Dominicanos* ſervarent, quòd *Eugenij* cauſæ quidem adhærerent mordicus, adeò ut cum vicina caſtra haberet, conſilia agitarent de prodenda urbe, ejuſque milite per hortum ſuum, qui forte opportunus erat, recipiendo. His præerat P. *Pa-*

tricius Brenan; etenim *Paulus King*, quamvis post detectam machinationem secundò captus, aufugerat periurij præter proditionem reus. *Valesius*, quem ablegaverat *Minister*, redierat à Concilio revocatus, & jam in Cœnobio cum Delegato erat; ante enim privatas ædes habitaverat sibi suisque à Concilio assignatas.

In hoc rerum statu, post Ministri fugam, & indictam Congregationem, Delegatus conceptam mente restitutionem, reformationemque cœnobij primarij aggressus opere, quoniam contumaciâ plurimâ resistentes comperit nonnullos (erant autem quinque aut circiter, inter quos loci Præses, ipsius Delegati Collega olim *Lovanij* in docenda Theologia) eosque neque rationibus neque precibus jam flecti posse, neque reverentiâ mandatorum Commissarij Generalis Belgici, neque censurarum timore in reluctantes fulminatarum, statuit per cœnobia vicina dispersos, quoad resipiscerent, binos & binos *Kilkenniâ* ablegare: Diemque dixit ad quem se pararent itineri. Portò *Commissarij Pacis*, viri Catholici omnes & Instituti Seraphici amantissimi, per Illustrissimos & Reverendissimos Episcopos *Limiricensem* & *Ardachadensem* vehementissimè efflagitabant exemplum edi in dictum Præsidem & sequaces: atque ex Conventu & urbe *Kilkenniensi* amotos subire expulsionis dedecus, veluti seditionis & turbarum in Republica amatores, authoritari regiæ malè parentes, & violato fœdere Catholico perfidiæ reos: offerebantque simul brachij sæcularis auxilium in protervos. Quippe jam constabat, malo actos genio neque Judicis Regularis, neque supremi Magistratus sententiæ obsecuturos, & omnino non abituros, modò satellitium aut militem non viderent. Quo autem prospectum iret honori Ordinis, & habitus religiosi, voluit Delegatus (ubi jam necessum viderat satellitio uti) non interdiu, neque per plateas urbis excedere, sed vesperi penè sub concubium noctis ex horto

ca nobij

cænobij, quem fluvius alluebat, in ſcapham dimitti, & ſuperato amne ad hoſpitia proxima in agro ſuburbano, tranſvehi, ad cœnobia vicina binos & binos, juxta literarum obedientialium præſcripta, ubi illuceſceret deducendos. Atque hæc quidem Delegatus, prudenti ut videbatur conſilio, & *Commiſſarijs pacis* probato. Affuerunt ab ijs miſſi Illuſtriſſimus Vicecomes *Taaf*, & nobiliſſimus *Jacobus Dillon* equeſtris ordinis vir, circa quartam pomeridianam præſtituti diei, qui authoritate publica exequerentur mandata Delegati, advocato, ſi neceſſum foret, milite. At illi obfirmatis in ſcandalum & tumultum animis, dolos ſtruere diabolicos, per ſeipſos per emiſſarios eadem hora in vulgus in plebeculam, & mulierculas, & viliſſimæ ſortis homunciones, malitiæ tamen ignaros, malignisſimum commentum ſpargere, *Introductos nimirum Baronis Inchiquinij heterodoxi illius Hiberni milites hæreticos, & latere in Cœnobio indutos (ad faciendum fucum populo) habitu Minorum, qui viros religioſos cœnobij incolis, Romanæ ſedi addictos & Legato Pontificio obtemperantes concubia nocte vel neci darent in flumen projectos, vel alio tranſportatos ignotis ergaſtulis includerent crudelius perdendos.*

Mirum dictu, quàm furebat ad horam, veluti ſigno dato, plebecula, effractis Monaſterij portis, & ſuperatis per ruinas quaſdam muris. Neque valuit ad furorem deliniendum quòd in Cœnobio nullos haberent obviam præter Delegatum, Valeſium, & alios quinque vel ſex Patres fratreſque ſocios, qui Delegatum comitabantur ad portam, occurrentis inſaniæ vulgi, & expoſtulantes cauſam ingreſſus adeò temerarij ac tumultuoſi. Quippe Fratres inobedientes, Præſes loci cum afflictis, jam ſe retraxerant ad dormitorium oppoſitum areæ, in qua primùm circumcinxerant Commiſſarium ingenti numero veſanæ mulieres & caterva viliſſimorum plebis. Inde, ridentes & alacres, copiam ſui videndi, apertis feneſtris, ad concitandum altius tu-

multum fecerunt, & ſpectabant læti univerſa. Immò & per emiſſarios fratres duos laicos turbæ immiſtos indigitabant, veluti adverſarios & hoſtes, ipſum patrem Commiſſarium, fratreſque reliquos obtemperantes Prælatorum generalium decretis. Tantùm aberat ut non approbarent excitarentque tumultum, & excitatum ad exitum longè horribiliſſimum perducerent, niſi providentia Numinis obſtitiſſet. Cæterùm ubi increſcere ad momenta ſingula tumultum, nec valere preces nec rationem apud vulgus præoccupatum animadvertit Commiſſarius, & involaſſe modò plebis vim immenſam, pleriſque licet ignorantibus cauſam, ſed alijs velut ad ſpectaculum confluentibus, alijs mirantibus, alijs attonitis ac defixis, multis tamen vociferantibus & imprecantibus dira; ubi ſeditionis capita viragines quaſdam fatuas & furioſas, viroſque pluſquam ſceleſtos frendere, minari, & prendere quæque ad manum, perrumpere officinas omnes, rimari abdita, & ſacra violare conſpexit: ſaluti ſuæ conſulturus in extremo diſcrimine, fugit cum ſuis ad arcem quamdam parvulam in horto monaſterij ſitam. Tunc demum velut æſtro perciti diabolico nebulones ſacrilegi inconditis vociferationibus & inſenſis animis viribuſque ſubito aggreſſi arcem, velut hoſtile receptaculum, fuſtibus armati, & ſcipionibus, ac verubus, diuque multumque arietantes in portam, perrupêre tandem ſeras vectéſque. Scalas ſtrictis mucronibus defendebant quouſque poterant Centuriones duo, viri nobiles, *Chriſtophorus Dillon*, & *Joannes Bellew*, per mediam ſorte turbam illapſi. Verùm his ad deditionem coactis, propulit inſana turba per ſcalas omnes & tabulata fugientes monachos inermes & penè examines. Et jam iſtorum furori & horum internecioni unicus obſtabat aſſer, quo claudebatur feneſtella ſupremæ arcis triſtegæ, qua ad minas patebat exitus. Dum mortis hoc tenue diſcrimen continua pulſatione aggrediuntur; dum Commiſſarius cæterique

Patres

Patres, desperata mundi ope, & salute corporum, ad genua mutua provoluti, pararent cœlo animas exomologesi; dum cæteris confidentior *Valesius* ex minis, seu summitate muri, tanquam ex suggesto ignaræ plebi impostu-ram aperiret, ingrato * populo exprobraret sacrilegij horrorem (ingratum alio, quoniam soli *Valesio* incolumitatem, bona, vitasque civium paulo ante debuerat universa civitas) En inopinatum propitio Deo subsidium. Clangogores tubarum & tympanorum soni auditi, equites peditesque intra cœnobium visi, fluitabant vexilla militaria, fulgebant gladij, tonabant Bombardæ, classicum canebatur; dispersa puncto temporis multitudo fatua; arrepta fuga per nota, per ignota, per devia, per abrupta, per præcipitia, per murum, per ipsum fluvium. Illustrissimus Comes *de Castlehaven*, vir Anglus sed Catholicus, & equitum universæ *Hiberniæ* Præfectus, (in ipso tumultus fervore ex castris *Dublinienſibus* forte appulsus, ut Concilium adiret) *Commissarij pacis*, insuper & Vice Comes *Taaf*, & Prætor urbis, arcem simul ingressi, gratulantur Commissario & fratribus obedientibus sospitatem. Abducti in præsentia contumaces, Præses sequacesque, ex Conventu, traduntur ex mandato Commissariorum pacis, & magistri Equitum, Prætori urbis & satellitio, tanquam authores seditionis periculosissimæ, & Majestatis rei. Quamquam honori Ecclesiasticæ professionis, & Instituti religiosi, & habitus *D. Francisci* ita prospectum est, ut in custodia honorificentissima & commodissima, in ipso Pro-regis palatio, non in ergastulo aut carcere ser-

* *Scilicet ante biennium*, Eugenius *castris ad decimum ab urbe lapidem positis*, *Prætorem*, *Senatumque* Kilkennien-sem *neci & supplicio destinaverat*, *urbem ipsam militari licentiæ*, *& direptioni*. *Porro factum est solius* Valesij *opera*, *ut in gratiam cum* Eugenio *&* Nuncio *urbs redierit & servaretur*.

varentur: neque ſeverius eſt in ipſos animadverſum, quàm ut elapſo triduo parentes jam Delegato ad cœnobia deſtinata amandarentur. Itaque poſt triduum bini & bini cum literis Commiſſarij ablegantur aliò; Præſes in *waterfordienſi* ſeu *Manapienſi* Conventu incluſus ad aliquot ſeptimanas in cella cujuſdam Dormitorij, ceu *diſciplinæ domo*. Inquiſitum poſthæc ex mandato Proregis in capita inſani vulgi, in tumultus & ſeditionis faces. Viris alijs fugientibus, alijs beneficio noctis facie ignotis, decreta eſt ſententia capitalis in *Margaritam* quandam lotricem Præſidis & aſſeclarum, quæ primas nota erat habuiſſe in concitatione vulgi, & in medio urbis foro erectum patibulum. Verùm poſtquam ſcalas aſcenderat, funiſque collum cinxerat, parcitum eſt etiam huic; parcitum ſimiliter cæteris omnibus ad inſtantiam *Commiſſarij* & *Valeſij*: mutatâ nihilominus ancillæ pœna in pœnitentiam Eccleſiaſticam & publicam, ex arbitrio Antiſtitis Diœceſani. Quam concionante *Valeſio* ad populum, præſente eodem Antiſtite Reverendiſſimo, Commiſſarijs & Magnatibus (qui tum in urbe) induta ſyndone peregit inter miſſarum ſolemnia, in ejuſdem Cœnobij *Kilkennienſis* Eccleſia, die Domini proximè ſubſecuta.

Compoſito, quantum per temporis anguſtias, inſtante Congregatione, licuit, per Commiſſarium Conventu, confluxere ad ſtatum diem, id eſt ad *Nonas Julij*, Patres advocati. Erant circitur 50. viri graviſſimi, muneribus varijs, & nonnulli præcipuis, in Provincia ante litem ortam perfuncti, pluresque etiamnum regentes in cœnobijs diverſis. Prima conſeſſus die affuerunt Illuſtriſſimus *D. de Caſtlehaven*, & poſt ipſum quatuor Regni Conſiliarij, Reverendiſſimi Epiſcopi *Edmundus Limiricenſis* & *Patricius Ardachadenſis*, & nobiliſſimi viri *Nicolaus Plunket* & *Zepherinus Brown*. Ille Proregis nomine, hi à *Commiſſarijs* Pacis delegati Commiſſario Præſidi querelas depoſuerunt enormes contra Miniſtrum Provincialem, Patres Definitorij, plurimoſque

que alios Conventuum diverſorum Guardianos & Prædicatores. Exhibito in ſcriptis catalogo nominum, incuſarunt eos Majeſtatis læſæ, violati fœderis Catholici, ſpreti aſſociationis Juramenti, ſeditionis, turbatæ Reipublicæ, & plurium conamium impiorum. Rogarunt punirentur juxta leges Ordinis, atque incolumitati publicæ, quantum ad Ordinem ſpectabat, proſpiceretur, niſi univerſos Inſtituti ſodales regno vellent extirpari. Exhibiti præterea ipſorum Ordinis fratrum libelli varij contra Miniſtrum, Definitorium, & ſequacium nonnullos. Recedentibus præfatis Illuſtriſſimis & Reverendiſſimis D. D. conſultum diebus aliquot inter Præſidem & Patres de remedio malorum. Itum in hanc ſententiam, ut quoadusque Reipublicæ & Regiæ Majeſtatis hoſtibus adhærerent accuſati, arcerentur muneribus & officijs quibuſcunque. Deinde reſtituti in integrum Patres omnes qui ad Commiſſarium *Belgij* appellaverant, ſpeciatim provinciæ Pater Reverendus admodum *Valentinus Brown*, P. *Georg. Dillon Galviæ* Guardianus, & P. *Valeſius* ſtudij Theologici *Kilkennienſis* Lector. In hunc finem lectæ in media congregatione Reverendiſſimi *Marchantij* Patentes ſpeciales, quibus ita reſtitutos declaraverat. Poſthac deſignati recipiendis Novitijs, & Recollectioni Conventus, juxta ejuſdem Reverendiſſimi Commiſſarij *Belgici* patentes, ac Pont. Romanorum conſtitutiones. Inſtituti præterea Præſides in cœnobijs urbium aliquot adjacentium, *Manapienſi*, *Wexfordienſi*, Roſpontenſi, Iniſgorthienſi, ut etiam *Kilkenniæ*. Neque enim per authoritatem ſupremi Magiſtratus, (nequidem Catholici) licuit præeſſe Præfectos eorundem locorum à Miniſtro, ſuiſque deſignatos in Capitulo intermedio præcedenti, utpote celebrato contra edictum ſolenne Comitiorum generalium regni, indicta læſæ majeſtatis pœnâ in convenientes. Etenim promovendæ ſeditionis ac turbarum ergo inſtitutos fuiſſe manifeſtum erat, tum ipsâ conventione, tum opere ſubſecutâ. Denique unanimi conſenſu nominatus

Pro-

Procurator, & deſtinatus ad partes ultramarinas R. Pater *Georgius Dillon*, cum literis Delegati Actiſque Congregationis, Commiſſarium generalem Nationis *Belgicæ* de ſtatu Provinciæ certiorem facturus. Cætera verò omnia, nimirum ſive quæ Capitulum de *Roſſtrial* (ultimum ſcilicet ſeu præcedens iſtud *Provinciale*, quod tantorum malorum erat ſeminarium) ſive quæ Miniſtrum nuper depoſitum, aſſeclaſque i iſſinitorij ſpectabant, & cauſæ id genus reliquæ (quòd pars adverſa Congregationi non intererat, niſi forte per Procuratores inidoneos, vel potius exploratores actorum Congregationis) dilata ad futurum quod expectabatur ſequenti anno Capitulum Provinciale, ſeu exercitium, & executionem tertiarum patentum Delegati; videlicet cum tempore oppórtuno juxta Provinciæ leges viſitationem obiret, quam niſi quadrimeſtri ante finitum triennium per conſtitutiones *Hiberniæ* non licebat incipere. Quare finitis omnibus quæ poterant in præſentia tractari, decimo quarto die ab ejus incaptione, Delegatus Congregationem diſſolvit, Patreſque in multa pace dimiſit.

Quæ autem præſentis anni reliqua parte, immò quæ ab ejus incepto primùm hoc Delegationis munere ad finem uſque alia plura vel fecerit vel paſſus fuerit *Caronus*: quæve ſtragem fugamque *Caſtrorum Dublinienſium*, & ſolutionem *obſidij London-Derrienſis*, & appulſum *Cromwelli* cum exercitu viginti millium veteranorum, & *Lageniæ* urbes *Pontanum*, *Wexfordiam*, *Roſpontum*, *Carrigiam* expugnatas; *Momoniæ* verò & *Tochaliam*, *Corcagiam*, *Bandonbrigiam*, *Kinſaliam* vel à Gubernatoribus quidem unà eodemque tempore proditas: aut quæ deinceps, tum ſucceſſibus ferociente hoſte communi illo, tum peſte mortaliſſima ubique per Provincias graſſante, tum etiam diſcordiæ malo (quod maximum omnium erat) indies augeſcente, ipſaque Regni vitalia exedente, fractam penitus authoritatem Regiam: quæ deinceps inquam *Caroni*, reformationiſque illius ejus *Hiberniæ Provinciæ* fratrum, ſic ut dictum

ſtum eſt inceptæ, fortuna ſuerit: nec hujus loci, nec Breviculi eſt referre. Illud ſufficiat in præſens animadvertere, quòd licet omnia ejus, Congregationiſque illius *Kilkennienſis* acta, & Provincialis Miniſtri depoſitio, & cenſuræ in cæteros inobedientes latæ, ex *Belgio* fuerint novis literis per Delegantem ipſum Reverendiſſimum P. *Marchantium* confirmata: non ſic tamen per *Romanam Curiam*. Multo certè aliter iſtic. Vertente anno, ubi *Romæ* cognitum fuit, labefactatam in *Hibernia* partem Regiam, & robur ejus fractum, & nihil amplius fore quod à Regimine Regis illic timeretur: prædicta Curia, ſuis rebus ad omnem occaſionem intenta, mox curavit per *Danielem à Dungo*, utpote & virum Italum, & Vicarium novum Generalem totius Ordinis, adeoque *Marchantio* Superiorem, non modò *Caroni* Commiſſiones ſive literas patentes omnes & ſingulas revocari, annullarique etiam Acta ejus quæcumque; ſed contrariæ partis prorſus tum *Rinuccinianæ* tum *Eugenianæ* virum, & virum planè zelotam, loco ejus inſtitui. Hoc eſt, virum qui omni arte, marte, injuſtitia, violentia, furore fratres obedientes, eos inquam omnes qui tam Regimini Regio in temporalibus, quàm Ordini, ſeu Commiſſario Generali Belgico in ſpiritualibus eouſque obedirent, perſequutus eſt: quemadmodum clariſſimè vel in ſequenti quidem proximè Capitulo Provinciali, apud cænobium de *Kilcorel* tento, Actiſque etiam ſeu Statutis Provincialibus in eodem conditis apparuit. Atque ita conatus omnes æquiſſimos viri illius pij P. *Caroni*, deploratiſſimo & corruptiſſimo quidem Provinciæ ſuæ ſtatui reformando impenſos, *Curia Sancta* in contrarios vertit.

Verumtamen haud idcirco aut commotus aut diſſimilis, aut non conſtans ſibi *Caronus*. In *Belgium* anno 1651. reverſus, & in Cænobiis *Gandenſi* & *Antwerpienſi*, ſtudio Religionis Catholicæ promovendæ vacans, Opuſcula duo ſcripſit, ediditque prælo:

prælo: alterum cui titulus *Roma Triumphans*: alterum, *Controverſiæ generales*. Nec tamen vel propterea, vel interim ceſſavit malignitas ab eo perſequendo. Necdum Romanorum Curialium deſedit ira. Ex S. *Iſidori* Fratrum Minorum Hibernorum Collegio, quòd *Romæ* eſt, miſſi quidam Circumcelliones duo gyrovagi, quorum alter Hibernus *, & Italus alter, opera Reverendiſſimi Patris *Petri Manero* viri Hiſpani literas ſive mandata à Rege Catholico ad *Leopoldum* Archiducem, Belgij Gubernatorem, impetrant, quibus præcipiebatur *Caronum* unà cum ſeptem alijs ejuſdem Inſtituti & viæ Hibernis Fratribus confeſtim ex *Belgio* ejici, ac porrò quidem ex omnibus Imperij Hiſpanici Dominijs velut æternùm extorres declarari. Nimirum, diabolica ſuggeſtio erat, *Eoſdem omnes in exercitu Belgico habitum ſecularem indutos non modò Sacellanorum ſed proditorum obire munia, corrumpendo legiones & Hibernos milites inducendo ad Oppida & Fortalitia Gallo tradenda.* Verùm examinata in *Belgio* re per *Leopoldum*, apparvit in omnibus & ſingulis articulis, circumſtantijſque, vel ad iota quidem atque apicem unum, maligni alicujus dæmonis commentum. Adeò hic *mentita eſt iniquitas ſibi*, & eminuit ſupra malitiam innocentia, nec illius tantùm qui primo loco petebatur; ſed & una reliquorum eorundem omnium Fratrum qui ſimul cum ipſo incuſati erant.

* *Huic nomen erat* Daniel mac Ulckia.

Poſthæc Dominarum civium exulantium, nempe Sanctimonialium pauperum *S. Claræ* Inſtituti, in *Belgium* nuper ex *Hibernia*, quippe jam *Cromvelli* armis undique ſubjugata, religionis ergo appulſarum curæ, proviſionique adeò ipſis etiam de veſtitu, victu, habitaculo faciendæ, per Commiſſarium Generalem Belgicæ Nationis P. *Jacobum de Riddere*, Marchantij ſucceſſorem applicatus: in hoc præcipuæ charitatis officio erga virgines illuſtriſſimas

(tales

(tales enim ut vita, ſic ortu erant) ultra biennium poſuit. Neque earum curam prius depoſuit, quàm ipſis *Dietæ* in *Gallia* ut de alijs omnibus neceſſarijs, ita etiam de *Clauſura*, quemadmodum decuit, providerat. Hac autem proviſione tandem facta, atque alio, qui deinceps eas curaret, ſubſtituto, ipſe *Pariſios* ad Reſidentiam novam Fratrum ſui Ordinis & Nationis (immò etiam & opinionis) ex licentia prædicti Commiſſarij Generalis Belgici *Jacobi de Riddere* profectus eſt. Ibidem verò ſub obedientia R. P. *Georgij Dilloni* (ejus nempe viri optimi, quem ipſemet jampridem ex *Congregatione Kiltennienſi* in *Belgium* amandaverat) commoratus, Theologiæ Gallicanæ ſtudio, ad aliquot annos, ſe totum dedidit: *Pithovij* imprimis, & *Richerij*, atque *Petri de Marca* Archiepiſcopi nuperi *Pariſienſis* lectioni intentus. Quouſque enim hac vice *Pariſijs* conſederat, Authoreſque iſtos, quemadmodum & alios *Sorbonicæ Scholæ* paulò vetuſtiores, maximè *Gerſonium* perlegerat, plus nimio ſemper Ultramontanorum Theologiæ addictus, Papales canones, Definitiones, Conſtitutiones, adeoque & beneplacita omnia *Romanæ Curiæ* tamquam divina quædam oracula venerabatur. Nimirum in ea parte, ſi non *Lovanienſis* Academiæ, ſaltem Collegij S. *Antonij Paduani* illius Urbis Fratrum Minorum Hibernorum Scholæ conſuetudini, & conſuetudini quidem inveteratæ, cuique præterea tot annos ipſe jam aſſueverat, morem gerebat. Quippe conſuetudo iſta Collegij hujus profeſſores Theologiæ per vices obligabat, Diebus omnibus Dominicis ac Feſtis per totum anni circulum, excepto vacationum tempore, *Bellarmini* dogmata omnia, ex ejuſdem Authoris ſenſu, publicè coram Collegio univerſo, tam Philoſophis quam Theologis, & pro cathedra quidem propugnare; quantumvis interim adverſante judicio interiori proprio. Igitur *Caronus*, ut Hibernica miſſione olim, *i. e.* ante ſexennium, ab ejuſmodi tum conſuetudinis

dinis tum obligationis jugo emancipatus fuit: ita nunc *Pariſienſi* ſtudio ab effectibus utriuſque liber, & qua Theologum deceret, quave judicium, ſenſum, doctrinam ſanam attineret, ſui juris utique factus eſt. Quo autem, ut priora talenta etiamnum curaviſſet, ſic poſterius hoc talentum novum curaret ſe poſſe cum fœnore Patrifamilias Magno repoſcenti reddere: ſtudium omne deinceps ſcribendo Operi novo impendit. Quod tamen dum pararet, ſubſecivas horas curandæ impreſſioni *Apoſtolatus* ſui dedit; utpote Libri, cui ultimam penè manum ante nova hæc ſtudia impoſuerat, cuique titulus integer eſt, *Apoſtolatus Miſſionariorum per univerſum Mundum.* Pariſijs An. 1659. prodijt: & in Ordine tertius eſt Librorum *Caroni.* Quartum verò illum novioris ſtudij, ut majoris molis pariter ac potio.is difficilioriſque argumenti, indefeſſo labore tandem, in hyeme An. 1661. *Pariſijs* abſolvit: eique titulum hunc præfixit, *De Sacerdotio & Imperio*; in imitationem, ut ſuppono, illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis *Marcæ* Diſſertationum, quæ *De Concordia Sacerdotij & Imperij* inſcribuntur. Finis autem ad quem, poſt Deum, in hoc opere novo componendo reſpiciebat, haud alius erat, quàm Gentis ſuæ Romano-Catholici Cleri oculorum demum, ſi fieri poſſet, apertio. Certè tam aſſiduo quattuor vel quinque annorum ſtudio *Pariſienſi*, labore tam improbo & cura indefeſſa, qualia neceſſe erat Operi huic abſolvendo impendi, eo unicè collimabat Author pius, ut in *Eccleſia Hiberaica* tandem aliquando ceſſaret ea *Romanæ Curiæ* Decretorum ſuperſtitioſa veneratio, quæ toties intra centum hoſce ultimos annos, noviſſimè autem memoria noſtra Eccleſiam ipſam, Religionem, populum ipſum Catholicum penitus in ea *Sanctorum Inſula* deſtruxit. Verùm, utcumque ſit de fine præſtituto, Opus ipſum in autographo manu propria ſcriptum, ubi jam *Pariſijs* hyeme præfata, quæ reſtitutionem Regis proximè ſequebatur, anno

(ut

(ut dixi) 1661. absolutum erat, Author secum apportans, trajectoque mari *Londinum* appulsus, *Valesio* mox legendum communicavit. Cui paulò post, insigne Opus, mutataque adeò Scholæ *Lovaniensis* vetera præjudicia, gratulanti, ingenuè respondit, *Parisijs primùm apertos sibi oculos.* Cæterùm, inquit, ne quam lucernam accendit mihi propitium Numen ponerem sub modio, jam quadriennium & ultra posui in hocce candelabro efformando: ut in ipso ea posita, omnibus saltem qui in Ecclesiæ *Hibernicæ* domo sunt, non minus quàm mihi ipsi luceat. Ac ita quidem ille tum temporis & futurum speraverat, & sibi proposuerat: idque adeò, ut in eumdem finem, jam in procinctu esset ad typos. Attamen, qui proposita hominum & momenta rerum in manu sua habet, aliter disposuit Deus. Nam & *Valesius*, monendo revisionem Operis præviam, typos illos in præsentia distulit: & *Hibernicæ Remonstrationis* causa, quæ tertio mense posthæc emerserat, eosdem sine die ad præsentem prorogavit.

Nimirum emergens hæc nouissima *Remonstrantiæ* controversia cogitationes omnes utriusque, & Valesij inquam & *Caroni*, à prioribus quibuscumque studijs avocavit. Certè *Caronum* quoad vixit exercuit: uti & *Valesium* tum interea, tum postea etiam septemdecim alios annos ad hunc ipsum Domini 1683. Sed narrationis ad filum atque ordinem redeo. *Caronus*, ex ea *Valesij* monitione dum præfata hyeme Anni 1661. revidendo illi suo Manuscripto (*de Sacerdotio & Imperio*) attenderet, invitatus in *Cambriam* ab Illustrissimo D. nunc Comite *Powisio*, viro Catholico, quocum *Parisijs* ante familiaritas ipsi multa, eò secessit, mansitque ibidem in *Powisiana* domo aliquot menses, ad æquinoctium usque vernum, aut circiter. Quare nec *Londini* erat quo tempore præfata *Remonstrantia* illic primùm vel agitata vel subscripta fuit à ceteris Ecclesiasticis Hibernijs: nec quidquam de ea sciebat

ante

ante præsentationem ejus Majestati Regiæ factam. Postea autem, hoc est, ubi primùm de re inaudierat, cum festinatione rediens, quo fidelitatem suam Regi testaretur, eidem *Remonstrantiæ*, post alios quidem, verùm ante impressionem ejus, alacriter subscripsit. Quanti autem ipsi festinatio ista & alacritas, quàm magno inquam otij quietisque dispendio, quàm continuo deinceps per reliquum vitæ studio & labore sterit, jam videbimus.

Enimverò de Hibernica ista *adversus potestatem Pontificiam deponendorum Regum* seu Remonstratione, seu professione ac protestatione, quamprimùm (neque amplius ex ambigua fama, sed Instrumento ipso cum subscriptionibus *Londini* excuso) *Romæ* constabat, mox Aula illic infremere, Congregatio *de propaganda* indignari, Pontifex ipse Maximus & Beatissimus *Alexander* VII. eam in consistorio declarare non tantùm repullulantis *Hydræ* caput unum, sed damnatum quoque jamdudum, idque tum in forma juramenti Anglicani à *Paulo* V. tum in Tribus Articulis ab *Innocentio* X. Et Cardinalis *Franciscus Barberinus*, & Internuntius Belgij *Hieronimus Abbas Montis Regalis*, velut ex mandato *Alexandri* contra eamdem literas vehementissimas & multiplices quidem scribere: alias *ad Præstantes viros Hiberniæ*: alias ad Clerum ejusdem Regni: plures ad Commissarium Generalem Nationis *Germano-Belgicæ* Ordinis Seraphici: unas ad Episcopum *Dromorensem*: omnes autem ad cohibendos alios à subscribendo; quique jam subscripserant, terrendos ad resigendum. Hæc sanè prænuntia erant tempestatis illius in eosdem Remonstrantes, sive Formulæ subscriptores Ecclesiasticos, imprimis *Valesium* & *Caronum*, quæ sequuta fuit. Eaque ipsa erant quæ extemplo infinitum penè numerum *Antiremonstrantium* velut uno partu effuderunt in *Anglia*, *Hibernia*, *Belgio*, *Germania*, *Hispania*, *Italia*, ubique per *Europam*: genus hominum ut vagum & vanum ac plerumque indoctum, ita inverecundum, audax, loquax,

loquax, & unius quidem oris, nullius autem cerebri aut oculi, adeoque *monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.* Cum iſtiuſmodi hominibus, qui *Andabatarum* pugnabant more, nec aliud telum vibrabant, quàm hiatu magno clamitantes *Pontificem Maximum, Congregationem de propaganda Fide, Cardinalem Franciſcum Barberinum, Hieronimum de Vecchijs Internuntium Belgij*, Caronus pro Remonſtrantium Fratrum cauſa neceſſe habuit confligere. Attamen quocum primò in arenam deſcendit, idque priuſquam aut Conſiſtorij Romani, aut Cardinalis Barberini, aut Hieronimi de Vecchijs literæ prodijſſent, Hibernus homo erat neque Scholaſticæ doctrinæ nec acuminis expers, P. *Bernardus Fallonus* in Collegio D. *Antonij Paduani Lovanienſis* Fratrum Minorum *Hibernorum* S. Theologiæ Lector, quemque inter & *Caronum* multa olim neceſſitudo interceſſerat. Hic epiſtolam ſatis longam, quippe *Bellarmini* aliorumque iſtius viæ Authorum ſubtilioribus pleriſque argutijs refertam, ſub initium Aprilis præfati anni 1662. contra ſupradictam *Formulam*, ut planè illicitam & acatholicam *Lovanio* ad *Caronum* ſcripſit. Cui epiſtolæ privatæ quamquam alia ſimiliter privata mox reſpondiſſet *Caronus*, ejus tamen occaſione, utque ſerpenti contradictionis malo, quà poſſet, occurreret, intra ſexaginta dies proximos, initio æſtatis prædicti anni 1662. opuſculum ſuum *Anglicanum* (cui titulus, *Loyalty aſſerted*) præfatæ Formulæ defendendæ, adeoque & Pontificis quæ prætenditur ad deponendum Reges authoritati refutandæ emiſit prælo in lucem. In quo Libello, præter rationes Theologicas, ſuffinctè quidem, ſed tamen dilucidè ac ſufficientiſſimè ad intenti evictionem datas, id ſingulare eſt, quod ſupra ducentos quinquaginta Authores Catholicos pro doctrina *Remonſtrantiæ* adverſus contrariam adducit. Sub ejuſdem quoque Libelli finem reſpondet Orationi, quam pro contraria doctrina, adeoque Pontificis Maximi deponendorum Regum

poteſtate, Cardinalis *Perronius*, in Comitijs *Franciæ* generalibus ad Ordinem plebeium *Pariſijs* 18 Cal. Febr. 1617. habuit. Ubi proculdubio nonnihil pleniùs ad phaleras & figmenta reſpondiſſet, ſi prius contigiſſet ei videre *Jacobi Magnæ Britanniæ Regis* accuratiſſimam invictiſſimamque Reſponſionem * quæ *Londini* An. 1616. contra eamdem Orationem prodijit. Cæterùm, ſi quid in Opuſculo iſto *Caroni* Anglicano deſideres, id abundè ſuppletum atque compenſatum habes in Opere ejus Latino idem argumentum proſequente.

* *Titulus huic reſponſioni eſt: Sereniſſimi Jacobi Magnæ Britanniæ Regis, &c. Declaratio pro Jure Regio ſceptrorumque immunitate, adverſus Illuſtriſſimi Cardinalis Perronij Orationem, &c.*

Ad hoc autem majoris & molis & ſtudij opus, quæ impulerunt, quatuor imprimis erant. 1. Tum *Romani Conſiſtorij* ſeu Pontificis Maximi præfata Declaratio, tum *Franciſci Barberini* & *Hieronimi de Vecchijs* variæ literæ antedictæ eandem Declarationem publicantes. 2. *Facultatis Theologicæ Lovanienſis* cenſura duplex ſimiliter in Remonſtrantiam & ſubſcriptores: prior, utcumque Academica †: poſterior, prorſus Aulica: ambæ diverſis chartis ac tenoribus per Decanum & reliqua Facultatis Membra ſubſignatæ, ac poſterior quidem 29. Decem. 1652. data. 3. Reverendiſſimi P. *Jacobi de Riddere* Ordinis S. Franciſci Nationis Germano-Belgicæ Fratrum Minorum Commiſſarij Generalis literæ Bulæ [illegible]

† *Hæc numquam vidit lucem: nec de ea aliud conſtat, quàm quod* Sinnichius *Patri* Gearnono *reſpondit*, Miſimus Romam: placuit Pontifici: reſervat in ſua tempora. (Hiſt. Remonſ. pa. 101.) *Excipe tantum quatuor ejus fundamenta primaria, quæ contra* Valeſius *in* Hiſtoria Remonſtrantiæ *diſputat à* pag. 117. *ad*

nia) datæ, ſuperſcriptæque ad *Caronum* ipſum *Londini* exiſtentem: quibus nimirum ipſe unà cum cæteris omnibus ſui Inſtituti ſubſcriptoribus, *qui ſeſe iſti rei immiſcuerant*, citabantur ad comparendum vel *Romæ* coram Miniſtro Generali, vel ſaltem *Bruxellæ* coram eodem Citatore, *rationem ſui illius Actus in alterutro loco reddituri, quo nimirum Sanctæ Sedi ſatisfierit.* 4. *Congregationis Nationalis* ejuſdem Inſtituti Patrum in Cœnobio *Antwerpienſi* habitæ *Actum* (ut vocatur) iſtud ſolenne in eoſdem Remonſtrantes 18. Sept. 1663. & factum, & ab omnibus illic congreſſis ſubſcriptum, quo præter alia declarant, non modò *ejuſmodi attentata ſe velut ſchiſmatica deteſtari*, ſed nec *eorum authores vel fautores pro genuinis fratribus agnoſcere.* 5. *Hibernicè Cleri* pro multo maxima parte ignorantia eorum penè omnium quæ contra Pontificiam deponendorum Regum poteſtatem faciunt. 6. Denique tum *Lugarij* illius *Angli* Sacerdotis oppoſitio, de qua ante, tum Remonſtrantium ipſorum Fratrum preces atque efflagitationes. Et hæc quidem, illa ipſa erant quæ virum optimum non modò impulerunt, ſed quaſi jure ſuo compulerunt & coegerunt ad Latinum illud Opus, quod poſtremum ejus vitæ ſive Scriptorum fuit. Itaque & juſtiſſimæ cauſæ defendendæ, & Gentilium ſuorum cæcitati (quod *Remonſtrantiæ* illius doctrinam ſpectat) illuminandæ, biennium aliud eum ſemeſtri impendit, omni animi contentione ſtudens.

Interea quoniam forte fortuna *Londini* acciderat *Valeſij* pariter & *Caroni* cum præfato Internuncio Apoſtolico perſonalis congreſſus: non abs re erit, ut idem contigerit, quæque in eodem ab utraque parte dicta ſunt, hic referre. Illuſtriſſimus D. *Hieronymus de Vecchijs* Eurgundiæ & Belgij Internuncius Apoſtolicus, uti & Hiberniæ rerum, ex mandato Sanctiſſimi Domini, Superintendens, per *Angliam* ex *Gallia*, nimirum à *Legato illic à Latere*, Eminentiſſimo Cardinale *Chigio* (quem *Pariſi-*

ſerat) *Bruxellam* rediens, habitu ſeculari aſſumpto, velut incognitus, *Londinum* (in Septembri An. 1664.) venit. Eodem fortè, & paulo ante, licet ex diverſiſſima cauſa, *Valeſius* ex *Hibernia* reverſus fuit. Qui, audito Internuncij, quantumcumque incogniti, appulſu, quamprimùm, mediante Reverendo D. *Patricio Ginneo* Sacellanorum Reginæ uno, Dominationi ejus Illuſtriſſimæ ſignificavit, non defuturum ſe officio ſuo erga Pontificis Maximi *Internuncium*, modò id non ingratum fore intelligeret. Conſtituto loco, die & hora, convenerunt utrimque, hinc Illuſtriſſimus comitante ipſum præfato R. D. *Patricio*, inde *Valeſius* & *Caronus*, in area quadam Palatij *Somerſetani* ſub dio; ubi per tres horas, à decima antemeridiana ad primam, colloquuti ſunt. Poſt ſalutationes, *Valeſius*, ut qui non modò congreſſum deſideraverat, ſed tamquam Hibernici Cleri utriuſque, Secularis & Regularis, procurator, in cauſa *Remonſtrantiæ* primas habuerat, exorſus, ubi oratione ad mediam horam continuata, rationem, occaſionem, motiva, neceſſitatem, finem, quæque pro bono Regni & quiete *Eccleſiæ Hibernicæ Romano-Catholicæ* ſequuta erant ejuſdem Inſtrumenti effecta explicuiſſet: ubi etiam, quod caput rei erat, cum fiducia multa aſſerviſſet, nihil in ea *Formula* aut annexa illi *petitione* contentum, quòd non fidei Chriſtianæ conſonum, quodque ut ejuſcemodi, etiam diebus noſtris, etiamque tum temporis, ab *Eccleſia Gallicana* & Scholis ejus non eſſet propugnatum: demum concluſit expoſtulando ſimul & mirando, operam tum à ſua Denominatione tum ab Eminentiſſimo Cardinale *Barberino* impenſam in ejuſmodi epiſtolis ad Optimates, Clerum, & populum *Hiberniæ*, quales ſcripſerant; præter ſingularem ſuæ ipſius Dominationis in procuranda (adverſus eamdem *Formulam*) cenſura *Facultatis Theologicæ Lovanienſis* adhibitam. Reſpondit Internuntius, *Sanctiſſimus Dominus veſtram Formulam condemnavit.* Ad hæc *Valeſius:* præterquàm quod nec-

dum

dum authenticè, vel canonicè conſtet de ulla ejuſcemodi Pontificia condemnatione; res in ſtquido eſt, quod Sanctitas ſua malè fuerit informata, non ſolùm quoad occaſionem, expedientiam, neceſſitatem, fineſque, uſus, & effecta, ſed materiam quoque ſeu contenta illius Inſtrumenti. Idque in eundem planè modum, quo *Paulus* V. olim An. 1606, in cauſa Juramenti *Anglicani* (quod *Allegiantiæ* vocant) deceptus fuit à *Parſonio* Jeſuita Anglo, Cardinali *Bellarmino*, & ſex vel ſeptem alijs Theologis, ab eodem Papa deputatis ad referendum ſenſa ſua de juramento iſto quod occaſione vel ex cauſa *proditionis pulveriæ* à *Jacobo* Rege, Regnique Comitiorum ejus temporis authoritate, formatum injunctumque fuit. Tum *Internuncius* nonnihil excandeſcens: *Ego*, inquit, *informavi*. Sed *Valeſius* iterum: *At cum pace veſtra Illuſtriſſime Domine, neque rectè neque bene informaviſti*: manifeſtis rationibus idipſum probans. *Caronus* verò, qui hactenus ſiluit, nunc ſubſidio veniens, & multa alia ſuperaddens, & hoc ſpeciatim urgens, *Dominatio Illuſtriſſima vel unam quidem in ea Remonſtrantia clauſulam, propoſitionem, aut expreſſionem indigitaret quæ contra Fidem Catholicam vel doctrinam ſanam eſſet*: ubi demum ſimiliter concluſiſſet affirmando poſitive, eamdem *Formulam* quoad omnes & ſingulas partes, ſenſuſque & reſpectus, tum Chriſtianæ Fidei, tum Catholicæ doctrinæ conformem: *Internuncius* reſpondit, *Vos ita cenſetis*; *Sedes autem Apoſtolica aliter cenſet*, nec aliud præterea. Cui reponunt uterque *Valeſius* & *Caronus*, ſed viciſſim, unus poſt alium, Quòd allegata ejuſmodi generalia de Sedis Apoſtolicæ ſenſu, ad rem non eſſent. Quòd oporteret vel originale Decretum ipſum, vel authenticum aliquod ejus exemplar produci. Quòd ſecundum Juris utriuſque Doctores, ne Cardinalium quidem literæ, in iſtiuſmodi rebus, fidem ita faciant, ut ipſis neceſſariò aut credendum aut obediendum ſit. Quòd Pontificis ipſius privatæ literæ, ſi re-

vera forent vel etiam agnitæ, nullam obediendi necessitatem imponunt: immò neque Brevia neque Bullæ ejus in præsenti aut similibus controversijs. Quòd Papæ Infallibilitas, neutiquam spectaret ad Fidei Christianæ aut Catholicæ doctrinam. Quod *Sedes Apostolica, Romana Curia, & Catholica Christi Ecclesia*, tria inter se mutuò multum differentia essent. Quòdque nihilominus cum harum omnium replicationum veritate certa & constanti benè consisteret ea sive reverentia sive obedientia quæ Pontifici Maximo debetur. Quæ cum *Internuncius* audivisset, non amplius torvè ac supercilioſe, neque velut pro tribunali aut cum imperio ut eousque, sed mansuetè jam, ac velut ex æquo agens, ad *Valesium* conversus, rogat precaturque cum, deinceps *Remonstrantiæ* illi valedicere, ac potius de alio quocumque medio cogitare, quo Regis Clementissimi gratiam *Hiberniæ* Clero posset reconciliare, non obstantibus ijs quæ jampridem Belli tempore patraverant. *Valesio* respondente, nullum sibi apparere absque aliqua istiusmodi (quod substantiam rei spectat) Formula, quæ potestatis Regiæ independentiam agnosceret: ille mox; *Ego* (inquit) *Pater Valesi propono unum. Sanctissimus Dominus meus Bullam ad universos Hibernos dabit, qua sub Excommunicationis præcipiet ipsis, uti posthac Majestati Regiæ fideles sint, ac porrò semper obedientes permaneant.* Et istud quidem, inquit *Valesius*, medium est Illustrissime Domine, quod *Carolum* II. *Brittannicum* de Rege absoluto, independenti, purum purum Papæ Vassallum, adeòque vel precarium, imò vel *Chartarum* quidem Regem faceret. At spero Majestatem Suam habere media longè alia, multoque præstabiliora pariter & securiora, quàm ullius generis vel Bullæ vel patentes quæpiam forent. Rursum verò *Internuncius: Itaque*, inquit, propono hoc aliud. *Sanctissimus Dominus meus, quot & quoscumque vel Majestas Regia, vel Hiberniæ Prorex Dux Ormoniæ, Episcopos & Archiepiscopos velit, pro eo Regno creabit: ipsidemque*

iisdemque personis, ita ex alterutrius nominatione ad ejusmodi sacerdotia magna promotis, potestatem insuper faciet specialem, omnes eos Ecclesiasticos ex Hiberniæ Regno amandandi, quos ipsi judicaverint infidos Regi esse. Sed & *Valesius*, rursum hic similiter, plura. Nimirum, Quòd alterum istud *medium*, etsi nonnihil speciosius priori; consideratis tamen Religione Regis, Legibus Regni, multisque alijs, impracticabile prorsus in præsentia videretur. Quòd eòdem nihil planè Majestati Regiæ offertur, nisi quod etiamnum de jure ad supremam Coronæ potestatem & in præsentia spectat, & spectaret porrò in quàcumque alia contingentia, vel Romanæ inquam Communionis in *Anglia* restitutæ; Nominatio Episcoporum, exclusioque omnium ab Episcopali munere qui à Rege innominati intruduntur. Quòd ex eadem potestate Regia, & absque imperio Papæ interposito, per Dei ipsius & naturæ leges Regi liceat suspectos & infidos quoscumque, etiam Ecclesiasticos, vel ejectione quidem & exilio, ubi necesse erit, punire. Quòd si in hac parte interpositio authoritatis Pontificiæ necessaria foret, si aut oporteret, immo aut liberet ea uti, consectarium foret, suprema & essentialia ipsa Coronæ Regiæ jura ab extranei Principis vel Episcopi Imperio dependere; prorsus contra Regni *Anglicani* & *Hibernici* leges omnes ab omni ævo vel *fundamentales* quidem. Quòd insuper à Dominatione sua Illustrissima æquum esset duo quædam alia specialiter considerari. Primum, quòd Archiepiscopi & Episcopi omnes Romanæ communionis ante consecrationem, veluti & Abbates & Beneficiati itidem omnes ante adeptam possessionem, Pontifici Maximo *fidelitatem contra omnes homines jurant*, idque forma quidem strictissima; quaque etiam expresse jurant *Hæreticos, Schismaticos, & cæteros quocunque modo Domino Papæ rebelles, pro posse suo persequi & impugnare:* Cæteri quoque omnes Ecclesiastici Inferiores, tam Secularis quam Regularis Cleri, multiplicibus

alijs ligamentis, partim votorum solemnium, partim canonum ipsorum Papalium, astricti sint ad fidelitatem, obedientiamque Pontifici maximo præstandam. Secundum, quod Juramenta *Anglicana*, nempe Supremitatis, unum, & *Allegiantiæ* seu fidelitatis, alterum, etsi *Angliæ* pariter & *Hiberniæ* Legibus scita, jamdudum tamen cum à Pontificibus Maximis, tum Romanis Aulicis, clientibusque omnibus *Bellarmini* condemnata sint, nec tamquam illicita modò, sed vel hæretica quidem, ac porrò indies ita absque ullo discrimine ab ipsis condemnantur. Ex quibus omnibus, tamquam ex præmissis quoad veritatem notam atque manifestam legitimis, quod intentum erat *Valesius*, uti necessariò & evidenter sequens, intulit. Videlicet, apparere jam, quòd ne *medium* quidem istud *alterum* ab *Internuncio* propositum, aliò reapse spectaret, quàm ad figendum altiùs ex una parte, confirmandumque insigni modo Pontificis Maximi prætensa in subditos Regum suprema jura, atque ad solvendum ex altera parte *Hiberniæ* Catholicos, præsertim Ecclesiasticos, ab omni vinculo subjectionis Regi suo legitimo debitæ. Ac sanè, quod saltem Ecclesiasticos attinet, rem per se clarissimam esse, cùm de multiplicibus eorum vinculis, de juramentis (inquam) votis, promissionibus, canonibus, *&c.* quibus Pontifici Maximo etiamnum vel obnoxij vel devincti subjectique erant, constaret: & tamen *medium* istud omnino vellit ipsos nullo prorsus non tantùm non juramenti, sed ne simplicis quidem promissionis, aut declarationis cujuslibet vinculo, sive ad fidem observandam, sive ad obedientiam vel in temporalibus solis præstandam, Regi devinctos fore. Quibus à *Valesio* absolutis, quoniam R. A. P. *Philippus Howard* Ord. Dominicanorum, Reginæ tum * à Sacellis & eleemosynis, deducendo ad prandi-

* *Postea in cœtum purpuratorum Patrum adlectus, nunc* Romæ *vivit Eminentissimus Cardinalis: & vivat ad* Nestorios *annos*

prandium *Internuncio*, nec alio fine ſupervenit: quòdque jam hora prima poſt meridiem eſſet: colloquium iſtud non modò abſque concordia, ſed abſque ulteriori quavis hinc aut illinc vel concluſione, vel additione, vel replica, extemplò finijt: abeuntibus, itidem extemplò, vias ſuas diverſas qui colloquebantur.

Quid, poſt iſtam collationem, Illuſtriſſimus ille Dominus de *Valeſio* & *Carono*, introrſum in anima ſua ſenſerit, etſi fateor me non certò ſcire: id tamen licebit hic reminiſci quod pro certo paucis interjectis diebus, à quodam fide digno relatum mihi fuit: Eundem Illuſtriſſimum & illa ipſa Collationis die, & in menſa quidem publicè inter prandendum cum præfato *P. Howard*, eidem de illis dixiſſe, *Plaud ſibi videri eos vel Sectam vel Schiſma in Religione meditari.* Quod eo ſtudioſiùs referre liber, quo certiùs conſtat, eundem Illuſtriſſimum paulò ante cum alijs literis ad allos, tum unis ſingularibus ad P. *Bonaventuram Brodinum* Hibernum Ord. S. Franciſci, *Antiremonſtrantem* egregium, planè contraria de Remonſtrantibus omnibus generatim ſcripſiſſe. *Summa autem in eo eſt*, (Inquit in iſta ad *Brodinum* epiſtola *; eundem inſtruens) *ut conterraneos ſuos tam Eccleſiaſticos quàm Seculares, præſertim Nobiles, congruis admonitionibus ſedulò continere ſatagat in ſincera, & perfecta erga Sanctam Apoſtolicam Sedem obſervantia, rejectis commentis novæ formulæ fidelitatis Valeſianorum. Illud enim eſt quod Eccleſiam Dei majori damno ac pernicie afficere poteſt quàm quævis anteacta hæreticorum perſequutio.* Verùm enimverò quid per ſinceram illam & perfectam obſervantiam, quid per Eccleſiam Dei, quid per damnum iſtud majus ac perniciem, velit hoc loco Illuſtriſſimus, facilè eſt abſque commento intelligere. Quodque

* Data erat Bruxellis 7. *Octob.* 1663. & habetur ad longum in Hiſtor. Remonſt. pag. 515.

huic

huic tanto, tamque pernici malo prævertendo, non minus post præfatum congressum, quam ante, etsi alia via, studuerit, aquè facile est videre. Nam reversus in *Belgium*, non modò ad *Caronum* ipsum literas *Bruxella* 9. *Jan.* 1654. dedit, cùm invitantes eum unà cum *Valesio* illuc, ad conferendum scilicet cum Superioribus & Facultate Theologica *Lovaniensi*, tum offerentes ei & reconciliationem omnem & Commissariatum Ordinis in *Hibernia*, si veniret: verumetiam alias quoque in eundem finem ad Illustrissimum D. de *Aubigni* Reginæ Eleemosynarchum, cognatumque Regis. Ut autem vehementi amborum, *Caroni* scilicet ac *Valesij*, desiderio in ea parte satisfaciendi Illustrissimo Internuntio (quoniam certè nihil in vita ardentiùs concupiverant quàm cum *Facultate* illa de causa tota conferre) authoritas & specialis inhibitio Regia obstiterit: superius habes Lector ep. 1. pag. 6. & rursum ep. 11. pag. 260. *&c.* immò & in ipsius etiam *Caroni* Opere Latino de Remonstrantia, *&c.* Part. v. pag. 28. seu in epistola ejus ibidem, qua *Londino* ad ejusdem Illustrissimi Internuntij literas & invitationem respondit. Verùmtamen quam pro sua & & communi Fratrum omnium Remonstrantium causa non licuit rationem Superioribus suis Ecclesiasticis ultramarinis ore ad os reddere: quæque similiter non potuit sive cum Facultate Theologica *Lovaniensi*, sive cum Romana Curia præsens vel disputare vel expostulare: calamo tandem & prælo absens atque distans *Londini* in Anglia fecit, reddidit, disputavit, expostulavitque; nempe ejusdem Anni 1665. æstate, quæ præfatam invitationem, uti & collationem, ea priorem, proximè subsequuta fuit, edito (quod jam laudatum est) Opere suo *Latino*. Huic titulus integer, immò pagina tota Titularis est: 'Remonstrantia Hibernorum, contra Lovanienses ultramontanasque censuras, de Incommutabili 'Regum Imperio, Subditorumque Fidelitate, & 'obedientia indispensabili: ex SS. Scripturis, Pa-

'tribus

'tribus, Theologis, *&c.* vindicata. Cum duplici
'Appendice; una, de Libertate Gallicana: altera,
'contra Infallibilitatem Pontificis Romani. Au-
'thore R. P. F. R. Caron Theologo emerito. *Sic*
'*fatus filij Iſrael, non judicantes, neque quod virum*
'*eſt cognoſcentes, condemnaſtis Filiam Iſrael: revertimini*
'*ad judicium*: *Daniel* XIII. Et, *Reddite quæ*
'*ſunt Cæſari.* Matth. xxii. Cum licentia & privi-
'legio Superiorum. Anno. Dom. MDCLXV.

Et nunc *Caronus* ad ultimam vitæ ſcenam appropinquat. Nam quamprimum Typographicæ hujus Libri operæ finem *Londini* viderat, in *Cambriam* rurſus, domumque Illuſtriſſimi *Powiſij* ſeceſſit, Deo ac ſibi tres vel quatuor alios menſes ibidem vacans. Ex *Cambria* verò, ejuſdem anni Septembris Menſe, trajecto Hibernici Maris anguſto freto *Dublinium* appulit. Hic inter ſui Ordinis pariter & opinionis (nam ejuſmodi tum temporis erant univerſi Conventus Minorum *Dublinienſium* Fratres) ſub iſtius loci Guardiano R. P. *Jacobo Simonis* obedienter & humiliter commoratus, ſub *Januarij* finem cæpit cum debilitate Stomachi ac ciborum nauſea conflictari; cæterà cruciatus omnis ac doloris expers. Elanguit tamen paulatim magis atque magis ad *Majum* uſque. Tunc primùm, ingraveſcente morbo, fractiſque viribus, decubuit æger. Et nunc prænuntia imminentis horæ cernens, ad noviſſimam luctam, ſacramentis omnibus (morientium in Catholica Eccleſia) ritè ac devotiſſimè receptis, ut Chriſtianum virum decet, ſeſe preparat: idque non modò cum omni regnatione, ſed alacritate & gaudio, compoſitus plane ac ſerenus.

Verùm in hoc ſtatu poſitus, dum ad momenta ſingula diſſolutionem corporis & vocem paranimphi expectaret, à *Valeſio* & nonnullis alijs ipſum inviſentibus, fortè reſcivit, ſparſum per falſos quoſdam Fratres in urbe rumorem, quaſi nunc ſub extremam horam retractaviſſet omnia quæcumque in cauſa *Remonſtrantiæ* vel ſcripſerat, vel fecerat, vel

etiam

etiam dixerat aliquando ad illud ipsum tempus. Quo nuncio aliquantulum turbatus, mox autem ad se reversus, oravit statim accersiri Communitatem Fratrum, id temporis ut fors ferebat, in triclinio proximo discumbentium. Adsunt omnes in momento, unà cum R. A. P. F. *Marco Bruno*, qui à Ministro Generali totius Ordinis Reverendissimo P. *Ildephonso Salizanes*, nuper ex *Hispania* missus Visitator & Commissarius Hibernicæ Provinciæ, ac instantis Capituli Provincialis Præses, tum forte in eodem triclinio erat. 'Ad quos moribundus se con-
'vertens, ubi primùm significasset, causam rogatæ
'eorum præsentiæ tunc non aliam esse quàm rumo-
'rem istum; ac deinde perturbationem animi sui,
'quòd ullus homo religiosum vitæ institutum pro-
'fessus reperiri posset, qui vel propagandæ vel mu-
'nendæ Factionis cujuspiam causa, de morituro
'jam jam, ac vitæ pariter & doctrinæ confestim
'Supremo Judici rationem reddituro figmenta
'spargeret: mox quæ sequuntur non solum decla-
ravit, sed & rogavit omnes quotquot aderant testes
eorumdem fore. 'Primò, quod uti nunc ad mo-
'menta singula expectabat coram divino Tribunali
'responsurus comparere, ita & Instrumento Re-
'monstrantiæ primùm subscripserit, & postea cùm
'verbo tum scripto doctrinæ simul & subscriptioni
'ejus defendendæ pro virili collaboraverit ex puro
'puro conscientiæ suæ interioris dictamine. Se-
'cundò, quod exinde in præsentem usque horam,
'neque timor, neque dubitatio, neque scrupulus
'aut errati aut peccati contra Deum, Fidem, vel
'Ecclesiam Catholicam, sive primitus in subscri-
'bendo manum, sive deinceps non refigendo fig-
'naturam, commissi, animum suum invaserit ali-
'quando. Nisi si quoad aliqua verba (inquit) vel
'mordaciora vel asperiora, sive quoad aliquas ex-
'pressiones in officio, aut respectu eo qui Pontifici
'Maximo Superiori suo debebatur, deficientes;
'si fortassis, & ubicumque in Libris aut Scriptis
'suis

'ſuis ulla ejuſcemodi ſint, vel ab aliis apprehendan-
'tur eſſe. Pro iſtiuſmodi haud neceſſarijs loquuti-
'onibus, commotionem animi inordinatam ullo
'modo redolentibus, pœnitere ſe ex imò corde,
'atque à miſericordi Deo precari veniam. Cæte-
'rùm quoad alia quæcumque ad ſubſtantiam ipſam
'doctrinæ neceſſariò pertinentia ſe numquam ſen-
'ſiſſe nec ſentire poſſe animi vel minimam reluctа-
'tionem aut remorſum: utpote qui indubitanter
'crederet illam eamdem prorſus eſſe cum doctrina
'Salvatoris Domini; cujus per divina merita ſpe-
'raret ſalutem conſequi, cujuſque tribunal ante,
'expectaret ſiſti protinus. Tertio & ultimo loco,
ad *Valeſium* reſpiciens, roganſque aſſideret in ſpon-
da Lecti ſecum, ubi hic obtemperaviſſet, tum ille
paulo ulteriùs mentem ſuam declarando, aſſidentem
coram omnibus in hunc modum affatus eſt: 'Va-
'leſi compar, quoniam poſt diſceſſum meum gra-
'vior te lucta manet: idcirco nunc ad te morientis
'ſocij pauca. Memento ſemper quàm Religionis
'Chriſtianæ & conſcientiæ bonæ arctiſſimo vinculo,
'quàm bravij quoque perſeverantibus uſque ad fi-
'nem propoſiti incitamento ſummo debeas reli-
'quum porrò vitæ in cauſa, doctrinaque illa defen-
'denda impendere, pro qua etiamnum tot annos
'poſuiſti in contradictionibus hominum ſuſtinendis.
'Reminiſcere identidem, cujus capitis & corporis
'membrum es. Et ſcito te ad hoc vocatum, ut in
'maligno ſeculo & diebus malis, præſertim inter
'cives & Fratres, veritati teſtimonium feras ad
'mortem uſque, *aſpiciendo* ſcilicet *in Authorem fidei & conſummatorem Jeſum, credendoque remuneratorem.* Et hæc quidem ultima *Caroni* morientis declaratio fuit.

Et nunc ad Deum ſolum denuò ſe convertens, abeuntis vitæ morulam partim in quiete multa & ſilentio, partim in ſuſpirijs & precibus devotiſſimis miſericordiam Crucifixi filij Dei implorando, tranſigit. Ac tandem ſequenti die noviſſima hora ejus eſt.

eſt. Qui rurſus eum velut corona circumcingunt amantiſſimi Fratres, Communitas tota: funduntque cum lachrimis genuflexi eam quæ in *Rituali Romano* eſt Commendationem animæ. Nec ulterior ejus diſſolutionis mora. Nam vix finitis precibus, in medio ac inter manus chariſſimorum Fratrum, religioſiſſimam animam creatori reddidit. Planè vir ob amorem veritatis, conſtantiam religionis, votorum Deo factorum obſervantiam, fidem in Regem, Patriam, Eccleſiam, Converſationis innocentiam pariter & ſuaviratem, denique immaculatum totius vitæ tenorem, fine tam ſancto ac beato dignus. Exequias ejus omni qua decuit ſolemnitate in Sacello Fratrum univerſus urbis *Dublinienſis* Romano-Catholicus Clerus tam Secularis quàm Regularis poſtridie celebrarunt. In funere P. *Valeſius* concionem habuit. Funus ipſum tanta populi ſolius Catholici omnis generis, ſexus, ætatis cum civium tum advenarum multitudo, partim antecedentium, partim ſequentium feretrum, comitata eſt, ut decem millia exceſſiſſe crederentur. Sepultus eſt extra urbem in cœmiterio S. *Jacobi*: quo nimirum loco ſolo Catholici omnes eligunt ſepeliri. Marmoreum lapidem, cum inſcriptione brevicula (utpote nominis, cognominis, Inſtituti, dieique obitus tantùm) ejus tumulo ſuperimponendum P. *Antonius Gearnon* curavit. *Valeſius* autem, vigeſimo tertio anno pòſt, *i. e* Chriſtianæ ſalutis An. 1683. *Novemb.* 23. memoriam hanc & paulò ampliorem, & forteſſis ære & marmore Sepulchrali futuram diuturniorem, ſocio ſuo dilectiſſimo poſuit.

Scripta

Scripta ejus,

Edita,

Roma Triumphans. Lib. unus.
Controver. Generales. L. 1.
Apoſtolatus Miſſionariorum. L. 1.
Loyalty Aſſerted. Angl. L. 1.
Remonſtrantia Hibernorum contra cenſuras *Lovanienſes*, &c. vindicata, Opus Quinquepartitum, *in Fol.* L. 1.

Inedita,

De Sacerdotio & Imperio, Libri duo.
De Canone Sacræ Scripturæ, contra Epiſcopum Dunelmenſem, Liber unus.

At quoniam Facultatis Theologicæ *Lovanienſis* Cenſorum illorum in quos *Caronus* ſcripſerat vel ſuperſtites vel ſucceſſores fortaſſe cupiant videre ſaltem ſive ſummulam ſive Synopſim aliquam Operis illius ejus, quod (non modò ob peſtilentiam *Londini* graſſantem quo tempore, ſcilicet An. 1665. illic prodijt, ſed ob incendium ſequentis proximè Anni 1666. quo omnia pene exemplaria perierunt) hactenus ipſos latuit: idcirco pretium erit, una adhuc Additamento huic adjecta ſcheda, Eximijs DD. in ea parte gratificari. Quare nunc (exceptis Epiſtola dedicatoria ad Regem, Querimonia ad Pontificem, & Præfatione ad Lectorem) ſequitur totius ejuſdem

Caroniani

Caroniani Operis contra *Lovanienſes*, &c. editi Index.

PARS. I.

CAP. I.

DE Remonſtrantia Hibernorum; *hoc eſt, De Formula Profeſſionis obedientiæ, ac fidelitatis civilis, à Clero, Proceribus, Nobilibuſque* Hiberniæ Romano-*Catholicis ſubſcripta*; *Regique ſuo Magnæ* Britanniæ, *&c.* Carolo II. *exhibita*, Anno 1662. Pag. 1.

Cap. II. *Formula prædicta articulatim in* VIII. *Propoſitiones ſeu Articulos reſolvitur.* p. 3.

Cap. III. *Cenſura Eminentiſſimorum Cardinalium ſuper prædicta* Hibernorum Remonſtrantia, *juxta literas Illuſtriſſimi D. Internuncij* Bruxellenſis, *ponderatur.* p. 6.

Cap. IV. *Remonſtrantia Sereniſſimi Regis* Jacobi *à* Paulo V. *condemnata, & an eadem cum noſtra? Cenſura etiam* Innocencij X. *ſuper tribus* Anglorum *Propoſitionibus*;

poſitionibus; cum cenſura Cardinalis Barberini, *quatuor continuis Sectionibus continuatæ examinantur.* p. 8.

Cap. V. *Cenſura Facultatis Theologicæ* Lovanienſis *diſcutitur: Rationes etiam illorum, & objectiones particulares adverſus Remonſtrantiam* Hibernorum, *per* VII. *Sectiones continuas ponderantur.* p. 13.

Sect. 1. *Rationes, motiva, & objectiones* Lovanienſium *particulares adverſus eandem Remonſtrantiam examinantur: Et quid ſi Pontifex* Romanus *ſub cenſuris vel aliter abuſive mandet, puta, ne Regi noſtro aliquando in civilibus pareamus.* p. 16. & ſeq.

Sect. 2. *Remonſtrantia ſeu declaratio Fidelitatis à tredecem ſacerdotibus* Anglis *Anno* 1602. *die ult.* Januarij, *Reginæ* Elizabethæ *exhibita, atq; à Facultate* Lovanienſi *comprobata, in confirmationem Remonſtrantiæ* Hibernorum *adducitur.* p. 28.

Sect. 3. Lovanienſes *in hac queſtione contra* Lovanienſes: *Hoc eſt, Magiſtri contra diſcipulos.* p. 32.

Sect. 4. *Remonſtrantiæ variæ Cleri* Anglicani *contra poteſtatem Pontificis in temporalibus Regum, in confirmationem Remonſtrantiæ* Hibernorum *adducuntur.* p. 38.

Sect. 5. *Epiſtola generalis Cleri* Anglicani *in eundem finem ad univerſam* Angliæ *Nobilitatem.* p. 39.

Sect. 6. *Alia itidem Cleri* Anglicani Re-

monſtrantia *Anno* 1660. Caroli II. *Regi exhibita.* p. 40.

Sect. 7. *Literæ Cleri* Anglicani *ad Reverendiſſimum* Dromorenſem *Epiſcopum* Anno 1662. *Quibus omnibus & ſingulis Remonſtrantia* Hibernorum *roboratur.* p. 42

Cap. VI. *Quid ſenſerint* Franci, Germani, Itali, Hiſpani, *hoc eſt, Univerſitates & Status illorum, de poteſtate Pontificis* Rom. *in temporalibus Regum, ac per conſequens de Remonſtrantiæ noſtræ Doctrina, per quindecem Sectiones continuas diſtributum.* p. 44.

Sect. 1. *Cenſuræ Univerſitatum* Italiæ, Franciæ, Germaniæ, *contra poteſtatem Pontificis* Rom. *in temporalibus Regum.* p. 44.

Sect. 2. *Cenſura Facultatis Theologicæ* Pariſienſis *ſuper eadem materia contra librum* Anthonij Sanctarelli, *ex Societate Jeſu, cui Titulus,* Tractatus de hæreſi, Schiſmate, Apoſtaſia, Sollicitatione in Sacramento pœnitentiæ, *&c.* p. 45.

Sect. 3. *Declaratio Univerſitatis* Pariſienſis *contra poteſtatem Pontificis in temporalia Regum, per Rectorem, Decanum,* &c. *in plena ac generali congregatione* Maturinenſi, *Anno* 1626. *die* 20. Aprilis, *contra* Sanctarellum. p. 47.

Sect. 4. *Declaratio altera Facultatis Theologiæ* Pariſienſis, *Anno* 1663. 8. Maij: *ac per illius Deputatos Regi Chriſtianiſſimo exhi-*

exhibita, de eadem materia, ac contra Infallibilitatem Papæ, *&c. juxta exemplar* Parisijs *impressum.* p. 49.

Sect. 5. *Decreta varia Parliamentorum* Franciæ *contra eandem Pontificis potestatem: Ac* 1. *contra* Tanquarellum, *Anno* 1561. p. 51.

Sect. 6. *Aliud contra* Florentinum Jacobi, *Anno* 1595. p. 51.

Sect. 7. *Aliud contra doctrinam* Sanctarelli *de qua supra.* p. 52.

Sect. 8. *Censura Jesuitarum in eundem finem contra* Sanctarellum. p. 53.

Sect. 9. *Decretum Parlamenti* Parisiensis *Anno* 1610. 26. Nov. *quo liber* Bellarmini *pro potestate Pontificis indirecta in temporalia Regum, contra* Gulielmum Barclaium, *condemnatur.* p. 54.

Sect. 10. *Aliud decretum Parlamenti* Parisiensis, *quo liber* Franciſci Suares *ob eandem doctrinam adversus Serenissimi* Britanniæ *Regis* Jacobi *Apologiam pro juramento Fidelitatis, cum præfatione ejusdem libri monitoria, condemnatur*, 26. Junij, *Executioni mandatum* 27. Junij 1614. p. 56.

Sect. 11. *Aliud ejusdem Parlamenti decretum* 2. Januarij 1615. *contra potestatem omnem Pontificis* Rom. *in temporalibus Regum.* p. 58.

Sect. 12. *Aliud* Parisiensis *Parlamenti de-*

eretum 19. Januarij 1663. *adverſus eos qui docent Pontificem* Rom. *ſupra Concilia generalia eſſe: aut Concilia non eſſe neceſſaria abſolute ad extirpandas hæreſes, ſed tantum utilia.* p. 59.

Sect. 13. *Proteſtatio Advocati generalis* D. Talon, *adverſus Theſem propugnatam in* Sorbona *de* Infallibilitate *Papæ*, &c. Anno 1663. p. 60.

Sect. 14. *Juramentum* Allegiantiæ *ſeu Fidelitatis in eadem materia exhibitum Regi Chriſtianiſſimo à tertio Statu ſeu Ordine* Gallicano *in Comitijs generalibus* Lutetiæ *Anno* 1614. *ut in legem Regni fundamentalem admitteretur.* p. 61.

Sect. 15. *Proteſtationes ſeu* Allegiantiæ *Concilij* Toletani 4. *&* 7. *de fidelitate & obedientia ſubditorum erga Reges, adverſus omnes quaſcunq; conſpirationes*, &c. p. 63.

PARS II.

IN *qua* Remonſtrantia Hibernorum, *&c. Scripturarum documentis, Patrum, teſtimonijs, Pontificum, Conciliorum, Univerſitatum, Theologorum, Expoſitorum, Canoniſtarum, Legiſperitorum, Imperatorum, Regum, ac Statuum omnium Chriſtianorum*

ſtianorum authoritate, ſtabilitur & defenditur. p. 65

Cap. I. *Sanctum* Petrum, *ac ſucceſſores, non minus quam alios Imperij ſubditos, jure divino ſubjectionem, obedientiam, honorem, ac fidelitatem civilem Imperatoribus, non tantum bonis & modeſtis, ſed & improbis & dyſcolis, ſive Ethnicis, ſive Chriſtianis debuiſſe: ac conſequenter Pontifices* Romanos *olim, vel ſubditos Laicos, nec directe, nec indirecte potuiſſe Principes ſuos, Judices, ac ſuperiores deponere; vel ſubditos ad arma contra Reges licentiare; aut in ſubditorum obedientia, vel Fidelitate diſpenſare: per tres Sectiones demonſtratur.* p. 67

Sect. 1. *Ex Scripturis ea veritas evincitur.* p. 67

Sect. 2. *Ex Patribus* Græcis *&* Latinis. p. 70

Sect. 3. *Ex Theologis, Canoniſtis,* &c. p. 74

Cap. II. *Poteſtatem ſpiritualem nunquam in temporalibus coactivam eſſe; imo nec directe, nec indirecte ad temporalia ſe extendere: Adeoq; omnem poteſtatem coactivam, temporalem, executivam, corpoream, pœnalem, vel civilem,* Petro *& ſucceſſoribus inhibitam fuiſſe; conſequenter & Reges deponere, vel inſtituere; ſubditos ad arma licentiare, vel cenſuris cogere; bellum Regibus indicere, aut per alios man-*

mandare; per tres Sectiones demonſtratur. p. 77
Sect. 1. *Ex Scripturis ea veritas evincitur.* p. 77
Sect. 2. *Ex Patribus, & Theologis.* p. 80
Sect. 3. *Ex Epiſcopis, aliiſq; plurimis qui & ideo* Gregorij VII. *poteſtatem Regum deponendorum expreſſe negarunt.* p. 89
Cap. III. *Reges ſanguine & ſucceſſione abſolutos, Regna ſua & Imperia à Deo ſolo & immediate, tanquam à cauſa Principali accepiſſe: Adeoq; à Deo ſolo effective deponi poſſe: per duas Sectiones demonſtratur.* p. 96
Sect. 1. *Ex Scripturis ea veritas evincitur.* p. 96
Sect. 2. *Ex Patribus.* p. 98
Cap. IV. *Reges abſolutos omnibus hominibus præeſſe; ipſos vero ſoli Deo ſubeſſe, eum majores, vel æquales non habeant: Adeoque à Deo ſolo judicari civiliter vel puniri; ac conſequenter neq; à Pontifice vel ſubditis deponi, judicari, vel jure Regali deſtitui poſſe; per tres Sectiones demonſtratur.* p. 102
Sect. 1. *Ea veritas ex Scripturis probatur.* p. 102
Sect. 2. *Ex Patribus.* p. 103
Sect. 3. *Ex Theologis, & Expoſitoribus.* p. 108
Cap. V. *Prædicta omnia veterum Eccleſiæ Pontifi-*

Pontificum Romanorum *documenta fuisse, demonstratur.* p. 114

Cap. VI. *Similiter & Conciliorum veterum tam generalium quam nationalium.* p. 119

Cap. VII. *Ideoq; Concilia* Germaniæ *adversus* Gregorium VII. *inita, atq; à* Gregorio *&* Urbano *Pontificibus tanquam schismatica reprobata, Canonica esse, demonstratur.* p. 128

Ubi incidenter tota illa controversia Gregorium *inter &* Henricum *Imper. ventilatur.*

Cap. VIII. *Universitates plurimæ & Theologi in confirmationem prædictorum quatuor Capitum Principalium; Ac per consequens in partes Remonstrantiæ* Hibernorum *adducuntur.* p. 150

Cap. IX. *Canonistæ, & Legisperiti in eadem doctrina convenientes.* p. 169

Cap. X. *Similiter & Historici eadem ratificantes.* p. 177

Cap. XI. *Imperatores etiam & Reges concurrentes.* p. 189

Cap. XII. *Ac tandem Comitia plurima generalia, Status diversi, Parliamenta, Episcopi, Theologi, Gentesq; omnes & Nationes, Clerus, populusq; Christianus in eandem veritatem conspirantes.* p. 194

PARS III.

CAput unicum. *Reges civiliter excommunicari non posse; nec in obedientia subditorum civili per Pontifices dispensari; Adeoq; nec à Pontifice vel subditis exauthorari unquam posse; Exemplis primitivæ Ecclesiæ Theologo-Historicè fusissime demonstratur.* p. 206

PARS IV.

PRædicta omnia sicut & Remonstrantia Hibernorum *quoad ea, & singula quæ juris sunt, argumentis variis ac rationi-Theologicis fusissime demonstrantur.* p. 226

PARS V.

IN *qua omnes Adversariorum objectiones, & argumenta quibus Reges aliquando deponi posse contendunt, eliduntur.* p. 1

Cap. I. *Argumenta* Bellarmini *ex* Gregorio VII. *&c. illorumq; Sanctitate solvuntur.* p. 1

Ubi

Ubi & de jure investituræ; & recantatione Gregorij VII. ibidem.
Cap. II. *De* Bonifacio VIII. *Et* Philippo Franciæ *Rege.* p. 12
Cap. III. *De* Gregorio V. *primæva Electorum* Germaniæ *institutione, An à Pontifice? An ab Imperij proceribus ortum acceperit?* p. 18
Cap. IV. *Utrum* Innocentius III. Ottonem IV. *vel* Philippum *legitime deposuerit?* Gregorius IX. *vel* Innocentius IV. Fredericum II? Joannes XXII. *vel* Clemens VI. Ludovicum *Bavarum?* p. 24
Cap. V. *An veteres olim Pontifices,* Gelasius, Zacharias, Gregorius II. Leo III. Gregorius IV. Hadrianus II. Nicolaus I. Ambrosius, *vel alius quisquam ante* Gregorium VII. *Principes aliquando exauthoraverint?* p. 31
Cap. VI. *De* Anastasio *Imperatore,* Justiniano II. Philippico: Carolo *simplici, ac* Philippo Franciæ *Regibus:* Raimundo *Comite* Tholosano: Antiocho; *Cananæis; An & quomodo à Pontificibus, populove depositi? Aliisque* Peronij *argumentis ex ratione petitis.* p. 38
Cap. VII. *Utrum* Oziam *Regem, aut Reginam* Athaliam *sacerdotes vet. legis Imperio civili dejecerint: & quomodo? Quæque fuerit sacerdotum tunc potestas inter lepram & lepram,* &c. *dijudicandi,* Deuter.

Deuter. 17. *Ubi & de Synedrio seu Concilio Judæorum supremo.* p. 50

Cap. VIII. *Utrum Imperium occidentale, vel Regna ulla occidua fuerint per Pontifices* Rom. *translata?* p. 57

Cap. IX. *Quid de* Childerico Francorum *Rege? De privilegio Hospitalis* Authumensis? *De Translatione* Indiarum? *De exauthoratione* Henrici IV. Francorum *Regis? De Martyrio S.* Thomæ Cantuariensis? p. 65

Cap. X. *De Concilijs à* Bellarmino *in partem suam allegatis, & in quantum concludunt.* p. 73

Cap. XI. *De utroq; gladio: De potestate Christi in cœlo & in terra; Apostolorumq; Angelos judicandi: De potestate* Petri *ligandi, solvendiq; : Aut qua* Ananiam *occidit: De Parabola compulsionis ad Nuptias,* Lucæ 4. *De flagellatis ex templo,* &c. p. 88

Cap. XII. *Argumenta* Bellarmini *ex ratione petita examinantur, scilicet ex necessitate justæ defensionis Ecclesiæ: Ex factis* Machabæorum *contra* Antiochum: Affrorum *contra* Donatistas: Francorum *contra* Albigenses: Alexandrinorum *contra* Constantium: *Ex Cura Pastorali; & perfectione Ecclesiæ; mediorumque sufficientia quibus finem acquirat, lupos arceat, Religionem præservet: Ex subor-*

ſubordinatione utriuſq; poteſtatis, illarumque munijs; Et an Reſpub. unum conſtituant? Ex interpretatione ſcripturarum: Ex comparatione Solis & Lunæ; Animæ & corporis. Deniq; an poteſtas Regis in ſubditos ſit vere paterna? An ſubſcriptores ſchiſmatici ſint, inobedientes, vel contumaces? Cap. 12. Part. 5. p. 1

Cap. XIII. *De vi Excommunicationis; Canoniſtarumq; authoritate. De Cap.* Excommunicatorum Urbani II. *De ſententia* D. Thomæ: *Et an Reges conditionibus, pactiſve implicitis ſubſint? De argumentis ex Regum Coronatione, Unctione, &c. An Reges ulli Pontificis ſunt feudatarij? Quid de* Clodoveo? Joanne *Rege* Angliæ? *De* Hibernia? *Bulla* Adriani, *vel* Alexandri *Pontificum? Quid de poteſtate indirecta* Innocentij III. *De cognitione factorum, mixtorumq;, vel legitimatione filij Regis* Francorum, *&c.* cap. 13. p. 31

Cap. XIV. *Argumenta* Bellarmini *ex* Deuteron. *vel ex* 1 Corinth. 6. *expenduntur: ſimiliter &* Idiotæ *Idiographum.* p. 45

Cap. XV. *Utrum idem ſit jure divino vinculum Regis cum Regno, quale mariti cum uxore? Religioſi cum ordine? Epiſcopi cum ſua Eccleſia,* &c? *Et quid de utriſq;?* p. 51

Cap.

Cap. XVI. *Quo jure, ordine, vel authoritate Reges deponat Pontifex juxta* Bellarmini *Principia? Quid si ſubſcriptores* Romæ *vel alibi excommunicentur? Utra pars, noſtra vel adverſaria ſcandalizet? Cum Epilogo ad Regem, & Pontificem* Romanum. p. 59

Cap. XVII. *De Libertate* Gallicana, *per tres Sectiones diviſa.* p. 65

Sect. 1. *De Libertate* Gallicana *in genere.* p. 65

Sect. 2. *De Libertate* Gallicana *in ſpecie, concordata, & pragmatica.* p. 67

Sect. 3. *Utrum Libertas illa* Gallicana, *privilegium ſit Pontificium: An jus potius naturale, divinum, & Regium: Ac per conſequens Regibus alijs, etiam &* Arianis *communis, ſi juri divino, vel ſacris receptis Canonibus non derogent? Vel dato, quod Libertas illa* Gallicana *privilegium ſit Pontificium, utrum tamen Eccleſiæ olim* Britannicæ *cum adjacentibus non fuerit æque proprium? An tandem pro Rege quocumque, vel cujuſcumq; Religionis ſit publice à ſacerdotibus, ſubditiſq; Regni ſui ſacrificandum & orandum?* p. 77

Cap. XVIII. *Quæſtio Theologica de Infallibilitate Pontificis* Rom. *Et an ex hactenus*

Etenus dictis, vel resolutis posset juste stimulari ad censuras, pœnas, vel inhibitiones adversus subscriptores seu Remonstrantes? p. 85

FINIS.